

R. 3743

Dec. Collegio de la Comp. de la Universidad

D. DIONYSII

CARTHVSIANI

ber vtilissimus, de quatuor
hominibus nouissimis,

Nempe.

- i. Morte.
- ii. Iudicio.
- iii. Inferni poenis.
- iiii. Gaudis caeli.

Eiusdem item,

Colloquii de particulari iudicio animarum.
Modus optimus subueniendi, tum in extre-
mis, vix tum in purgatorio, animarum.

caute lege circa

quae sunt in purgatorio.

PARISIIS,

Apud Franciscum Bartholinum, via
Iacobaeae, sub scuto Venetiae.

1555.



R. 2743
De Collegio S. La Compt. de Sens & Corandea

D. DIONYSII

CARTHUSIANI LI-

ber vtilissimus, de quatuor

hominis nouissimis,

Nempe,

I. Morte. III. Inferni poenis.

II. Iudicio. IIII. Gaudiis cæli.

Eiusdem item,

Colloquii de particulari iudicio animarum.

Modus optimus subueniendi, tum in extre-
mis vita tum in purgatorio, animabus.


Causæ hęc circa Animarum

quę sunt in purgatorio.

PARISIIS,

Franciscus Bartholomæus
Apud Franciscum Bartholomæum, via
Iacobæ, sub scuto Venetiæ.

1555.



29700-24

Corregi quilibet tempore
ali censuratus off. dela in
ho 11. de Chel. cub. 13.

J^o de Vargas

Corregido conforme a l^{ta}
purgatorio de 1470.

Diego de Ruben

PRAESTANTIS-

SIMO VIRO M. MARTI-
no Greue, Busciducensis opidi
graphiario, pietate ac erudi-
tione excellenter ornato,
F. Petrus Blomeuene
Leidensis, Carthusia
Coloniensis
Prior.

loc.
us oij
vita.

S. D. P.

LOLENT nonnulli qui
epistolas scribunt nu-
cupatorias, ad eò quos
volunt laudibus effer-
re, idque interdum non parum te-
merè, ut nescias utrum magis li-
brum, videlicet an libri patronum
querat euulgare, Nos Dionysium
quidem nostrum producimus do-
ctorem, sanctitate non minus

A ij

quàm eruditione cōspicuū, mult-
tisque iam annis cum à doctis, tū
à piis desideratum: verūm patro-
nos ei dedimus nō tā nostris lau-
dibus quàm suis virtutibus cla-
ros. Inter quos tu, licet nobis es-
ses nō infimo loco habēdus, tamē
modestia tuā id esse multō no-
bis cōpertissimum est, vt nemini
quātūlibet pręstātor, velis prę-
ferri, adeò vt nō parū quoq; tuā
& virtuti & volūtati morē gessif
se videamur, quòd in prioribus
Dionysij operibus nuper editis
tāto interim tēpore quasi tui im-
memores, te pręteriuimus. At
scis nihilominus ipse, quàm non
sem p̄ possimus silere, quāq; de-
deceat vel ingratos, vel immemo-
res diutius nos esse erga te, qui
multis annis vel inter pręcipuos
amicos nobis es vnus. Itaq; nūcu-
pationem aliquam haud negle-

ximus, sed distulimus, fateor,
quod ad librorū quispiam Dio-
nyisij, cuiusmodi hic pręsens est,
in manus veniret excudēdus, qui
tibi nō minus gratus quàm fru-
ctuosus haberetur. Arbitramur
autem hunc, quem de quatuor
nouissimis inscripsit Dionysius,
librum tibi acceptum fore, id-
que non propterea, quòd in eius
lectione offendas, vnde iuxta Sa-
pientis consiliū territus aliquan-
do desinas peccare: quin potius
ideo, quòd Christo adeò iam vi-
ta tua sit dedicata, adeò cor tuum
(licet inter seculi cogaris ne-
gotia & iudiciorum strepitus af-
fiduus versari) à mundo perster
alienum, vt siue foris, siue domi
agas, nihil in oculis, nihil in men-
te tibi magis quàm ipsa nouissi-
ma tua esse credatur. Non inter
aduersitates quas pertulisti mul-

tas, vnde quæso animo tuo fortitudo tanta, vnde tranquillitas tanta adfuit? Quid enim persecutiones iam olim tibi factas enumerem? Nonne tanta semper constantia, tanta securitas, tanta denique mansuetudo inter has tam magnificè te comitata est, vt ne verbo quidem in te potuisset deprehendi, quo aut ultionè expeteres, aut minus æquo faueres inimicis? Et hoc vnde, nisi quia & deum vbique præsto & nouissima semper tua meditaris? Hinc enim vsu tibi venit, vt tam iniurias quàm honorem cæteraque simul omnia, quæ mundus aut miratur aut metuit, futilia, eaque flocci pendenda ducas. Attamen propterea haudquaquam es minor, tametsi gloriam nullam, quæras. Sensisti hoc iam pridem, nisi falor, licet citra arrogantiam

(dum nodum in scirpo quærentes Zoili tui, famæ tuæ derogare moliebantur) quomodo hanc potius reddiderint illustriorem, tantum abfuit vt obfuscare quiuisent. Ad quod sanè non parum suffragata est patientia tua, quæ multò te reddidit clariorè, quàm si mordacitatis (licet ab aliis vitiis libet) notari potuisses. Deficeret me tempus, si misericordiæ in te opera, si integritatis simul ac iustitiæ vellem commemorare libertatè. Nam quis muneric execratur? quis in iudicio pauperes ab oppressione sic liberat? Gratis pro iis operam tuam nauas, si tamen gratis impensum dici quicquã possit, quod nullius commodi, sed Christi tantum contemplatione ab eodem centuplo reddendum in pauperes locatur. Taceo multa, ne omnia,

me dicturum qui putet: quando-
quidē hęc satis quōd nouissimo-
rum memor, quōd quasi fem-
per moriturus viuas, common-
strant. Thesaurisent alij in terra,
coaceruent quę diligunt: tu vt
Christo adhęreas, vt Christum
posideas, pro eius amore nihil
non contemnis. Siquidem quod
supereſt in ipſum, hoc eſt, in pau-
peres ac pios omnes effundis.
Eam ob rem quum & vxorem &
familiam habeas impendio reli-
gioſam, & domus tua concordia
& morum venustate cęnobio
haud inferior ſit pii omnes quàm
libenter ad te confluant, quàm
hilariter recipiantur, quàm de-
nique foueantur benignè, non
potest explicari verbis. Eſt ſanè
in oppido patrięque Buſcoducę-
ſi tanta piorum vtriuſque ſexu
hominum multitudo, tanta deũ

colentium deuotio, quantã nuſ-
quam alibi facilè inueniri cōtin-
gat. Horum nonnullos non me-
diocri ſanctitate cōſpicuos, quos
nominare me eorum non ſinit
modestia, tuo patrocinio, vena-
tione ac beneficentia fouere non
deſinis. Quare & pij omnes te
velut communem patronum &
aduocatum pauperum requirūt.
Inter hos tamen non recenſeo
ordinis noſtris, præſertim do-
mus noſtrę ac Cantauij, alum-
nos quos tam impēſè amas tam-
que germanè, vt vel tuis horum
anteferas vtilitates. Pro qua re,
fateor, ordo tibi noſter debet vni-
uerſus. Interim tamen tuus hic
iuxta ac noſter Dionyſiuſtuis nō
excidat manibus, te erudiat, te
pascat: qui ſi in hęc tempora vi-
xiſſet, nec tuas modò ædes reſpu-
ere, nec tua euadere poſſet benefi

cia. Fuit enim, quòd scis, vir con-
téplationi maximè deditus, què
secretorum suorum reuelatio-
ne sepe numero deus dignabatur.
Huic, loco miraculi tribuèdum
est (si legendi, scribendi, oran-
diq̄ue exercitia singulatim in eo
pensetur) tantum cuius horum
vacasse, vt impossibile videatur
operam dare potuisse reliquis:
imò stupendum valde sit, quo-
modo tempus illum non defe-
cerit, vt vel vni horum tantum
se potuerit accommodare, qui in
tribus, hoc est in quolibet horum
(vt dixi) supra modum fuit co-
piosus. Postremò ne grauatè fe-
ras rogo, q̄ de virtutibus tuis, li-
cet infra merita, non nihil prædi-
cauerim, qui latere omnino mal-
les, quãuis & ipsa virtus te latere
non sinat, sed prodat vel reniten-
tè. Vides enim quàm nihil quòd

mundi est, licet plerique virtuti-
bus illa pluris estimant, in te
laudauerim. Siquidem diuitias,
honores, ætatem, fortunas de-
nique & amicos ad extremum po-
tentum curiæ, atque aded ipsius
Imperatoris fauorem, aliáque id
genus multa, quæ in te hodie e-
micant (quæ & tu quoque dei
esse dona, sed eidem posthaben-
da non ignoras) transui, & vir-
tutem tantummodo commen-
dans, te roboravi: quàm, etiam si
te nollem laudare, non possem
nò magnificare. Vale, & (quòd so-
les) me meosque in Christo filios
omnes ama. Saluere te iubet fra-
ter Gerardus Procurator meus,
tuus olim alūnus, & frater Theo-
doricus meus Vicarius, excitator
promotórq; præcipuus, impres-
suræ operum D. Dionysij nostri
omnisque hæc nostra pariter ac

Cantauiensis cum suo Priore familia. cōiugem tuam deo & operibus misericordiæ deditissimā, reliquosque omnes tuos iuxtā ac nostros amicos, potissimè autem Reuerendum patrem, D. Ioannē Baerl, ex prædicatorum familia, sacre Theologiæ doctorem eruditissimum, & oppidi vestri concionatorem integerrimū, nostris verbis saluta. Iterum vale. Ex Carthusia Coloniensi ipso die Epiphaniæ Anno à Christo nato.

I 5 3 5.

ARTICVLORVM,

*HOC EST, OMNIUM,
quæ hoc D. Dionysii de quatuor
hominis nouissimis tracta-
tu continentur.*

ELENCHVS.

- G**ENS absque consilio est, & sine prudentia. Proœmium. Fol. 1. a. id est, facie prima.
- 1 Deconexione & ordine horum quatuor nouissimorum. Fol. 3. a
 - 2 Quam metuēda & amara sit mors corporalis in se ipsa & ex naturalibus causis. 4. a
 - 3 Quòd mors sit vehementer ac iugiter metuenda propter periculosissimas atque grauissimas tērationes: quas habere solent agonizātes mōx morituri. 6. a
 - 4 Quādo metuenda ac præmeditanda sit mors, eo quòd post eam non est reditus ad statum promerendi, pœnitēdi & recuperandi neglectam gratiā & salutem. 9. b. id est, facie 2.

I N D E X.

- 5 Salubris imaginatio de dispositione ho-
minis morientis. 11.a
- 6 De diuersis effectibus qui oriuntur ex
consideratione atque timore mortis.
13.b
- 7 De primo effectu meditationis mortis
videlicet de pauore quem sustinent
morientes. 15.b
- 8 De secundo effectu qui ex intēta mor-
tis meditatione consurgit. 16.b
- 6 De tertio effectu ex meditatione mortis
nascente. 19.b
- 20 De quarto effectu ex mortis medita-
tione ortum habente. 23.a
- 11 De quinto effectu ex meditatione mor-
tis nascente. 26.a
- 12 De sexto effectu ex meditatione mor-
tis manante. 28.a
- 13 Exhortatio ad mortem salubrem ex
cōsideratione sublimium personarū
quæ mortis legibus subiacu crūt. 30.a
- 14 Recitatio exemplorum & historiarū
ex quibus debet homo accendi ad af-
fiduam mortis præparationem. 33.a
- 15 De miseris & ærumnis humanæ con-
ditionis. 33.a
- 16 De secundo quatuor nouissimorum,
putà de futuro dei iudicio, cui attri-

I N D E X.

- bui possunt omnes actus, qui iam an-
te assignati sunt morti. 37.b
- 17 Quàm valde metuendum sit futurum
dei iudicium ex districtione iudicio-
rum quæ deus interdum exercuit in
hoc mundo. 39.b
- 18 De multis rebus ex quarum confide-
ratione innotescit, quàm metuēdum
& rigorosum sit futurum dei iudi-
cium, tam generale in fine mundi,
quàm particulare in singulorum ho-
minum obitu. 42.b
- 19 De terribilitate diuini iudicij ratione
summæ autoritatis, & extremæ excel-
lentiae iudicis Christi. 44.a
- 20 Quàm metuendum sit dei iudicium
propter infinitam ac imperscrutabi-
lem sapientiam eius. 46.a
- 21 De horribilitate diuini iudicij pro-
pter omnipotentem iudicis summi.
49.a
- 22 De terribilitate & rigore diuini iudi-
cij ex parte diuinæ iustitiæ. 51.b
- 23 Quòd diuinum iudicium sit incom-
parabiliter metuēdum, eo quòd ipse
iudex altissim⁹, sit iudex & pars. 54.a
- 24 De terribilitate ac districtione diuini
iudicij ex parte beneficiæ dei. 56.b

I N D E X.

- 25 De terribilitate diuini iudicij ex parte iudicandorum. 58.b
- 26 Quòd diuinum iudicium fit ineffabiliter metuendum ex parte sententiæ iudicis & retributiõis finalis, quæ est æterna damnatio aut perfecta beatitudo. 62.a
- 27 De terribilitate generali iudicij ex parte signorum quæ illud præcedet. 65.a
- 28 De terribilitate diuini iudicij ex parte dispositionis in qua mundus tunc stabit. 67.b
- 29 De horribilitate extremi iudicij ex parte exercituum iudicis summi qui aderant ibi. 69.b
- 30 Quòd diuinum illud generale iudicium erit valde horrendum propter omnium intellectualium & rationalium creaturarum præsentiam. 71.a
- 31 De metuenda seueritate extremi iudicij ex parte eorum qui accusabunt iniquos. 73.a
- 32 De maxima horribilitate extremi iudicij, eo quòd de singulis fiet districtissima exactio à iudice summo. 74.b
- 33 De ordine, processu, & consummatione extremi iudicij. 78.a
- 34 Recitatio exempli terribilis, ex quo patet

I N D E X.

- patet veritas horumq; dicta sunt de terribilitate ac rigore diuini iudicij. 80.b
- 35 De tercio nouissimorum, quod est pœna inferni. 82.b
- 36 Quòd acerbitas infernalis pœnæ attendi potest ex eisdem, ex quibus consideratur grauitas vitiorum ac districtio diuini iudicij. 83.a
- 37 De multis quæ circa pœnas inferni sūt consideranda. 85.a
- 38 De gemitate infernalium tormentorum. 86.b
- 39 De acerbitate pœnarum inferni. 89.a
- 40 De diuersitate & varietate tormentorum inferni. 92.b
- 41 De vniuersitate infernalium tormentorum. 98.b
- 42 De grauitate pœnarum inferni ex parte magnæ ac miseræ & desolatiissimæ societatis damnatorum. 101.b
- 43 De dispositione loci infernalis. 102.b
- 44 De grauitate pœnarum inferni, propter irrecuperabilitatem tēporis hinc amissi & damni inde secuti, & de mala puritate infernalium tormentorū. 105.a
- 45 De pœna damni damnatorum. 106.b
- * *

I N D E X.

- 46 De acerbitate infernalium suppliciorum ex parte patientium ea. 108.a
 47 De acerbitate pœnarû purgatorij & inferni, ex reuelationibus fide dignis fidelium personarum. 110.b
 48 De pœnis purgatorij sancti Patritij. 115.a
 49 De eadẽ materia ex Tondali visione. 117
 50 De eadem materia ex libello de vita Christianæ Mirabilis. 119.a
 51 De eadem materia ex reuelationibus sancte Brigittæ. 121.b
 52 Quòd mali Christiani multò acerbius torqueantur quàm infideles. 122.b
 53 De acerbitate pœnarum purgatorij, & inferni ex his quæ leguntur in libello de obitu sancti Hieronymi. 123.b
 54 Qualiter intelligenda sint ea quæ tacta sunt ex visionibus prænarratis de suppliciis animarû in purgatorio, & in inferno. 125.a
 55 De quarto nouissimorum, scilicet de gaudiis cœlorum. 127.b
 56 Quòd pius omnipotensq; creator ad eandem beatitudinem creauit genus humanum, ad quam in exordio mûdi creauit angelorum vniuersitatem

I N D E X.

- ac sublimitatem. 192.b
 57 Quòd beatitudo sanctorum in clara & in mediata visione dei consistens, fit ineffabiliter gloriosa, iucunda, deificatiua atque dignissima. 132.a
 58 De multis & magnis atque innumerabilibus gaudiis beatorum. 134.b
 59 De multis ex quib⁹ perpèditur, quàm inenarrabiliter magna sit beatitudo, pulchritudo, ornatus & gloria sanctorum in cœlo. 137.b
 60 De beatissima & deliciosissima refectioe sanctorum in cœlo. 142.b
 61 Quòd sancti in cœlo ex omni parte habent copiosissimam rationem atque materiam multiplicem gaudiorum. 146.a
 62 De quibusdam iucunditatibus animarum fœlicium, & hominum beatorû post diem iudicij, quas angeli sancti non habent. 151.a
 63 De iucundissima fœlicitate sanctorum ex parte gloriosæ societatis eorum. 153.a
 64 De beatitudine electorum ex parte amœnissimi loci eorum. 156.b

INDEX.

- 65 De variis fructibus & gaudiis æternæ
fœlicitatis. 159.a
- 66 Excitatio cordis ad appetendum inces-
sabiliter ac feruenter beatitudinem
æternalem. 161.a
- 67 De effectibus considerationis ac desi-
derij æternæ fœlicitatis. 174.b
- 68 Exhortatio ad promerendum beatitu-
dinem æternalem, & qualiter eam cõ-
peditius promereri, & adipisci pos-
simus. 167.b

Colloquium de particulari
iudiciõ animarũ continet
articulos 40.

- Omnes nos manifestari oportet ante tri-
bunal Christi. Proœmium,
- 1 Quæstiones fratris circa prologum,
& responsio authoris ad easdẽ. 172.a
- 2 De loco ac tempore particularis iudi-
cij animarum credentium. 176.b
- 3 De particulari iudicio animarum ex
dictis beati Thomæ. 179.a
- 4 Ex dictis domini Bonaventuræ, Ale-
xandri de Hales & aliorum doctorũ
de eadem materia, & præsertim de

INDEX.

- modo, forma, ac duratione particula-
ris iudicij. 183.a
- 5 Confirmatio eorum quæ dicta sunt de
loco & tempore particularis iudicij,
ex verbis sanctorum patrum & præ-
cipuorum doctorum. 186.a
- 6 Obiectiones contra præhabita & re-
sponso ad easdem. 187.a
- 7 Solutio instantiarum istarum. 189.a
- 8 Responso ad authoritates quibus ali-
qui probare conati sunt, quod animæ
iudicentur à Christo antequam egre-
diantur à corpore. 193.b
- 9 Declaratio ex reuelationibus sanctæ
Brigitte viduæ, quod animæ iudicã-
tur post egressũ à suis corpib⁹. 194.b
- 10 Confirmatio prædictorum ex his quæ
in libro de obitu sancti Hieronymi
recitantur. 196.b
- 11 An Christus quasi in cruce positus ap-
pareat singulis ante mortem. 198.b
- 12 Vtrum horum iudiciorum duorum vi-
deatur magis horribile ac timendum,
particularẽ, an generale. 199.b
- 13 Quam metuendum sit particulare iudi-
cium. 203.b
- 14 De pœnis purgatorij. 206.a
- 15 Solutio obiectionum præcedentis ar-
ticuli.

INDEX

- ticuli. 208.b
- 16 Qualiter animæ separatae ac dæmones possint affligi & torqueri ab igne corporeo. 214.a
- 17 De alia quorundam doctorum positione circa modum quo incorporei spiritus affliguntur ab igne materiali. 217.a
- 18 Quid verius videatur de modo quo animæ separatae ac dæmones affliguntur ab igne materiali. 219.b
- 19 Prosequutio declarationis, qualiter animæ ac dæmones possint tam dire affligi à corporeo igne. 222.b
- 20 Demonstratio per exempla, quàm acerbissimè puniantur animæ defunctorū ab igne purgatorij & inferni. 224.b
- 21 Quid sentiendum videatur de visione Tondali militis, & an visio illa facta sit anima illius Tondali militis existente in corpore, an eo veraciter mortuo. 226.b
- 22 Introductio dubiorum quæ circa hæc oriuntur. 230.b
- 23 De quibusdam in visione monachi Anglicani contentis. 232.a
- 24 De purgatorio sancti Patritij. 235.b

INDEX

- 25 Dubiorum circa hæc orientium propositio. 237.b
- 26 De triplici visione. 238
- 27 Ex quibus queat cognosci aut persuaderi, quòd visiones & reuelationes, illuminationes & consolationes sint verè à deo. 241.a
- 28 Quòd visiones Tondali & monachi Anglicani, & quæ de purgatorio Patritij factæ sunt, videantur veræ & fide dignæ. 242.a
- 29 Solutio dubiorum quæ circa visionem Tondali mota sunt supra articulo. 22. 244.a
- 30 An animæ in purgatorio satis puniunt, & igne purgatorio satis purgatae, mox euolet in paradysum cælestem. 249.b
- 31 Persuasiones ex quibus apparet, quòd animæ in purgatorio satis purgatae, primò ingrediantur paradysum terrestrem, deinde cælestem. 253.b
- 32 An minima purgatorij pœna sit maior quacūque pœna vitæ præsentis. 255.b
- 33 De acerbitate pœnarum purgatorij & inferni. 257.b
- 34 De præparatione quotidiana ad mortem

I N D E X

- tem & admitte iudicium. 260.a
- 35 Qualem debeat homo imaginatione
de morte ac moriente suo cordi im-
primere, atque assidue diligenter re-
uoluere. 264.b
- 36 De tentationibus quæ agentibus in-
extremis accipere solent, & de reme-
diis contra eas. 264.b
- 37 Quomodo assistendum sit mox mo-
rituris, & quomodo ipsi se debeant
habere. 268.a
- 38 Orationes migraturo dicendæ, vel ab
his qui affuerint ei. 270.b
- 39 De specialibus orationibus tempore
mortis vel agonie. 272.b
Ad patrem tres. eodẽ b. 273.b, 274.b
Ad filium tres. 275.a, 276.a, eodẽ b.
Ad spiritum sanctũ tres. 277.b, 278.a,
eodem, b
Ad sanctissimã Trinitatẽ vna. 278.a
Ad virginẽ gloriosã Mariã & om-
nes sanctos vna. 280.a
Commendatio animæ emigrantis.
eodem, a
- 40 Quam charitatum & benignum sit
subuenire defunctis. eodem, b
Letanie, orationes, comendationesq;
quibus suos morietes soliti sunt mis-

A P P E N D I X

- nire. Carthusiani. 283.a
Testamentum. 309.b
Exemplum. 311.a
Modus redimendi animas ex purga-
torio per missas ac orationes. 314.a
Exercitia quædam alia. ibidem

F I N I S.

LECTORI.



N habes, Christiane Lector, in hoc opere, à viro non minus vita & pietate religioso, ac sancto, quam docto ac sapientii Theologo, certissima ac diuiniss. documenta, quibus non solum mortem eternam vitare possis: verum etiam tua salutis cōsulere, vitamq; eternam assequi valeas. Nullo medio, nulloque modo veram & perfectam in Christo requiē facilius cōsequimur, quam vitia fugiendo, & peccatis pristinae vitae (quorum, stipendium est mors) finem imponendo: Nihilque citius nos auocabit à peccato, quam si vltimorum meminerimus, & iuxta sententiā Sapientis vixerimus, qui ait, Memorare nouissima tua, & in aeternum nō peccabis. Adhuc Moyses verus Israelitarū pastor, à spiritu dei edoctus, nos adhortat⁹ est ut futura & nouissima prouideamus: utinam (inquit) saperent & nouissima prouiderent: Alioquin (inquit illi dominus) abscondā faciem meam ab eis & considerabo nouissima eorū: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni nouissima. Non igitur hic noster autor D I O, pietate sanctissimus, ac diuina sapientia probatissimus, abs re atque ad eū immerito de quatuor hominis nouissimis diffusius scripsit, nobisque tam preclarum & exi-

mium opus reliquit. Primo enim de morte disserit, quo studiosius & accuratius nos ad eandem preparamus, ne eternā nobisipsis acquiramus, & in secundam mortem perueniamus. Secundo, latius & copiosius agit de iudicio, ne in illud nouissimum dei iudicium horrendum incidamus. Nā (vt ait Paulus) horrendū est incidere in manus dei viuētis. Tertio, de penis inferni, exactē pertractat, ne nostro damno aut incommodo has sentiamus, & eternas penas, iusto dei iudicio debitas, hauriamus. Postremū de gaudiis celi doctē concludit: quibus perpetuo fruemur si his sanctissimis documentis, clara luce perspicuis quae tuis hoc diuino autore continentur, morem gerimus. Legamus igitur, ardentibus studiis hoc diuinum opus: sed non tantū legamus, verū etiam iuxta illud viuamus.

Nam in hoc vita & mors habetur: hanc, vt fugiamus: illam, vt amplectamur. Vale.

✚ D. Dionysij

CARTHVSIA-

ni in librum de homi-
nis quatuor no-
uissimis

PRÆFATIO.



QVENS absque consilio est & *Deut. 32.*
sine prudentia. Vtinam fa-
perent & intelligerent, ac
nouissima providerét. Hæc
verba locutus est sanctus spi-
ritus per Moysen de vniuersis iniquis ho-
minibus, in quibus non est consilium, id
est debita inquisitio de agendis, nec vera
prudentia, quæ est virtus. Agenda nan-
que & implenda sunt dei præcepta, quæ
totam hominum vitam dirigunt & guber-
nant. Qualiter autem adimplenda sint dei
præcepta, impij non inquirunt: & si eis di-
catur qualiter sint implenda, non curent: *Eccl. 8.*
sed (vt Salomon loquitur) absque vilo *Præser. 2.*
timore perpetrant mala: imò lætantur

cum malè fecerint, & exultant in rebus
 pessimis. Talium errori atque periculis
 quasi compatiens deus, ait: Utinam scie-
 rent, id est, cum gustu mētis agnoscerent
Deut. 32. quàm summè & incomparabiliter aman-
 dus, metuendus ac honorandus sit deus om-
 nipotens, qui potest saluare & damnare.
Matt. 20. Vnde in euangelio Christus hortatur. Eū
Luc. 12. timete, qui habet potestatem corpus & a-
Matt. 20. nimam perdere in gehennam. Et intelli-
 gerent hoc est, aduerterent & pensarent
 in quàm periculoso sint statu, quàm viles,
 ingrati, insipientes, damnabilisque
Eccle. 1. consistat coram altissimo. De his etenim
 Salomon dixit: Stultorū infinitus est nu-
 merus. Nonne stulti sunt omnes, qui vo-
 luntati optimi ac fidelissimi creatoris ac
 dei sui obedire renuunt, & voluntati cru-
 delissimi hostis sui diaboli obtemperare
 non cessant, qui animas suas quotidie læ-
 talibus vulneribus lædere & occidere nō
 verentur, infernalēque pœnas sibi augēt
 grauissimas atque occæcatis oculis cordis
 currunt ad inferos? De quibus per Iere-
Iere. 2. miam prophetam locutus est deus: Quid
 iniquitatis inuenerūt in me patres vestri,
 quia elongauerunt se à me, & ambulaue-
 runt post vanitatem, & vani facti sunt? &

Miseri isti (quemadmodū *Isaie. 28:*
 ta testatur) percussērunt fœdus cum mor-
 te, & cum inferno pactū inierunt. De qui-
 bus dominus subdit, Ac nouissima pro-
 uiderent. Quæ si prouiderent, inquire-
Deut. 32. rent utique quid deus ab ipsis exigeret,
Miche. 6. quid eis præceperit, & qualiter possent ei
 placere per obseruantiam præceptorum,
 per diligentem quoque & indefinentem
 cordis sui custodiam, sicque sollicitè &
 timorātè ambularent in præsentia & a-
 spectu summi ac metuendissimi iudicis
 sui. Cum ergo prouidentia nouissimo-
 rum ad huiusmodi vitam excitet & indu-
 cat, de his nouissimis in hoc tractatu au-
 xiliante domino loqui intendo, de qui-
 bus tamen alius quidam venerabilis re-
 ligiosus compendiosum edidit librum.
 Nihilominus de tam fructuosa materia
 conscribi queunt & alia multa, quæ ille
 non scripsit. Insuper sicut sancti patres
 concorditer docuerunt, Nouissima ista
 sunt quatuor.

Primū est mors corporalis, quæ est vl-
 timum ac terminus præsentis vitæ,

Secundum est iudicium dei, quod est
 vltima sententia de hominibus danda.

D. BIONYS. CARTH.

Quæ duo nouissima sunt omnibus, (scilicet electis ac reprobis) communia. Tertium est pœna inferni, quæ est iniquorû merces finalis. Quartum est beatitudo æterna, quæ est electorum præmium vltimatum, plenum & consummatum.

DE CONNEXIONE & ordine horum quatuor nouissimorum.

ARTICVLVS. I.

N omnibus operibus tuis *Ecle. 7.* memeto nouissimorum. In Ecclesiastico scripta sunt verba hæc. In quibus admonemur, vt nouissima ista iugiter ac indelebiter nostræ imprimamur memoriæ & in cunctis quæ agimus, ea pensemus, ne deum in aliquo offendamur. Porro inter ista nouissima, primû est mors, secundum est iudicium, tertium dånatio infernalis, quantum ad iniustos, ac reprobos: sed quo ad electos & iustos, tertiu est beatitudo cœlestis, ad quam quidam pertingunt absque intermedii purgatorij pœnis, videlicet infantuli baptizati ante vsum rationis morientes, ac martyres sancti & animæ perfectorû, qui pro suis culpis in vita hac satis

Aug. lib. 10. super Ge. ca. 13.

C

*Philip. 3.**Hebr. 10.**Iob. 14.**Aug. li.**de vera et**falsa pœ-**nit. cap. 18.*

fecerunt plenarie. Aliqui verò ad felicitatem illam perueniunt per purgatorias pœnas. Præterea, quanuis mors corporalis sit in seipsa valde pœnalis ac metuenda, in tantũ vt dicat Philosophus, Omnium terribiliũ terribilissimũ est mors: non tamen esset tantũ metuenda, nisi eã mox concomitaretur duo alia nouissima morte horribiliora, videlicet particulare iudicium, quod sit in obitu singulorũ & pœna inferni quantũ ad reprobos, seu pœna purgatorij, quo ad quosdam electos. Similiter quanuis tam particulare quã generale iudiciũ dei sit ineffabiliter metuendum & rigorosum, in tantã vt dicat Apostolus. Horrendum est incidere in manus dei viuentis. Et sanctus Iob. Quis mihi tribuat, vt in inferno protegat me, & abscondas me domine, donec pertranscat furor tuus? Attamen iudiciũ dei non esset tam metuendũ, nisi tam graue & æternale supplicium concomitaretur illud in reprobis, pœna scilicet infernalis. Pœna quoque purgatorij formidanda est valde: quia (vt asserit Augustinus) pœna illa excedit omnia mudi huius tormenta: quanuis martyres sancti acerbissimas sustinuerunt pœnas, & crudelissi-

mas ac immanissimas mortes. Itaque diu iudicium dei dicitur vnũ quatuor nouissimorum, per iudiciũ dei intelligi potest tam particulare iudicium: quod (vt tactum est) sit in morte quorumlibet hominum; quã vniversale iudicium in fine mundi futurum. Postremò infernale supplicium non esset tam metuendum, nisi ei esset annexa pœna damni, id est, perpetua irrecuperabilisque priuatio perfectæ ac sempiternæ salutis: qua carere magis est metuendum, quã sensibiles pœnas inferni sustinere.

Quam metuenda & amara sit mors corporalis in seipsa & ex naturalibus causis.

ARTICVLVS II.

Sicut homo naturaliter appetit esse & viuere atque gaudere: sic naturale est ei amarissimam mortem ac pœnas eam præcedentes metuere. Veruntamen homines virtuosi perfecti & sancti solent mortem optare; in quantum est terminus miseriarũ & culparum vitæ præsentis, ac ianua futuræ felicitatis. Merito etenim cupiunt mortem, qui nihil in

C ij

hinc mundo illicitè amant, vniuersâsq; seculi vanitates, voluptates, opes, honores, ac prosperitates vilipendunt & aspernantur. Ardentissimo quoque affectu ad beatificam visionem dei sui, quem super omnia toto diligunt corde aspirant atque cælestium deliciarum, ac æternæ diuitiarum desiderio inardescunt, cum propheta dicentes: Quemadmodum desiderat feruus ad fontes aquarum: ita desiderat animâ mea ad te deus: Sitiuit animâ mea ad deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciè dei? Ex tali affectu dixit Paulus apostolus: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Id est, de corpore isto mortali & grumoso. Itemque: Cupio dissolui & esse cû Christo. Nihilominus mors in se considerata, vt est amarissima pœna & amissio vitæ animalis humanæ, est naturaliter formidabilis & horréda, in tantum, quod dominus noster Iesus Christus morti propinquans, ex naturali mortis horrore sponte assumpto cœpit paucere & cadere, ac contristari. Denique talis timor mortis moderatus, est utilis quoniam retrahit hominem à delectatione carnali, & vanitatibus mundi. Qui enim

*Psal. 41.**Rom. 7.**Philipp. 1.**Marci. 14*

prudenter perpendit, quàm pœnosus finis, quàm acerba mors, quàm molestissima ægritudo sibi quotidie appropinquet: & forsân de proximo instet, à dissolutione & vana securitate, à iocis, ludis, & risibus se refrenat, dicens cum Salomone: Risum reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid frustra deciperis? Sicque ex corde sentit verum esse quod rursus sapientissimus Salomôn testatur. Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In illa enim, (videlicet in domo luctus) finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurus sit, & quid ei eueniet. Hinc, vt ait scriptura: Beatus homo qui semper est pauidus. Hinc quoque gloriosi doctores Hieronymus & Augustinus describunt, quod Plato nobilis & sublimis Philosophus, relicta delitiosa & pulchra Atheniensium ciuitate, cum quibusdam suis discipulis commorari elegit in villa quadam antiqua & ruinosa, frequenti terræ motu & tempestatibus penè euersa, quatenus timore periculorum ac mortis mortificarent in se vitia carnis, & à concupiscentiis cæterisque peccatis se refrenarent. Si gentiles magistri egerunt hoc, quanto

*Eccle. 2.**Eccle. 7.**Prov. 28**Hieronymus contra**Iovinianum.**libr. 2.*

magis Christiani deberent seipfos à defe-
ctationib⁹ timore mortis reprimere: Præ-
terea, vt ex præmeditatione mortis oria-
tur in nobis talis timor salubris, confide-
randa est dispositio morientis. Intuere er-
go, quemadmodum imminente terribili
hora separationis animæ à corpore suo, ad
quod naturale habet inclinationem &
amore, totus homo pallefcatur; pedes refri-
gescant, infirmæ manus nigrescât, vultus
discolor etur, oculi tenebrescât ac profun-
dantur, & præ intoleabili pœnarum an-
gustia euertantur. Vide quomodo pili la-
bantur, frons obduretur, membra cun-
ctâ rigescant, mentû ruat, labia infrigidê-
tur, os etiam contrahatur, pulsus caput et;
halitus quoque ex profundo seipsum re-
colligens deficiat: & ecce mox ad sũnt pũ-
cturæ mortis & pressuræ mortiferæ, acu-
leum suum vsque in cor (quod est primũ
viuens & vltimum moriens) imprimen-
tes, tunc demum superuenit & erumpit
sudor mortis, naturam iam victam esse de-
monstrans: sicque prævalentibus pœnis
corumpitur præ dolore, & anima de ha-
bitaculo suo eiicitur. Si hanc morientũ
dispositione pensemus, & nobis in breui-
tali ter euenturũ diligenter quotidie per-

Philoso.

pendamus, non dubium quin salubrem
concupiamus formidiam mortis.

*Quid mors sit vehementer ac iugiter me-
tuenda, propter periculosissimas atque gra-
uissimas tentationes, quas habere solent ago-
nizantes mox morituri.*

ARTICVLVS III.

Descendit ad vos diabolus habens
iram magnam, sciens quia modicum
tempus habet. Calidissimi atque nequif-
simi hostes animarum nostrarum: demo-
nes, agnoscentes mortem esse terminum
merendi, ac demerendi; & animas in ea
affectione, in qua per mortem recedunt à
corporibus, immutabiliter permanere,
in ipsa hora mortis acerrimè tentat ago-
nizantes. Quosdam enim conantur ad
desperationem inducere, eos præfer-
tim, quorum vita fuit negligens & ini-
qua: alios verò nituntur ad complacen-
tiam sui immoderatam, atque ad inuicem
securitatem & præsumptionem suorum
trahere meritõ: & sic solent quosdam
relegiosos ac bonos seculares tentare.
Nonnullos tentant de impatientia pro-
pter infirmitatem suarum acerbiteratum;

Apo. 12.

aliquos autem tentant in fide, conantes eos ad aliquid veræ fidei cōtrarium, vel ad blasphemiam excitare. Cæteros (potissimè seculares) tentant de nimia occupatione circa temporalia quæ reliquunt, & circa propinquos, & circa dispositionem rerum suarum. Insuper eundè agonizantem frequenter tentant pluribus modis iam tactis, vel etiam aliis. Quæ enim ad desperationem, infidelitatè, aut impatientiam pertrahere nequeunt, ad spiritalem superbiam, gloriam vanam, complacentiam sui ipsius insipientem, aut præsumptionè inducere moliuntur. Et quavis iam dictum sit, quòd iniquos & negligentes soleant specialiter de desperatione tentare. Iustos autem de complacentia vana & præsumptione: attamen interdum contingit quòd etiam viros valde virtuosos & perfectos hora mortis tentent de desperatione, infidelitate, aut de blasphemia, sicut leguntur sanctum Eusebium beati Hieronymi charissimum discipulū diu atque acerrimè impugnasse. Aliquando quoque quosdam negligètes religiosos, prauosque seculares periculosissimè tentant in extremis de nimia securitate, ita quòd parum aut nihil veren-

Lucta Eusebii in extremis.

tur dei iudicium, nec sua deplorant peccata suggerentibus eis demōnibus misericordiam dei esse immensam, & peccatorem consequi veniam, quacunque hora pro suis genuerit culpis. Itaque contra omnia hæc tentamenta oportet agonizantè esse munitum: & nisi ante suam infirmitatem fuerit contra hæc armatus virtutibus, & arte ac vsu pugnandi cōtra inuisibiles hostes instructus & exercitatus, aut vix aut non præualebit tempore mortis, nisi forsitan ex valde speciali & gratioso auxilio dei, & angeli sui sancti, seu virginis gloriose, seu matris eius beatissimæ Annæ, aut aliorum sanctorum. Etenim deus piissimus & angeli eius, ac sancti in hora tantæ necessitatis non desunt electis, sed prout antè aliquo modo promeruerunt agonizantes, sic eis subueniunt. Debent ergo agoniâtes esse firmi in fide, atque in fide totius vniuersalis ecclesiæ securissimè mori, nec cōtra demones de fide tentantes disputare, sed ipsos potius deridere, & ad implorandū pietatem & gratiam dei corda sua conuertere. Præterea, contra tentationem desperationis debent esse armati spe pietatis diuinæ, & certi esse quòd misericordia

Eccl. 18.

Contra desperationem spe pietatis

divina.
Matth.
27.

omnipotentis maior sit in infinitū, quā
vniuersā prauitas nostra: imō quōd in hō
ra illa non possint grauius deum offen-
dere, quā de sperando de pietate & gra-
tia eius, & quōd Iudas traditor magis pec-
cauit desperando, quā Christū dei filiū
tradendo: vt sanctus testatur Hierony-
mus. Porro contra tentationem de im-
patientia debent se per patientiam veram
armare, & ex contritione & considera-
tione culparum suarum, ex recordatione
quoque amarissimæ passionis domini nō-
stri Iesu Christi omnem suam infirmita-
tem & afflictionē æquanimiter tolerare.

Cōtra cō-
placentiā
suorū me-
ritorū di-
uinum in
dicium.

Cōtra tētationē verō de cōplacencia sui
& præsumptione meritorum suorū, ac ni-
mia securitate debent esse muniti confi-
deratione occultorū iudiciorum altissi-
mi, & quia ignorant an sint digni amore
vel odio, & item q̄ in multis valde cul-
pabiles sint, de quibus ipsimet sibi cōscij
non sūt. Atq; ex hoc quōd multi sancti
viri etiam in extremis iudicium dei val-
de extimuerunt, sicut in Vitilpatrum nar-
ratur de sancto abbate Arsenio, quōd cum
in extremis videretur magnum habere
timorem, dixerūt ei discipuli sui: Pater, in
veritate & tu times? Respondit, Ti-

Arsenio
abbas.

mor qui nunc in me est, semper fuit in
me. Conformiter sanctus vir Abbas A-
gathon in hora mortis valde formidans,
alia (inquit) sunt iudicia dei, alia homi-
num: imō vir sanctissimæ vitæ abbas Si-
siois, cum sibi Saluator dominus Iesus
Christus tempore mortis visibiliter appa-
reret, rogauit vt dominus permetteret
se adhuc modicum pœnitere. Verunta-
men si quis in agone tentetur de diffidē
tia, pusillanimitate aut de desperatione,
potest sua merita ad memoriam reuoca-
re, & ex eorum consideratione spem &
magnanimitatem assumere: sic tamen vt
ea deo & gratiæ eius, non viribus suis at-
tribuat. Spes nāque est certa expectatio
futuræ foelicitatis, ex gratia dei & me-
ritis sperantis procedens. Hinc .xxij. Mo-
ralium scribit Gregorius: Sicut dum vi-
uimus debemus bona nostra à memoria
nostra repellere ne extollent, ita appropin-
quante exitu ea plerunque iustē ad
memoriam reuocamus, vt fiduciam præ-
beant, & desperatum timorem preman-
t. Nempe (vt Climachus docet) diabolus
homini sano persuadet deum esse infini-
tē piissimum & pronum ad indulgendū,
quatenus homo paruipendat peccata, at-

Abbas.
Agatho
Sisiois ab-
bas.

Cōtra diff-
identiam
suorū a-
potest bono
rum fiden-
tia pia.

Spes quid
est.

Gregoriū.

Ioannes.
Climas.

diaboli tē que audentius peccet. Agonizanti autem *dicula cir* persuadet interdum, deum esse rigorosif-
ca moritu simum, & peccata sua esse multa & pro-
rum.

fus gravissima: imò peccata non confel-
sa, oblita, occulta ad memoriam tunc re-
ducit, vt homo diffidet. Idcirco tunc ex-
pediit priora merita reminisci. Amplius
præter tentationes præactas tentant ini-

Remediū quissimi dæmones multos agonizantes,
cōtra ten- seu grauitè infirmantes, de spe conua-
diculas lescendi, ita vt confiteri non curent, nec
has, Spes debite præparent se ad mortem, sed
cōualescē- subito mortis amaritudine obruantur ac
tie. pereat: Vnde octauo Moralium ait Gre-
gorius: Reproborum mens tanto amore
Grego. circa præsentem vitam constringitur, vt

quanuis corpus molestiis quatiatur, vici-
na mors virtutem vinculis spiritus inter-
cidat, adhuc tamen mortem longè ab-
esse existimet, nec ea quæ mundi sunt cu-
rare desistant, nec in eis viuendi spes
frangitur, etiam dum vita terminatur.
Dura etenim mente abesse mors longè

Contra tē creditur, etiam dum sentitur. His igiur
tationē re consulendum, vt huiuscemodi spem in-
cuperādæ certam, periculosam, vanam abiiciant,
salutis. atque ad mortem toto conatu se præpa-
rent, quoniam dato quòd sint sanādi, ta-

lis tamen præparatio non oberit, sed pro-
derit eis, nec ex ea sunt morti vicinio-
res. Postremò, & id quod mortem reddit
vehementer terribilem, quòd vnicuique
morieati malignus spiritus in sua turpif-
sima specie creditur apparere, cuius aspe-
ctus quàm sit pœnalis exprimi nequit.
Nam & sacratissima Virgo maria legi-
tur, suum filium, cum adhuc esset cum ip-
so in terra, orasse, ne moriens quemquam
spirituum cerneret immundorum. Ali-
qui quoque defuncti & resuscitati, post
suam resuscitationem retulerunt viuē-
tibus, quàm copiosè ac terribiliter dæ-
mones eis apparuerunt ante egressum de
corpore & post egressum. Ex his itaque
innotescit, quàm metuenda ac iugiter
præcogitanda sit mors & quàm indefinē-
ter debeamus nos ad eam disponere, atq;
ad vincendum tentationes præactas tunc
occurrentes quotidie nos armare iuuen-
tutis sanitatisque tempore.

Dæmonis
aspectus
horribilis
morituris.

Præparatio

Quàm metuenda & præmeditanda sit
mors, eo quòd post eam non est relictus ad statu-
tum promerendi, præstendi, & recuperandi
neglectam gratiam & salutem.

Eccle. 11.

Salomon ait: Vbicunque ceciderit lignum, ibi erit: siue ad Austrum, siue ad Aquilonem. Per lignum intelligitur homo, per casum mors, per Austrum feruor charitatis & gratia spiritus sancti, per Aquilonem, iniquitas. Est igitur horum sensus verborum, quod in quocunque affectu obierit homo, in illo æternaliter permanebit, ita quod si obierit in charitate & gratia spiritus sancti, nunquam à diuino auertetur amore, etiam quanuis in purgatorio grauissimè puniatur. Si autem obierit in auersione à deo, & in quacunque vitiosa affectione, manebit in conuertibiliter atque perpetuò in illa auersione & praua affectione. Idcirco damnati nūquam veraciter pœnitent, & quanuis doleant de suis peccatis secundum quod per ea meruerunt, & iaciderent in tantam calamitatem, nō tamen dolent de eis in quantū sunt peccata & dei offensua: imò diligunt vitia, & cupiunt pristinis vitiosis delectationibus frui: deum verò intentissimè & ineffabiliter odiunt, blasphemant ac maledicunt. Hinc asserit **Damasceus**: Quod angelis fuit casus, hoc hominibus est

Status in charitate discedentium.

Status auersorum. Dānatis nō est pœnitentia.

Ioannes Damasc.

Mors. Angeli nanque apostatae in sua auersione, propter quam ceciderunt atque damnati sunt, percaniter perseverant, quemadmodum de vitiosis hominibus morientibus dictū est. Itaque, quia post mortem amplius promereri, pœnitere, resurgere non valeamus: debemus mortē seu potius mortem imparatam maximè formidare, & mortem nobis incessanter appropinquantem assiduè præcogitare, ne (quod absit) cōtingat nos ad eam imparatos venire, sicque irrecuperabilia damna & irremediabilia mala, (quæ sunt maximè metuenda ac fugienda) incidere, vtrupta damnationē æternam, & summā felicitatis carentiam, omniumque diuinorum amissionem **charismatum**, videlicet **damna gratiæ ac virtutum**, per quas ad felicitatem pertingitur. Hinc **Disposi-** debemus nos per sanctā conuersationem **tio ad** indefinenter ad mortē disponere, & cō- **mortem.** uersionem pœnitentiāque nequaquam **discerens** differre, imò iugiter esse parati ad mor- **ri quid.** tem: & hoc est scire mori, ac salutaris scientia moriendi, quam discere est seipsum quotidie spiritualiter mortificare, hoc est, praua desideria extirpare, propriam frangere voluntatem, abnegare & vin-

pœnitentia post mortē nō potest.

Dispositio ad mortem discerens mori quid.

re se metipsum, nihil nisi in deo, & secundum deum, ac propter deum appetere, atque poenitentiae actibus sollicitè immorari. Hinc hortatur scriptura: Non

Eccle. 5.

Ibidem.

Ioa. Cli.

Intentio

Diaboli.

Eccle. 9.

1. Cor. 15.

tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim ueniet iram illius, & in tempore vindictae disperdet te, nisi sic egeris, Et rursus: Non adicias peccatum super peccatum, & dicas, Misericordia domini magna est, quia in peccatores respicit ira dei, Ideo Climachus loquitur: Non suscipias canem illum, puta diabolium, suggerentem tibi deum esse benignum: sed tunc benignitatis dei memento cum in profundam desperationem te videris trahi. Intentio namque canis illius, est luctum poenitentiae & timorem mortis repellere à te per talem suggestionem benignitatis diuinae. Audiamus & impleamus quod Salomò exhortatur: Quodcumque bonum potest facere manus (id est virtus) tua, instantè operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia: runt apud inferos, quò tu properas. Hinc vas electicenis Paulus monet apostolos: Stabiles estote & inmobiles, abundantes in opere domini semper: scientes, quòd labor uester non est

inanis.

inanis in domino.

Salubris imaginatio de dispositione hominis morientis.

ARTICVLVS. V.

OMnes morimur, & quasi aquae dilabimur in terram quae non reuertitur. Sanctus rex Dauid lugens filium suum Absolonem, quem sciuit in multis & magnis obiisse peccatis, dixit: Fili mi Absolon, Absolon fili mi: Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te? Absolon fili mi, fili mi Absolon. Itaque ad prouocandum in se compunctionem atque salubrem mortis timorem, ad expellendum negligentiam & omnem accediam, ad agrediendum viriliter & absque dilatione opera poenitentiae virtuosamque vitam, plurimum confert diligenter imaginari, ac intueri dispositionem hominis agonizantis, qui improuise letalem egritudinem incidit. Vide itaque hominem in media periodo vitae humanae subito incidisse languorum mortiferum, qui fuit donis naturae ornatus, bonis fortunae abundans, atque in desiderijs suis vsque ad infirmitatem huiusmodi conuersatus. Aspice quam desolatus in lecto decubat, quantis prematur angustiis & tormentis cor-

2. Reg. 14

2. Reg. 18

Aspectus morientis hominis.

D

poris, quàm maximis periculis sit vallatus, qualiter inuisibiles hostes ad eum impugnandum accelerent, quàm horrendum iudicium ei immineat, quàm intolerabilia ei propinquet supplicia. Aduerte eius suspiria, singultus, querelas, & lachrymas, poenitentiam seram atque (vt formidandum est) infructuosam. Audi eum dolorosè dicentem: Heu quàm crudelis afflictio me inopinatè iuasit, quàm dira ægrotudo me præhabita sanitate priuauit. Ach in quos fluctus tristitiæ corruui, qui paulò antè in tanta iucunditate, prosperitatèque vixi. Quid mihi iam profunt delitiæ fœdæ, quibus æternam infernalis incendij poenam promerui? quid me iuuant modò corporales diuitiæ, quibus hæctenus abundaui? ex quibus intumui, & quib⁹ tam impudèter abusus sum, & calamitatè, sitim, exustionem illà perpetuà pati iā merui, in qua gutta aquæ pro refrigerio mihi negabitur? O quàm libèter cunctas meas diuitias pro recuperanda sanitate exponerè? Quid mihi nunc conferunt dignitas & potestas, prosperitas, honor, & gloria: quibus hucusque in sæculo florui, & propriam, defectuositatem, fragilitatem, & mortalitatem pensā-

*Repete op.
presti voc.
ponderan.
da.*

re neglexi, atque stultissimè superbiui, quasi omnia illa habuerim à meipso, & tanquam relicurus nō fuerim, nec rationem daturus de eis esse iudici summo? Et nunc recordatio omnium horum parit mihi mœrorem, iugè tristitiam, quòd tam repète & improuise vniuersa illa relinquere cogor: Vbi iam vana & malè iucunda societas, vbi corporis decor, fortitudo, agilitas? Assunt cōsanguinei & carnales amici, periculosè me cōsolantes, & prophetantes mihi, quòd ex ægrotudine ista moriturus aon sim: cum sentiam mihi vires incessanter deficere, puncturâsque mortis ad cordis transforationem & suffocationem appropinquare. Heu, heu, quàm malè & negligenter, quàm carnaliter & insipienter, quàm non solùm infructuosè, sed & viciuosè tēpus mihi concessum consumpsi in vanitate & presumptione, in gula & incontinentia, in ludis, iocis ac risibus, in cōfabulatione & otio. Ecce considero iudicem metuendum, cuius tribunali mox præsentabor, quem toties tamque enormiter inhonorauit, offendi, reliqui. Ideo timor & tremor me penetrant, quia cognosco immensitatem iustitiæ eius, & quàm occulta ac rigorosa

Rom. II. *sa* sint iudicia eius. Heu quò me vèrtam? pœnitere volo, sed ex seruili timore, vt sentio. Cur enim contristor quòd præfata omnia quæ malè amaui, relinquere nunc compellor, nisi quia adhuc diligè ea, nec cum tali dilectione charitas dei habetur? Quid ergo facturus sum? Desperare prohibeor, & sine meritis sperare videtur inanè. Et quanuis non ignorè adhuc aliquòd superesse remedium, vt scilicet, dominù inuocem, quatenus veræ contritionis gratiam mihi dignetur ex sua pietate immensa infundere: nunc tamen ratio mea sic obscurata est & impedita à libero vsu ac recto iudicio, ex magnitudine afflictionum mearù, ex vehemètia angustiarum, ex multitudine & confusione phantasiarum, ex dolibitate capitis ac dyscrasia naturæ emergètium, ex timore & tremore, ex desolatione & mœrore, ex inuisibilibus hostium suggestione & impugnatione, vt ad deum synccerè aspirare vix queam, nec vitiorum meorum enormitatem rectè perpendam, sed solo horrore ex eorum consideratione concutior. Doleo tamen quòd de eis nò plenius doleo, nec desperationem admitto. Verùm quis nouit au hoc modo

Spes vacua sine meritis.

veniã imbettrabo? O quàm periculosum, *Dilatio* peruersum, incertum & fatuum est (sicut *pœnitètia* nunc experientia docet me) conuersio- *quam penem,* pœnitentiãque differre, tempus *riculosa.* vanè expendere, gratiamque iuuentutem non deo per vitam virtuosam offerre, sed ad creatoris iniuriam, per conuersationem impiam, scandalosam, carnalem immolare eam diabolo. Nunc ergo ò vniuersi astentes me miserrimù rãquam speculù intucamini, ex meo periculo & dolore cauti efficiamini: sc̄elix enim quem faciunt aliena damna peritum. Tutam *Tempesti* ligite viam, tempestiue cœuertatur mens *uè conuer* vestra ad dominù, quatenus mortis tem- *tenda vi-* pore ex memoria vitæ præteritæ virtuo- *ta ac mēs* sè transactæ, consolationem sortiatur cor *ad deum.* vestrum. Denique, inclytus ille princeps nomine Mago frater Hannibalis regis ac imperatoris Carthaginensis, dirò vultu propinquans ad mortè, ait: Heu qui finis fortunæ? quàm stultum est gaudere loco sublimi atque præcipiti? status potentum subiacet procellis innumeris, cuius finis est ruerè. Heu tremulum magorum culmen honorum, spes hominum fallax, atque inanis gloria illita fictis blãdititiis. O vitã incerta labori perpétuo de-

bita. Quid mihi nunc prodest domos & fortalitia incendisse, vbes vastasse, homines perturbasse? Quid me ô charissimæ frater iam iuuat alta & aurea, marmorea, eburnea erexisse palatia, qui sub diuo nunc morior? Quanta animo paras, ignarus finis acerbi. En ego decedo, te cito secururum agnosce.

De diuersis affectibus qui oriuntur ex consideratione atque timore mortis.

ARTICVLVS. VI.



Eccle. 9.

Iohannes Climac.

Nescit homo finē suū, sed sicut pisces capiūtur hamo, & aues laqueo: sic homines tempore malo, cum eis extemplo superuenerit. Quemadmodū sanctus vir Climachus ait, Sicut panis necessarius est homini præ cæteris alimentis, ita intentameditatio mortis necessaria est homini præ alijs donis & exercitijs bonis. Aliqui autem in tantum quærunt in delicijs sine tristitia viuere, quod nec audire volūt, nec cogitare, nec loqui de morte. Qui de exilio sibi faciunt patriam, de valle lachrymarū ac fletuum, paradisum, quib⁹ Saluator ait, Væ vobis qui

habetis consolationē vestram: Væ vobis qui ridetis nūc, quia plorabitis & flebitis. Aliqui verò ita indurati sūt corde, quod nec ex inspectione morientū, nec ex memoria mortis, nec ex iutuitu sepulchrorū & ossium mortuorū cōpunguntur, verentur & emendantur: imò ossa illa cōspiciūt velut saxa, sepulchra vt fossas, siue monticulos: nec plus emolliuntur ex inspectu morientū hominū, quàm brutorū, & tanquam ipsi nō essent mortales, sic aspiciūt morientes. Verūtamen si frequenter & attentē cogitent mortē, & quæ eam sequuntur, dispositionēq; moriētis, & eius tentamēta, pressuras atq; pericula, citō emolliuntur ad pœnitendū, ad metuendū, ad emendandū vitam suā in omnibus. Prim⁹ ergo effectus ex consideratione mortis I. proueniēs, est ipsam mortē timere, iuxta illud in Psalmo, Formido mortis cecidit super me: Timor & tremor venerunt super me. Porro timor sollicitudinē, ac diligentiam parit. Timor namq; reddit hominem sollicitum ac diligentē ad cauendum mala quæ metuit, seu propter quæ aliquid timet. Idcirco secundus effectus ex meditatione mortis confurgens, est sollicitē ac diligenter mortem (hoc est mortem

Luc. 6.
Effect⁹. 6.
ex meditatione mortis.

Psal. 54.

Partus tibi mortis quæ.

II.

Conside- imparatam) cauere, quod nihil aliud est, rationis nisi de culpis præteritis pœnitere, & à fu mortis vti turis vitis abstinere. Ideo consideratio litas. mortis inducit hominem ad pœnitentiam salutarè: cuius partes sunt, vera contritio, plena confessio, satisfactioque con digna quæ omnia ex timore mortis nascuntur. Hinc Salomon loquitur, Sapiens timet & declinat à malo. Tertius effectus ex meditatione mortis emanans, est consideratio & humiliatio propriæ fragilitatis & mortalitatis. Ideo ait scriptura, Quid superbit terra & cinis? id est, car homo ex terra factus, & in cinere ac puluere resoluendus, extollit se, non pensans propriæ conditionis defectuositatem. Quartus effectus ex meditatione mortis scaturians, est depositio terrenarum curarum, turbationum & inquietudinum seculi huius. Qui enim mortem dignè perpendit, non curat nisi qualiter ad securam & foelicem perueniat mortem: ideo sollicitudines, turbationes, inquietudines carnales ac seculares repellit à corde suo. Quintus effectus ex meditatione mortis conscendens, est totius inordinatæ affectionis ad creaturas abiectio, & feruens integrèque conatus placendi deo;

sicq; meditatio mortis intenta, facit hominem omnem terrenam & carnalè consolationem despiciere, & tota mente esse suspensum ad obtinendum veram salutè. Sextus effectus ex meditatione mortis profiliens, est consolatio & gaudium in spiritu sancto, qui effectus conuenit sanctis hominibus, qui mortem tãquam terminum miseriarum & culparum vitæ presentis, & tanquam ianuam vitæ beatæ sequentis ex corde desyderant, vt dictum est. Quemadmodum enim consideratio diuini iudicij timorè parit imperfectis, consolationem verò perfectis, quibus in euangelio ait Christus, His autem (videlicet signis & præambulis iudicij) fieri incipiunt, leuate capita vestra, id est, corda lætificate, quia appropinquat redemptio vestra: Ita consideratio mortis, imperfectis gignit formidinem, perfectis lætitiã. Veruntamè (sicut præhabitum est) interdum quoque homines perfecti & sancti mortem iudicijque formidant, secundum quod spiritus sanctus in diuersis electis & sanctis diuersimodè operatur. Consequenter ergo de præactis effectibus ex meditatione mortis procedentibus aliquid plenius est dicendum.

Luc 21.

De primo effectu meditationis mortis, videlicet de pauore, quem sustinent morientes.

ARTICVLVS. VII.

Effectus dictus supra suscipit explicat.



Vanus de isto morientium timore, & cur ac qualiter metuenda sit mors, dicta sint multa, aliqua tamen iam ex verbis Gregorij, sunt addenda: Ait ergo sanctus ille vicesimo quarto Moralium, Electi quique sollicitè considerantes æternus iudex quàm districtus veniat, terminum suum quotidie prospiciunt; & ante seueritatem tantæ iustitiæ quas rationes vitæ suæ sint posturi, attendunt, & si cuncta praua opera quæ potuerunt intelligere, deuitarunt, venturi tamen coram districto iudice illas culpas amplius pertimescunt, quas per momenta temporum ipsis instabilibus & incertis cogitationum motibus perpetraverunt, nec tamen eas intelligunt. Facile est autem opera peruersa vitare, sed nimis difficile est ab omni illicita cogitatione cor præseruare. Cùmque de omnibus his semper districta dei iudicia pertimescunt, tunc tamen hæc vehemen-

Domina-
ri cogita-
tionibus
haud faci-
le.

tius metunt, cùm ad soluendum humanæ conditionis debitum venientes, districto iudici propinquare se cernunt, & timor ille tantò sit acrior, quantò & retributio æterna propinquior. Crescit pa- uor vrgente carnis solutione. Tunc ante oculos cordis inane nil transuolat de phantasmate cogitationis, quoniam omnibus vanis è medio subductis, ipsi morientes se & illum tantùm considerant cui propinquant: & si ea bona quæ sciunt nunquàm prætermisisse se meminerint, formidant tamen illa quæ nesciunt, quia se ipsos plenè diiudicare atque cognoscere nequiverunt. Ideo vrgente exitu subtiliore & secretiore metu terrentur. Nec enim inmerito cuiuslibet anima tunc terretur, quando post pusillùm inueniet quod in æternum vitare non possit, præsertim quia & bonis eius actibus multa mala fuerunt permixta. Hæc Greg. Deniq; ex hac cõsideratione sanctus Iob dixit, Deus solus est, & cogitationem eius nemo avertere potest, & quæcũq; voluit fecit. Iob. 23. Ido à facie eius turbatus sum, & cõsideras eum timore sollicitor. Itẽmq; Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres domine delinquenti. O homo iadurate, do. Iob. 9. Similitu- do.

cur brutis infeniator es? Ecce fugit ouis lupo apropinquante: abscondit se tremens columba viso accipitre: de antro suo egredi esuriens mus non audet, muricape ambiente: & tu videns mortem horrendam atque iudicium rigorosum tibi instare, non metuis?

De secundo effectu qui ex intenta mortis meditatione consurgit.

ARTICVLVS VIII.

Dent. 4.
II.

Custodi temetipsum & animam tuam sollicitè. Negotiatores per rura & periculosa itinera gradientes, tantò diligentius custodiunt semetipsum, & tantò formidolosius proficiscuntur, quantò viam suam putant pluribus fortioribus, ac crudelioribus inimicis vallatam, quò etiã pretiosiores secum deferunt merces. Nos igitur qui in seculo isto exules sumus & peregrini, quorum tota conuersatio in hoc mundo est cursus ad aliam vitam, cù sollicitudine tantò maiore, cum timorè tantò plus acriore, cum circumspectione atque custodia tantò incessabiliore per iter vitæ præsentis debemus incedere: quantò certius scimus quòd innumera-

1. Para.
29.

bilibus, ferocissimis, calidissimis, fortissimis, inuisibilibus hostibus sumus circumdati: quorum totus conatus est nos secum æternæ dånationi inuoluere: quanto etiã nobiliora gratiarum charismata intra nos ferimus, atque quò maius bonum nobis moluntur auferre, vtpote deum bonitatis immensæ, & beatificam eius fruitionem. Hinc iuxta scripturam, homo sapiens in omnibus metuit. Et, Beatus homo qui semper est pavidus: atque cum metu, timore & tremore nostram operari salutem iubemur. Ad hanc denum sollicitudinem spiritalem, custodiãque internam ac circumspectionem peruigilem, incitat & perducit nos timor mortis, ne ad imparatam mortem perueniamus: sicq; timor iste salubris, facit nos præterita vitia deplorare, castigare & satisfacere pro eisdem, atque ab omni labe peccati cauere: quemadmodum scriptum est, Quasi à facie colubri fuge peccata: quia per hoc ad desiderabilem ac salutrem pertingitur mortem. Hinc xiiij. Moralium ait, Gregorius, Electorum mentes quo amplius æterno iudicio propinquare se sentiunt, eò ad discutiendum se ipsos terribilius excitantur ac properant:

Eccle. 18.
Proue. 28
Philip. 2.

Gregor.

& si quas in se carnales, & iniquas cogitationes nunquam conspiciunt, poenitentiae has ardore consumunt, quia propinquum sibi iudicium iugiter suspiciantur. Porro reproborum mentes multa nequiter agunt, quia se hic diu viuere arbitrantur. Iusti uero dum breuitatem uitae suae considerant; elationis & immunditiae culpas declinant. Qui enim considerat qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione: Nihil transitorium appetit, cunctis carnalibus uitae praesentis desideriis contradicit. Hinc ut libro tertio Regum narratur. Ahab rex Israel audita comminatione mortis sibi facta ore Eliae, scidit vestem suam, & operuit corpus suum cilicio, ieiunauitque & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Conformiter legitur apud Ionam, quod rex Niniuae audita praedicatione Ionae, quod scilicet ciuitas Niniuae post quadraginta dies mox euerteretur, surrexit de folio suo regali, & abiicit uestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Atque praecipit ut homines & iumenta non gustent quidquam nec bibant, & operiantur saccis, & clament ad deum in fortitudine, & conuertantur unusquisque a

uia sua mala. Denique consuetum est cunctis fidelibus confiteri & poenitentiam agere, quando putant aut sciunt se proxtinus morituros. Cum ergo ad unquamque fidelem pertineat, quemlibet diem uelut ultimum computare, eumque taliter ordinare, occupare, expendere tanquam in ipso sit moriturus: debemus ex consideratione mortis nos statim per contritionem, confessionem, emendationem, & satisfactionem ad mortem disponere: imo cum tota uitae nostrae duratio in hoc mundo sit tanquam momentum comparatione durationis perpetuae uitae futurae, debet unusquisque totum spatium uitae huius tanquam unam horulam reputare, atque cum omni diligentia & seruo se absque dilatione ad mortem felicem parare, sicque rebus transitorijs uti, non frui tanquam eas celerrime relicturus. Ad quod hortatur sanctus Apostolus: Tempus, inquit, breue est: Reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non utentes: praeterit enim figura huius mundi. Ex qua utique consideratione beatus Iob exorauit; Parce mihi domine, nihil enim sunt dies mei. Et rursus, Paucitas dierum meorum si-

*Consuetudo
do laudanda
fidelium*

*Breuitas
uitae praesentis.*

1. Cor. 7.

Iob. 7.

3. Reg. 21

IONA. 3.

Iob. 10. nictur breui. Dimitte ergo me, vt plan-
gam paululum dolorem meum antequã
vadam, & non reuertar ad terram tene-
Matt. 22 brosam, in qua (vt asserit veritas) fletus
Luc. 11. & stridor dentium ac tenebræ erunt. Ve-
August. rum (vt loquitur Augustinus) ideo vita
hæc interdum longa videtur, quia adhuc
durat, vrget, & agitur, sed quum fuerit
terminata, si finis eius inciderit, appare-
bit quàm breuis extiterit. Quod sanctus
1. Par. 29 Dauid in seipso experiens cum septua-
ginta annis vixisset, loquutus est deo, Pe-
regrini sumus corã te & aduenæ. Dies no-
stri quasi vmbra super terram, & nulla est
mora. Vnde & Iacob patriarcha interro-
Gene. 47 gatus à Pharaone rege Aegypti, Quot
sunt dies annorum vitæ tuæ? respondit,
Dies peregrinationis vitæ meæ super
terram centum triginta annorum sunt,
parui & mali. Imò si quis mille annis, &
(quod maius est) ab exordio mundi vs-
que ad hanc horam vixisset, & nunc esset
moriturus, totum tempus præteritum vi-
deretur sibi quasi momentum, præsertim
dum aciem mentis dirigeret ad imminen-
tem sibi futuræ vitæ æternitatem. Ideo
horum consideratione debemus virili-
ter opera poenitentiae aggredi sine dila-
tione,

tione, præsertim cum nihil stolidius sit
quàm tempus, in quo omni hora valemus
tot bona peragere, in charitate, & omni
virtute proficere, æternæ felicitatis glo-
riam & augmentum mereri, non solum
otiosè, sed & vitiosè consumere. O quàm
negligentem ac fatuum reputaremus ne-
gotiatorem, qui omni hora posset cætum
floreos lucrari, & tamen hoc ipsum ne-
gliceret, otioque vacaret, aut certè vltra
hoc suam dissiparet substantiam. Nonne
ineffabiliter insipientior esse cõuincitur,
qui cum omni hora possit in preciosissi-
mis spiritus sancti charismatibus crescere
ac ditari, atque in cælis æternæ felicitatis
incomparabilem augere thesaurum,
nò solum tot & tanta negligit bona, sed
in super nudat, depauperat, lædit, perimit
& condemnat nobilem animam?
Itaque quicquid ad moriendum salubri-
ter, reddit nos imparatos, tanquam infer-
nale abhorreamus ac deuitemus venenũ:
cuncta quoque quæ ad securum finem di-
sponunt, & ad emigrandum de corpore
confidenter, efficiunt nos dispositos, am-
plectamur & exequamur.

*Homine
negligenti
stulti mi-
bil.*

*Cõpara-
tio.*

De tertio effectu ex meditatione mortis
nascente.

ARTICVLVS. IX.

2. Cor. 13.
1. 11.



AN nō cognoscitis vosmet-
ipsos? nisi forsan reprobi si-
tis. Tertius effectus ex intē-
ta mortis præmeditatione
procedens, est consideratio
& humiliatio propriæ fragilitatis, morta-
litas, & defectuositas. Quidam enim
considerationi suæ nobilitatis, pulchritu-
dinis, iuuentutis, opulentiæ, potētis, famæ,
honoris, scientiæ vel prosperitatis ita in-
tensi sunt, quod se ipsos verè cognoscere
negligunt, & præacta dona fortunæ aut
naturæ plus appetantur atque magni-
ficant, quam veritas patitur. Idcirco in-
tra se stolidè intumescunt, & aliis se
præponunt, proximōsque despiciunt,
etiam illos qui in spiritualibus & super-
naturalibus donis & gratiis, meritis, ac
virtutibus multò præstantiores ac melio-
res sunt ipsis. Hi igitur excæcati vanique
homines, discant mortem sibi incessabi-
liter velocissime cursu approximantem
præmeditari, & frequenter ac profundè
pensare quales erunt in morte, qualiter
tunc omnis eorū decor marcescet, & pul-

chritudo in deformitatem vertetur, po-
testas in infirmitatem, honor in deiectionem,
gloria in confusionem: quando nec
propinquorum profapia, nec opulencia,
neque nobilitas, neque familia poterunt
eos iuuare. Homo enim cum interierit,
non assumet secum hæc omnia, nec descē-
det cum eo gloria eius, sicut & sanctus
Iob protestatur: Diues cum dormierit, ni-
hil secum afferet, apprehendet eum quasi
aqua inopia. Ex horum itaque conside-
ratione perpendant se cæteri similes in
natura, tantò que viliores ex culpa, quan-
tò ex donis dei sibi concessis, magis elati,
ingrati, ac suo creatori rebelles fuerunt:
& ita humiliant semetipsos, certi quod
nisi sic fecerint, multò acerbiorē, peri-
culosiorē & damnabiliorem habiturū
ac passurū sint mortē quàm cæteri. Quæ
admodum ergo vexatio præsens & infligenda
& dante intellectum, atque ad humiliatio-
nem inducit, vt in Antiocho superbissi-
mo paruit rege, qui plagat⁹ rediit ad cor,
dicens, sultum est subditum esse deo, &
mortalem non paria deo sentire. Sic ve-
xatio præmeditata & infligenda illumi-
nat humiliatq; mortales. Nepe Alexander
rex potentissimus iaculo læsus, homines

Psal. 48.

Iob. 27.

Isaia. 28.

2. Mac. 9.

*Alexan-
der rex.*

(inquit) dicunt me esse filium Iouis, sed sagitta hæc probat me esse mortalem.

Xerxes rex. Xerxes verò rex præpotens, copiosissimū suum ex alio loco exercitum intuens, ex futura ipsius defectione & morte lachrymas fudit, eo quòd infra centum annos uniuersi succumberent morti. Præterea, ex consideratione mortis, diuites, nobiles, ac potentes, & cuncti qui præstant, tantò vehementius habent timere, seque humiliare, quantò (vt communiter) citius moriuntur, districtius iudicantur, ac grauius puniuntur, atque quò pauciores.

Eccle. 10. ex eis saluantur. Hinc etenim ait scriptura, Omnis potentatus breuis vita: sic

1. Mac. 2. & rex hodie est, & cras morietur. Primo quoque libro Machabæorum venerabilis Mattathias ait de rege superbo, A verbis peccatoris ne timueris, quoniam gloria eius stercus & vermis: hodie extollitur, & eras non inuenitur, quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius perit.

Sapient. 6. Sed & in libro sapientiæ ait sermo diuinus, Audite reges & intelligite, discite iudices terræ, quoniam data est vobis potestas à domino deo, qui interrogabit opera vestras, & cogitatione vestras scrutabitur: quoniam cum essetis ministri re-

gni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudiciū durissimum in his qui præstant, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormèta patientur. Certè si præidentes, potentes, nobiles & diuites ista perpenderent, humiliarent vtique semetipsos, & timorati consisterent. Præterea, cognitio ista proprię defectuositatis in naturalibus & accidentalibus, in corpore & anima, in conuersatione & duratione vtilissima est ad humiliandum seipsum, ad despiciendum mundana, ad obrinendum spiritus sancti charismata: idcirco diuina scriptura de imperfectione, instabilitate, ærumna atque periculis hominum multa cõmemorat, comparans hominem vāiis rebus fragilibus, vilibus, & maximè instabilibus, vt sic discat humiliare seipsum. Attende ergo o homo qui te aliquid esse putas, & in altū erigis caput tuum, qui sic viuis, & tanta securitate, præsumptione, ac vanitate te eleuas: quasi moriturus atque in manus dei viuētis casurus non esses: audi quid de excellentia tua, imò de miseria tua spi-

Iob. 7. ritus sanctus per os antiqui patriarchæ ac prophetæ locutus sit: Homo (inquit) natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseris. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Itémque: Dies mei velocius transierunt, quam à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque spe. Hoc est *Ibidem.* quod pius rex Exechias fatetur: Præcisâ est velut à texente vita mea, dum adhuc ordire, succidit me, de mane vsque ad vesperam finies me. Hinc quoque flos prophetarum Isaias, tanquam magnum, aut profundum aliquid prolaturus, ita exorsus est. Vox dicentis: Clama. Et dixi. *Isai. 40* Quid clamabo? mōxque subiungit quid sit clamandum, quid iugiter recolendum, quid sollemniter prædicandum: Omnis caro scenum, & omnis gloria eius, quasi flos agri. Verè scenum est populus. Exiccatus est scenum, & cecidit flos. His consonat quod frater domini sanctus apostolus Iacobus in sua ait Canonica, quod tamen de diuitibus specialiter exprimit, Diues, inquit, sicut flos sceni transibit, exortus est enim sol cum ardore, & arefecit scenum, & flos eius decidit, & decor

vultus eius deperit: ita diues in itineribus suis marcescet. Idem demum Apostolus contra præsumentes de longa vita inuehitur, loquens eis: Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur. Et quoniam diuites ad elationem & præsumptionem sunt proniores, ipsos volens humiliare, adiecit: Agite nunc diuites, plorate videntes in miseris quæ aduenient vobis: Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra. His demum comparisonibus alludens Psalmista, disseruit: Noli æmulari in malignantibus quoniam tanquam scenum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Vidi impium superexaltatū & eleuatum sicut cedros Libani, Et transiui, & ecce non erat: & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Generaliter quoque loquens de homine idem Propheta, dixit: recordatus est dominus, quoniam pulvis sumus: Homo sicut scenum dies eius, & tanquam flos agri sic effloret. Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non substet, & nō cognosceret amplius locū suum.

In amato Insuper, vani & impij amatores seculi hu-
res huius ius, qui dum in vita hac prosperarentur,
seculi. & in diuitiis suis considerent, atque in
 carne turpiter delectarentur, longam &

Sapian. 5.

scelicem reputabāt hanc vitam: quoniam
 mentem habebant vitiis excecata[m] au-
 diamus quid dicant in suppliciis constitu-
 ti, & propria vexatione edocti. Nōne se-
 rō pœnitentes, & pœ angustia spiritus
 gementes, exclamant: Errauimus à via
 veritatis, & iusticiæ lumen non luxit no-
 bis: & sol intelligentiæ non est ortus no-
 bis: Lassati sumus in via iniquitatis &
 perditionis, & ambulauimus vias diffi-
 ciles: viam autem domini ignorauimus.
 Quid nobis profuit superbia? aut diui-
 tiarū iactantia quid cōtulit nobis? Trans-
 ierunt omnia illa tanquam vmbra, & tan-
 quam nuntius pœcurrēns, aut auis que
 transuolat in aere. Ex iis innotescit fra-
 gilitas, instabilitas, & defectuositas no-
 stræ conditionis. Idcirco ex horum consi-
 deratione debet se homo profundè ac iu-
 giter humiliare, trāsitoria, carnalia & ter-
 rena despiciere, atque ad mortem salubrē
 seipsum infessabiliter preparare. Et quia
 nobilior pars hominis (vtp̄ta anima ra-
 tionalis) est immortalis, creatoris sui ac

sempiternæ beatitudinis capax, debet se-
 homo dare ad creatoris sui sanctum ac
 diuinum amorem, ad spiritalium gratia-
 rum æternaliūque deliciarum puram
 affectionem, & ad quotidianam ac inde-
 finentem profectum virtutum.

*De quarto effectū ex mortis meditatione
 ortum habente.*

ARTICVLVS X.



EXpectatio sollicitorum peri- *Prov. 12.*
 bit. Ex diuersis cōsideratio-
 nibus diuersa procedunt af-
 fectiones & curæ. Ideo qui
 in hac vita se diu opinantur
 victuros, nec futuri seculi perpetuitatē di-
 gnè aduertunt, solliciti sunt terrena col-
 ligere, in temporalibus abundare, & sibi
 pro vita hac copiosius providere. Hæc
 est sollicitudo carnalis, mundana, inquite-
 ta & stulta, ex seculari procedens pru-
 dentia: de qua ait apostolus Paulus, Pru- *Roma. 8.*
 dentia carnis mors est. Iacobus quoque
 apostolus: Non est (inquit) sapientia ista *Iacob. 3.*
 de sursum procedens, sed terrena, ani-
 malis & diabolica. Quam sollicitudi-
 nem prohibuit Christus dicendo, No- *Matt. 6.*

lite solliciti esse in crastinum. Porro qui prudenter aduertunt, quàm breuissima, fallax, incerta, periculosa sit vita hæc, quòdque post eam in alio seculo perpetuò sint victuri, aut in maxima & extrema miseria, aut in beatitudine prorsus perfecta, vilipendunt carnalia & caduca, atque solliciti sunt providere sibi de spiritalibus opibus, quibus post vitæ huius circulum æternaliter ac beatificè reficiuntur: ideo sagunt diuites fieri in operibus bonis, & thesaurizant sibi in cælis, quorum summa & tota sollicitudo est deo placere, beatitudinem illam plenissimam obtinere: sicque transire per temporalia bona ne eorum intuitu, occupatione & amore amittant sempiterna supernæ gloriæ bona, Hæc est sollicitudo bona, sapientialis, saluifica, de qua dixit Michas propheta, Indicabo tibi homo quid sit bonum, aut quid dominus requirat à te: vtique sollicitè ambulare coram deo tuo. Moyses quoque, Custodi temetipsum & animam tuam sollicitè. Absque sollicitudine hac nemo valet saluari. Hinc (vt tactum est articulo sexto) quartus effectus ex intenta mortis præmeditatione emanans, est depo-

sitio terrenarum curarum, abiectio turbarionum prauarum, atque inquietudinum seculi huius repulsio. Nempe qui assiduè ac profundè perpendit, quòd celerrimè propinquet ad mortem, quòd mortis suæ ignoret diem, quòd citò emigrabit de corpore isto, & vniuersa mundana, ac transitoria deseret, nunquam ea re habiturus in seculo isto: tantò plus sollicitatur pro obtinenda fœlicitate vitæ futuræ pro euadenda calamitate Acherontis subteriacentis, pro opulentia & decore animæ suæ, quanto vita illa ventura longior est præsentis, quòd beatitudo perpetua ac cœlestis melior desiderabiliórque consistit in prosperitate vitæ istius, quò anima suo corpore est præstantior. Cùmque nulla sit comparatio temporalis durationis ad æternitatem, terrenæ prosperitatis ad angelicam & cœlestem fœlicitatem, vilissimæ carnis ad rationalem animam, & superbenedictæ ac adorandæ Trinitatis imaginem: constat quòd assidua & profunda mortis consideratio, omnem consumat atque repellat curam terrenam immoderatam, nec propter aduersa sinat hominera conturbari: imò inter iniurias,

*Diuites
verè qui.*

*1. Tim. 6.
Matt. 6.*

*Sollicitudo
laudabilis.*

Mich. 6.

Deut. 4.

IIII.

persecutiones, irrisiones, afflictiones; & egritudines, inter blanda ac prospera efficiunt hominem stabilem & tranquillum, vel potius in omni aduersitate gaudentem, tantoque amplius cupientem aduersa quam prospera, quanto ad mortem salubrem, ac finem beatum aduersitates magis quam prosperitates expediunt, cum dicat scriptura: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum caelorum.

Actu. 14. Et denuo: Omnes qui volunt pie viuere in Christo, persecutionem patientur.

2. Tim. 3. Etenim verissime scriptum est: Tanquam aurum in fornace probauit electos dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos. Holocaustum autem dicebatur oblatio, quae ad diuinæ maiestatis honorem totaliter comburebatur, ad figurandum quod homo debet se totum creatoris sui obsequio mancipare, & quicquid habet, potest, & est, ad ipsius honorem & cultum ordinare, à quo accepit quicquid est, potest & habet. Sic igitur deus suos electos in vita hac igne tribulationisurit & purgat, quemadmodum protestatur, Ducam eos per ignem, & eram eos sicut uritur argentum, & probabo aurum: & ego exaudiam eos, & dicam: Populus meus

Holocautum mysticum.

es: & ipsi dicent. Dominus deus meus: O vere beatus, quem deus iudex iustus, fortis & patiens sic exercet & mundat in seculo isto, sicut per Isaiam prophetam fatetur. Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad plenum scorium tuam. Hinc Israëlítico populo Moses dixit: Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te dominus deus tuus, ut affligeret te atque tentaret, & nota fierent quae versabantur in corde tuo, utrum custodires mandata illius, an non: Ecce ex his constat quam verè sancti patres locuti sint, nihil periculosius esse quam in hoc mundo, in isto exilio, in valle hac lachrymarum, in loco poenitentiae & peregrinationis istius prosperari, deliciarum, nec castigari à deo, quemadmodum sanctus Iob ait de impiis: Subleuati sunt confortatique diuitis, & non est virga dei super eos. Sed ad quem finem perducatur huiusmodi vita, idem vir sanctus pandit, subdendo: Ducunt in bonis dies suos, id est, in delitiis dies suos consumunt, & in puncto ad inferna descendunt. Talem vitam facit consideratio mortis contemni, vanitates, choreas, ludos, iocos, cachinnationes, loquacitates abhorret & vitat.

Psal. 7.

Isaia. 1.

Nihil a deo elongat hominem à deo, quam selicitas mundi.

Iob. 21.
Ibidem.

Verum ad hæc dicere poterunt seculares personæ bonæ, cupientes deo placere, præsertim nobiles & potentes prælati & principes: Si meditatio mortis sollicitudō que spiritalis faciunt terrena omnia despici, curas mundi & inquietudines euitari, quid agendum est nobis, & quis nostrum valebit saluari? Quibus ex verbis Gregorij sancti est respondendum, qui ait, Qui rebus temporalibus occupatur, tunc bene exteriora disponunt, dum sollicitè ad interiora refugiunt, cum nequam foras perturbationum strepitus diligunt, sed certis horis quantum eis possibile est, ad spiritalem exercitationem, & quotidianam conscientia suæ examinationem se conferunt. Qui autem ita non agunt, sed ad exteriora cor suum omne effundunt, citò obliuiscuntur suæ salutis, atque quotidie grauius excruciantur, & ad multa ac magna peccata labuntur, prout sanctus ait Bernard. Cor quod futuram felicitatem non cogitat, amore terrestrium implicatur, sicque vanitas mentem recipit, curiositas ducit, voluptas inficit, cupiditas afficit, luxuria inquinat, inuidia torquet, tristitia cruciat, suspicio, inquietas, ira perturbat. Hinc Salomon

*Gregor.**Bernard.
mausea spiritus
quid pariat.*

verè locutus est, Homini bono dedit de⁹ *Ecclē. 2.* sapientiam, lætitiā, & quietem: peccatori autem afflictionem & curam superfluum. Vnde probatur, quod vita hominis virtuosi sit multò iucundior atque quietior, quàm vita hominis vitiosi.

De quinto effectu ex meditatione mortis nascente.

ARTICVLVS. XI.

OMnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifariam: Verba sunt sancti Apostoli. Quintus effectus ex cōsideratione mortis proueniens, est totius inordinatæ affectionis ad creaturas abiectio, & feruens integræque conatus placendi deo. Qui enim attentè ac frequenter recordatur & intuetur, quàm citò recedit à seculo isto, & quandiu & æternaliter viuet in seculo mox futuro, non reputat vitam præsentem nisi cursum & peregrinationem ad vitam sequentem, nec vitatur diuitiis, ac cæteris rebus mundi, nisi vt mediis necessariis pertingendi ad mortem salubrem, ac finem beatum. Non ergo inordinate ad cas

*Philip. 3.**Vita hæc
est quidam
cursum ad
aliā.*

afficitur, sed in deo atq; secundum deum, secundum quod sibi vtilis ac necessaria sunt pro sustentaculo vitæ ad bene viuendum. Et talis amor rerum creaturarum non retardat nec minuit, sed fouet & auget diuinum amorem. Idcirco quod ait Chrysostomus: Pro quanta parte cor tuum tuerit ad aliquam rem creatam, pro tanta minus est ad deum: intelligendum est de inordinata & immoderata cordis affectione ad creaturas, sicut in his qui in cibo & potu, in vestibus, in habitaculis, ac cæteris exterioribus rebus quærunt non tantum necessitatem naturæ ac vsum decentem secundum euangelicæ legis doctrinam, sed carnalem delectationem, vanitatem, pompam, complacentiamque humanam, proprium quoque non dei honorem, & famam laudemque propriam. Hæc omnia sapientialis consideratio mortis contemnit & abiicit. Propterea Climachus. contestatur. Istud est verum argumentum commemorationis dei, ac mortis in sensu cordis, spontanea impassibilis affectionis ad omnem creaturam, atque perfecta derelictio propriæ voluntatis. Præterea, consideratio ista facit hanc vitam contemni, eo quod tot peccat

dei

defectibus, ac miseris sit subiecta, permixta, & inquinata vnde sanctus pater Bernardus disseruit: Cur vitam istam tanto affectu desidero, in qua quanto plus uiuo, tanto plus pecco: & quanto vita est longior, tanto & culpabilior: Quotidie crescunt mala, & deus omnipotens magis, ac magis offenditur, & quanto diutius hic manemus, tanto de pluribus reddere rationem deo debemus. Itaque meditatio mortis auaritiam fugat, & necessitati est contenta. O quam sapienter considerauit hæc omnia sanctus propheta, qui ait: Locutus sum in lingua mea: Notum fac mihi domine finem meum, hoc est, da mihi gratiã illustrantem, per quam efficaciter pensem, quam celeriter mihi propinquet terminus vitæ meæ. Sic etiã notum fac mihi numerum dierum meorum, vt sciã quid desit mihi, id est, quantum ex cõsideratione paucitatis ac breuitatis dierum vitæ meæ aduertam conuersationis meæ defectuositatem, & tanto festinantius atq; feruentius me emendem, quanto breuius ac incertius est tempus residuum vitæ meæ. Hinc ex cõtemplatione instabilitatis ac breuitatis vitæ hominum in hoc mundo, subiunxit: Ve-

F

Ioannes.
Christ.

Matth. 6

Ioan.
Clim.Bernard.
vita huius
infelicitas
quantitas
Psal. 38.

Idem. runtamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens. Veruntamen in imagine pertranfit homo. Quod cum ita sit, stultum & vanum est, pro temporalibus immoderanter sollicitari, ad quod insinuandum adiecit: Sed & frustra conturbatur. Theaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Assidue ergo intueamur, quod citò de hoc seculo recedemus, quatenus ad nullam creaturam inordinate & culpabiliter afficiamur: sed in vera mentis puritate crescamus, ac solidemur quotidie. Beati etenim mundi e orde, quoniam ipsi deum videbunt, Talis fuit sanctus & nobilis doctor beatus Thomas de Aquino, qui cum studentibus atque confratribus sancto Dionysio Parisios rediens, & interrogatus ab illis: Ecce magister quam pulchra est ciuitas Parisij, velle sine dominus eius esse, respondit: Mallem habere opus imperfectum Ioannis Chrysostomi super Matthæum, quam esse dominus ciuitatis Parisiensis. Hiuc idem vir sanctu tres res specialiter exorauit obtinere à deo: Prima fuit, vt in suo humili statu permaneret, nec ad aliquam ecclesiasticam dignitatē, aut prælaturam promoueretur, Secunda, vt nullius rei creatæ affectio mentem suā

coquinaret. Tertia, vt status animæ fratris sui desuncti sibi reuelaretur, in quibus tribus exauditus fuit à domino, pro sua reuerentia.

*De sexto effectu ex meditatione
mortis manante.*

ARTICVLVS XII.



Eni in hortum meum: soror mea sponsa. Hæc sunt verba omnipotentis & gloriosissimi creatoris ad vnā quaque animam viatricē, ac sanctam, cuius creatoris adorandi tanta est dilectio atque dignatio ad animas virtuosas, quod eas appellat amicas, sorores, spōsas ac hlias: sicque animam sanctā hominis agonizantis, ad superni delicias paradisi inuitās, veni (inquit) in hortum meū. In hortū utiq; cælestis deliciosissimi paradisi soror mea sponsa, mihi per fidē, chritatem, ac fidelitatem stabilē desponsata, vt de cætero desponsata sis mihi in patrā beatorum per beatificam fruitionē, per lumen gloriæ & inseparabile gaudio sissimum, incessabilēq; amplexiū. Sic animæ perfectōrū in extremis cōsolatur & inuitatur, à Christo per inspi-

Canti. 5.

Charitas.
dei ad ho-
mines.
quanta.

Roma. 8.

rationem internam & allocutionem secretam, quibus testimonium perhibet spiritus sanctus, per certificationem occultam, quod placeant deo, & quod benignè recipiantur ab eo: Et hic est Sextus effectus ex meditatione mortis procedens, in his qui cum dulci spe præstolantur atque cum gaudio spiritali suscipiunt mortem aduenientem, tanquam æternæ beatitudinis ianuam & ingressum, prout sanctus ait Bernard. Veniet mors: sed somnus erit dilectis dei, ianua vitæ, initium refrigerij, scala ascensionis in cælum. Etenim si iustus præoccupatus fuerit morte, in refrigerio erit. Nec his obstat, quod etiam iusti naturaliter pauent mortem, & eam naturaliter horrent, cum & beatissimo principi apostolorum prædixerit Christus: cum autem senueris, alius te cinget, & ducet quod tu non vis. Quod utique (vt Euangelista fatetur) dixit saluator, significans qua morte summus ille apostolus deum erat clarificaturus. Vnde & Climachus loquitur: Pavor mortis, proprietas est naturæ ex præuicatione inobedientiæ veniens, id est, ex originali peccato hominis protoplasti. Tremor verò mortis, est signum non

Bernard.
Sapient. 4

Ioan. 21.
Ibidem.
Ioannes.
Climac.

Matth.
26.

Luce. 22.

peractæ pœnitentiæ de peccatis. Paut Christus mortem, non tremuit, vt duarum naturarum proprietates in se declararet. Et iterum protestatur. Sicut manifestè discernitur stannum ab argento, quanuis in conspectu similitudinem habeant, ita apud discretos manifestè patet distinctio inter naturalem mortis pauorem, & inter innaturalem mortis timorè ex remorsu conscientiæ prouenientem. Denique qualiter ista stent simul, vtputa mortem appetere & pauere, illuminatus papa Gregorius tricesimo primo Moralium docet, dicendo: Sicut vir fortis dum vicino certamine armis accingitur palpitatur & festinat, tremit & sæuit, quasi pauere per pallorem videtur, sed per iram vehementer vrgetur: Ita vir sanctus dum passioni seu morti propinquare se conspicit, ex naturæ suæ infirmitate concutitur, & ex spei suæ constantia solidatur. De vicina morte trepidat, & tamen quia post mortem verius ac foelicius viuet, exultat. Ad regnum nanque non potest nisi interposita morte transire. Ideo gaudens metuit, & metuens gaudet: quoniam scit quod ad supernæ quietis brauium non pertinet, nisi id quod interioret, cum la-

Appetit
& pavor
mortis
quomodo
stent simul.

Sanctus bore transcendat. Talis fuit magnus ille
Martinus sanctus beatus presul. Martinus, qui viso
episc. maligno spiritu lectulo suo astanti, cum
 certa humilique fiducia dixit: Quid hic
 stas cruenta bestia? Nihil in me functe
S. Hugo. reperies: Abraham me sinus recipiet. San-
Carthuf. ctus quoque Hugo Lincolnienis episco-
epif. Lin- pus Carthufensis qui hora agonis ex di-
colnien. uino dixit instinctu: Non iudicij, sed re-
 frigerij dies erit quando defungar. O
 quam grande est releuamen agonizantiũ
 conscientia pura, qua uoscunt se virtuo-
 se conuersatos ac salubriter morituros:
 Veruntamen imperterritis ad moriedum
Ioannes. pensandum est quod Climachus ait: Sunt
climac. (inquiens) qui propria reputatione &
 elatione a passionibus purgatos se arbi-
 trantur, & ideo mortem non verentur.
Perora. Discutiat ergo se homo plenarie, nec pre-
 sumat, neque securus sit inconsulte: San-
 ctus est qui mortem quotidie ex humi-
 litate, syncceritate & charitatis ardore de-
 siderat: qualis precipue fuit gloriosus
S. Andr. Andreas apostolus, qui uisã eminus cruce
apostol. sibi parata, nequaquam extimuit ne-
 que expelluit, sed cum ingenti eam gau-
 dio salutauit. Postremo, etiam magnus &
Platonis. nobilis ille philosophus Plato aliquid di-

xit concordas predictis. In Phædone et- *Euãgeli-*
 enim ait: Vir in Philosophia ducens vitã, *ca dicta.*
 confidit: cum mori debeat, maximis ire
 fretum bonis. Et iterum. Si quem vide-
 ris grauitè ferre cũ debeat mori, nullo
 modo erat philosophus. Itemque. Ridicu-
 lum est, virum omni vita se preparatẽ
 ad mortem, adueniente ea, moleste ferre.

Exhortatio ad mortem salubrem, ex con-
sideratione sublimium personarum, quæ mor-
tis legibus subiacerunt.

ARTICVLVS XIII.

Vbi sunt principes gentium, & qui *Baruc. 3.*
 dominantur super bestias terræ, qui
 in auibus cæli ludunt qui argentum
 thesaurizant & aurum in quo confidunt
 homines, & nõ est finis acquisitionis eo-
 rum? Exterminati sunt & ad inferos descē-
 derũt. Multũ accedit nos ad mũdi cõremp-
 tum, ad præsentis vitæ aspersionẽ, ad
 mortis preparationẽ, dum prudenter ar-
 tẽdimus eos celeriter ab hoc mũdo sub-
 tractos, quibus multo inferiores consisti-
 mus. Cũmq; pensamus quod eorũ excel-
 lentie eis non profuerunt ad mortis eua-

sionem, ad veram salutem, imò quòd potius per eas decepti sunt ac damnati, valde ædificamur ac excitamur ad talium excellentiarum despectum. Nunc ergo aduerte ô homo qui ad ea quæ mundi sunt inclinaris, qui carnalia appetis, qui trāsitorios amas honores, qui in donis naturæ, in bonis fortunæ, in habitus, artibus atque scientiis acquisitis exultas & tumes. Dic mihi, vbi iam illi qui in talibus olim præclari fuerunt? Vbi Paris filius regis Troiæ, speciosissimus adolescens? Vbi Adonis amasius Veneris, formosissimus iuuenis? vbi pulcherrimus Absalon, aut venustissima Thalomon: vbi Hector fortissimus: aut Hercules robustissimus? vbi Plato? vbi Platonici subtilitate precipui, Proclus, Plotinus, Porphyrius, Atticebron, Apuleius atq; Macrobius? vbi Cicero? vbi Ciceronici rhetorica eloquentia tumidi? Demosthenen, Xenophotem, Ctesiphontemq; loquor, vbi nunc famosi astronomi, Albumazar, Almyon, Albategni, Alfagranus, Thebid & alij, vbi iam studiosissimus Aristoteles princeps philosophorum, cum omni scola hac secta Peripateticorum, Auicenna, Andronico, Algazele, Themistio, Aucr-

*Epilogus
Et specu-
lus homi-
num huius
mûdi mor-
tuerum.*

roë Alphorabio, Theophrasto, Simplicio? vbi iam imperatores, reges ac principes, olim præpotentes & inclyti, Alexander, Cyrus ac Darius, Octavianus, Hannibal, Nemroth, ac Iulius atque Põpeius? vbi Croesus ditissimus? vbi Achilles magnanimus? vbi egregius poëta Vergilius? vbi Ioab callidissimus? vbi iã viri antiquissimi, qui ante diluuium plusquã nongentis annis vixisse leguntur? Ex his vide, discè, considera, quòd decor, honor gloria mûdi, fortitudo, agilitas corporis, nobilitas generis, principatus, imperium, opulencia, eloquentia, ingenium, longiturnitas temporum, acquisita scientia absque humilitate, & gratia sine charitate & cordis munditia, nulli profint ad salutem, imò innumerabilibus fuerunt & sunt occasio ad condemnationem maiorem. Non ergo huiusmodi dona reprobis tam excellenter collata, inspiëter appetiemur, neque inaniter appetamus, *qua nam perda potissimum à deo.* sed pro donis gratiæ gratum facientis omnipotentem iugiter deprecemur. Pro nihilo reputemus iniquos vt tales, nec vanorum & vitiosorum hominum sequamur vestigia, de quibus deuotissimus ait Bernardus. Dic mihi vbi sunt *Bernard.*

amatores mundi, qui ante pauca tempora fuerunt nobiscum, qui laute ac splendide comederunt, voluptuose biberunt, qui in comessationibus potationibus, impudicitis, iocis & ludis, risibus, fabulis, & choreis tempora sua infelicissime perdidērunt, insipientissime consumpserunt, & irreuerabiliter perierunt. Nihil in tumulis remansit ex eis, nisi vermes & cineres, putredo & sanies, foetor, horror, & arida ossa. Hic caro eorum deputata est vermibus esca, atque in inferis animarum tradita est aeternis suppliciis, donec denuo infeliciter copulata, pariter copulata, pariter torqueantur intolerabilibus ignis tartarei flammis. Ecce post breuem & inanem lætitiā, post vilē & fœdā voluptatem post inanes risus, ludos & iocos, sortiti sunt aeternalem tristitiā, infernalem desolationem, ignem sulphureum pœnalisimum frigus, fletum, dentiumque stridorem, pro societate mundana receperunt mœstissima dæmoniorum consortia. Quid ipsis iam prodest transacta voluptas, elatio cordis, irrefrenatio oris, vitiosa libertas in pravis operibus? Quid diu iarum iactantia grandis, familiaritas vestium, decor ornamen-

torum, nobilitas generis, prosperitas temporis? Nonne omnia illa celerrime defecerunt, & tantam post se calamitatem, æternam minationem, acerbissimam pœnam, desperationem, pressuram, angustiam reliquerunt? quemadmodum ait Propheta: Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione. Cur de mundana prudentia, de philosophica sciētia, & nobilitate carnali, de potentia seculari gloriaris, & intumescis? cūm dicat Apostolus electis fidelibus, Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes, secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles sunt inter vos: sed quæ stulta sunt mundi elegit deus, ut confundat sapientes seculi huius, & infirma, & contemptibilia mundi elegit deus. Nonne stultam fecit deus sapientiam huius mundi? De talibus sapientibus in oculis suis ait in euangalio filius dei: Cōfiteor tibi pater domine celi & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, id est, humilibus. Isaias quoque propheta, Vbi (inquit) est literatus? vbi verba legis pōderans? vbi doctor paruulorum? De talium vnoquoque iterum loquitur isaias,

*Psal.**1. Cor. 1.**Matt. 11.**Isai. 33.*

Sapientia & scientia tua deceperunt te:
Isaie. 47. De quibus & Ieremias differuit. Sapient-
Jerem. 4. tes sunt ut faciant mala, bene autem face-
 re nescierunt: Vbi gigantes à seculo nomi-
 nati, statura magni, in bellis periti?
Job. 20. Certè in his impletum est, quod in Job
 legitur: Hoc scio à principio, ex quo po-
 situs est homo super terram, quod laus
 impiorum brevis sit, & gaudium hypo-
 critæ instar puncti. Si ascenderit vsque
 ad cælum superbia eius, & caput eius nu-
 bes tetigerit, quasi sterquilinum in sine
 perdetur, velut somnium auolans non in-
 uenietur. Transiet quasi visio nocturna,
 & qui cum viderant, dicent, Vbi est? Ve-
 runtamen ob hoc nobiles & potètes, do-
 cti, & in secularibus rebus prudentes de-
 sperare nõ debent: sed formidare, ac hu-
 miliare semetipsos: Nam & Christus
Ioan. 3.7. quosdam habuit discipulos diuites, potè-
19. tes & doctos, videlicet Nicodemum, Za-
Luca 19. chæum, & Ioseph ab Arimathia decurio-
Matt. 27 nem, ad præfigurandum, quod etiam ta-
Luc. 22. lium quidem saluantur.

*Recitatio exemplorum & historiarum ex
 quibus debet homo accendi ad assiduam mor-
 tus preparationem.*

Vm quidem & ego mortalis homo, *Sap. 7.*
 similis omnibus, ex genere terreno
 & natus, accepi communem aerem, &
 in similiter factam decidi terram, & pri-
 mam vocem similem omnibus emisi plo-
 rans. Nemo enim ex regibus aliud ha-
 buit natiuitatis initium: Audiamus quid
 famosissimus atque ditissimus rex Salo-
 mon referat de seipso, Magnificauit (*Eccle. 2.*
 inquit) opera mea, ædificauit mihi domos,
 plantaui vineas, feci hortos & pomeria,
 & conseui ea cuncti generis arboribus.
 Extraxi mihi piscinas aquarum, ut irri-
 garem syluam lignorum germinantium.
 Possedi seruos & ancillas, multamque fa-
 miliam, armenta quoq; & magnos ouiu
 greges vltra omnes qui fuerunt ante me
 in Ierusalem. Coaceruavi mihi aurum &
 argentum, & substantiam regum & pro-
 uinciarum. Feci mihi cantores & canta-
 trices, & delicias filiorum hominũ. Cũ-
 que me cõuertissem ad vniuersa hæc, vi-
 di in omnibus vanitatem & afflictionem
 spiritus, & nihil permanere sub sole. Mo-
 ritur doctus, similiter & indoctus, & id-
 circo tæduit me vitæ meæ, videns mala

esse vniuersa sub sole, & omnia vanitatem afflictionemque spiritus. Quid proderit homini de vniuerso labore suo & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti dies eius doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente quiescit. Ecce quod sapientissimus Salomon ille propria experientia doctus, factus est in vniuersis diuitiis, deliciis atque honoribus mundi non esse nisi vanitatem, miseriam & cordis afflictionem. Nam & ipsis deliciis multæ desolationes ac tristitia sunt admixtæ. Diuitiis quoque inquietudo, sollicitudo, timor & dolos miscentur. Excellentia etiam ac presidetia insidias, inuidias, curas anxietatēque patitur. Ideo librum in quo præallegata verba habentur. Sa. omon sic incæpit. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et eadem verba in fine libri illius repetiuit: Vnde quid finaliter omnibus sit agendum, in fine eiusdem libri expressit: Finem (inquit) loquedi omnes pariter audiamus, Deū time, & mandata eius obserua. Hoc est enim omnis homo. Præterea Daniel narrat qualiter Balthazar rex Babilonis fecit grande conuiuium optimaibus suis,

Dies hominum ærumnis sunt pleni.

Eccle. 1.

Eccle. 12.

Daniel. 5.

cum quibus ipse cum suis vxoribus & concubinis epulabatur ac temulentus bibebat, atque eadem nocte occisus fuit in vltionem suorum facinorum: Cōformiter superbissimus Holofernes post crapulosam & delicatissimam cœnam quam suis exhibuit seruis, quum in ipsa nocte putaret immūdis voluptatibus frui, à rege Hester. 3. mina est occisus. Aman quoque crudelis à rege Assuero super omnes principes regis sublimatus, eodem die quo putauit cum rege ac regina gaudiosissimè epulari, procurante regina ac rege iubente, affixus patibulo fuit pro suis criminibus. Insuper fertur in Actis apostolorū, quæ admodū Herodes rex regia veste indutus dum blasphemis laudibus populi delectaretur, ab angelo est percussus, & cōsumptus à vermibus, expirauit. Amplius in libro Ezechielis prophætæ opulentia & eminentia ciuitatis nomine Tyri, Ezech. 26. per capitula diuersa describitur. vbi in 27. 28. ter cætera legitur, Hæc dicit dominus deus, O Tyre, tu dixisti, Perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita. Persæ & Lydi & Libyes erant in exercitu tuo, clypeum & galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo. Carthaginenses,

Indisib. 13.

Hester. 3.

Ibidem. 7.

Acto. 12.

Ezech. 26.

27. 28.

negotiatorum tui argento & ferro, & plūbo & stanno repleuerunt nudinas tuas, Græcia & Tubal & Mosoch infitores, tui, mācipia, equos & equites, & mulos adduxerunt ad forum tuum. Venditores Saba, vniuersa præmia, aromata & lapides pretiosos & aurum proposuerunt in mercatu tuo. Iuda & terra Israël infitores tui in frumēto primo balsamum, mel & oleum & refinam proposuerūt in nudinis tuis. Sed & Pygmæi qui erāt in turribus tuis pharetras suas suspenderunt in muribus tuis per gyrum, ipsi compleuerunt pulchritudinem tuā, & ecce repente ad nihilū deducta es, & peristi. Opes tuæ & omnis multitudo tua quæ erat in medio tui pariter ceciderūt. Insuper Climachus refert quod in mōte Oreb fuit solitarius quidem in omni negligentia viuens, qui tandem grauiter infirmatus, quasi vnus horā spatio perfectē migravit à corpore, & rediens ad seipsum, rogauit nos omnes vt recederemus ab eo, Qui nobis egressis ianuā cellæ suæ mox obstruens, mansit intus duodecim annis, cum nullo hominū colloquium habens, nihil aliud gustās nisi panē & aquam, sedens, & ad ea quæ vidit in ecclasi stupēs,

sic mansit macerens, quod nūquam de cætero proprium morē mutauit, & calidas lachrymas sine strepitu semper fundebat. Cū autem migraturus erat ad dominum, portam destruentes intrauimus, & multū deprecantes vt aliquid diceret nobis, hoc solū ab eo audiuimus, Indulgete mihi: Nemo memoriam mortis habens poterit peccare. Nos verō admirabamur hominem prius negligentem tam repente beata mutatione in melius transformatum. Cūque eum sepelisset: requirentes die altera sanctas eius reliquias, nequaquā inuenim⁹, per quod certificauit nobis deus de eius studioſa pœnitentia & salute. Præterea, alter quidam in deserto commorans, in loco qui dicitur Thola, ex intenta meditatione mortis sæpius patiebatur mentis excessum, & mente deficiens ac corpore sopitus, inueniebatur à fratribus ferè absque anheliu, à quibus & reportabatur: Hæc Climachus. Legitur quoque quod olim consuetudo extitit Romæ vt nouo Papa creato: deferretur atque incenderetur coram eo stupa, & diceretur, Sic transit gloria mundi. Conformiter, in Constantinopoli fuerat vsus, quod Im-

peratore recenter coronato, quidam representabant caram eorum tria aut quatuor genera lapidum, dicentes ut eligeret de quo sibi fieri vellet sepulchrum: Sed & sanctus Ioannes eleemosynarius ordinavit ut suum monumentum ipso vivente non perficeretur, imò diebus solennibus cum esset in honore, vnus ministro-rum suorum veniret ac diceret, Domine sepulchrum tuum nodum completum est, *Mat. 25.* iube perfici illud, quoniam nescis diem & horam. Hæc fiebant ut tanti viri temporali prosperitate non extolleretur, sed mortales se esse aduerteret. Postremò ut recitat Petrus Alfonso, defuncto Alexandro mundi monarcha, conuenerunt multi philosophi, quorum vnus disseruit, Heri totius terræ spatiositas Alexandro non suffecit, nunc sufficit ipsi spatium trium vel quatuor vlnarum. Alius dixit, Heri totius terræ spatiositas Alexandro non suffecit, hodie seipsum à morte nequiuit eripere. Alter videns auream eius tumbam, locutus est, Heri Alexander de auro fecit thesaurum, hodie aurum facit de ipso thesaurum. Alius ait, Heri Alexander terram oppressit, hodie à terra opprimitur. Sicque cæteri per ordinem

notabilia multa dixerunt, ad insinuandam vanitatem vitæ præsentis ac principatus terreni.

De miseris & ærumnis humana conditionis.

ARTICVLVS. XV.

Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super omnes filios Adam. In hoc euidenter apparet plenitudo miseriarum hominum vniuersorum, quòd quantò maior videtur esse eorum prosperitas & voluptas, tantò maior esse eorum calamitas atque iniquitas. Nulla enim grauior miseria hominis quàm peccatum, quòd maxime & incomparabiliter nocet rationali creaturæ, separas eam à suo creatore ac saluatore, priuansque eam omni diuino charismate: spiritus sancti atque felicitate cælesti: ac æternalem quoque damnationem eam perducens. Præua autem voluptas & omnis vana lætitia est peccatum. Prosperitas verò mundana, est præcipua vitiorum occasio, & maximum incitamentum peccandi, secundum quod Salomon loquitur, Prosperitas stultorum (id est, iniquorum hominum) perdet eos. *Eccle. 48*

*Gloria mundi viti-
tiorum ori-
go.*

Prover. 1.

Denique quavis caro hominis multis im-
munditiis, vilitatibus, defectibus, foetoribus & ærumnis sit plena, anima ta-
men ineffabiliter periculiosioribus atque
peioribus miseris, vilitatibus, sordibus
ac defectibus est repleta: & totus homo
est misera creatura, & laqueis periculif-
que exposita & vallata, ut nequeat expli-
cari. Hinc Innocentius ait, Quis det ocu-
lis meis fontem lachrymarum, ut defleam
miserabilem humanæ conditionis ingres-
sum, culpabilem conversationis progres-
sum, damnabile dissolutionis egressum?
Consideravi cum lachrymis, de quo fa-
ctus est homo, quid faciat homo, quid fu-
turus sit homo: Formatus est de terra, cõ-
ceptus in culpa, natus ad pœnã: Agit pra-
va & turpia quæ non licent, vana quæ nõ
expediunt: Fiet cibus ignis, esca vermis,
massa putredinis. En herbæ & arbores
producent flores, frondes, & fructus. En
lendes, pediculos & lumbricos. Illæ de se
fundunt oleum, vinum & balsamum: tu
sputum, yrinam & stercorea. Illæ de se spi-
rant suavitatis odorem: tu abominabi-
lem, intolerabilemque foetorem. Porro
cum ad senectutem quis venerit, statim
cor eius affligitur, caput concutitur, lan-

*Miseria
hominis.*

*Gen. 4.
Ephes. 1.*

guet spiritus, foetet anhelitus frontis ru-
gatur, statura curvatur, caligant oculi, va-
cillant articuli, nares fluunt, crines ruunt,
tremet tactus, deperit & actus, dentes pu-
rescunt aures surdescunt. Hinc ait san-
ctus Bernardus, Si diligenter, consideres
quid per os & nares ceterisque corpo-
ris membris egreditur, vilis sterquilini
non vidisti. Si singulas tuas miseras ve-
lis enumerare, quantis sis opertus pecca-
tis, irretitus vitiis, pruriens concupiscen-
tiis, occupatus passionibus, polutus illu-
sionibus: pronus semper in malum, pro-
clivus ad omne peccatum, non sufficies
considerare, nec enarrare hæc omnia.
Cur ergo superbis? Cur curiosis pretio-
sissq; vestibus corpus tuum adornas? quod
post paucos dies vermes deuorabunt, a-
nimam verò tuam non ornas virtutibus,
quæ præsentanda est deo & angelis? Cur
animam tuam vilipedis, & ei carnem tuam
immundissimam præfers? O quantis quo-
tidie vitiis inquinamur, quam enormia
sunt nostra peccata, quæ imperfecta sunt
opera nostra bona, & ignoramus an di-
gni sumus amore an odio & quid finali-
ter nobis eueniet, æternam damnatio,
an vera beatitudo. Ecce ex his debemus

Gen. 3.

Eccle. 9.

nos iugiter profundissimè humiliatè, carnalia spernere, atque ad mortem incessabiliter nos præparare. Nam vt etiam Plato disseruit in Phædone. Miserū corpus nostrum decies millena impedimenta contemplationū affert animæ nostræ. Secundus quoque philosophus ab Hadriano imperatore interrogatus quid est homo, respondit. Mens incorporata, phantasma temporis, speculator vitæ, mancipium mortis, transiens viator, hospes loci, anima laboriosa, habitaculum temporis parui. Mundo ergo vtamur tanquam hospitio, totisque viribus festinemus ad patriam electorum, quam vt post vitæ præsentis finem mox ingredi valeamus, ad mortem salubrem nos disponamus per indefessa exercitia actuum virtuosorum.

De secundo quatuor nouissimorum, puta de futuro dei iudicio, cui attribui possunt omnes actus qui iam antè assignati sunt morti.

ARTICVLVS XVI.

2. Cor. 5. **O**Mnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi vt referat vnusquisque prout gessit: Sicut præhabitur est secundum nouissimorum, & di-

strictū dei iudicium. Ideo dicto de morte, restat nunc aliquid de iudicio isto tractare. Hoc iudiciū multò terribilius est ipsā morte corporali ac temporali, imò & pœnis inferni ad tēpus, prout sanctus Iob dixit, *Quis mihi tribuat vt in inferno protegas & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Dictum est quoque quod mors corporalis ac breuis nō est in seipsa *Iob. 14.* tam metuēda, vt sancti patres edocuerūt, nisi propter iudiciū dei annexū morti, & propter supplicia quæ iusto omnipotentis iudicio infliguntur iniquis. Hinc sicut consideratio mortis intenta inducit ad sex effectus, de quibus iam antè facta est mentio, quæ sunt vehementer timere coram deo, sollicitum esse, pœnitentiam aggredi, humiliare seipsum, tēporalia spernere, ad nihil terrenum inordinatè & culpabiliter affici: sic diligens consideratio diuini iudicii ad eosdem ducit effectus. Ideo ex consideratione horū amborum validius prouocemur ad hos saluberrimos actus, & considerantes iudicium summum omnia clarissimè intuentem, atque nos citò iudicandos ab ipso, conuersēmur in eius præsentia cum omni timore & pauore, cum beatissimis viris

4. Reg. 4. Elia & Elisco, dicentes, Viuit dominus,
in cuius conspectu sto hodie. Sicque ex
horum consideratione obediētes altis-
simo mereamur cū Psalmista dicere deo,
Psal. 118. Seruauī mandata tua & testimonia tua,
quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.
Nempe (vt dixit beatissimus abbas Mac-
charius) tanta est terribilitas diuini iudi-
cii, quod si quis dignè illud perpēdat, of-
fensa eius carni suæ præ timore vix adhere-
bunt. Vnde sanctus rex Dauid fatetur,
Psal. 101. A voce gemit⁹ mei adhēsit os meū carni
meæ, id est, pelli meæ. Idcirco & nos de-
ploremus culpas, atq; miseras nostras, &
propter pericula inenarrabiliter grādia,
quibus expositi sumus, congemiscamus,
fugientes ad dei clementiā, secūdū quod
sancti patres factis docuerunt & verbis.
Etenim cū sanctus vir Abbas Pastor au-
disset beatū abbatem Arsenium migrasse
ad dominū, fleuit, dicens: Beatus es abba
Arseni, quia fleuisti te ipsum in seculo
isto: Qui enim in hoc seculo seipso non
desert, in alio se seculo deplorabūt. Hinc
cū præfatus abbas Maccharius venisset
ad sanctos patres & fratres in montē, di-
xit: Ploremus fratres, & de ploremus mo-
do nos ipsos, antequam veniamus vbi la-

chrimæ nostræ comburant corpora no-
stra Fleuerūtque omnes & corruerunt
proni in terram super facies suas, dicen-
tes, Ora pro nobis o pater: Hinc locutus *Matth. 5*
est filius dei, Beati qui lugent, quoniam
ipsi consolabūtur. Studeamus nos imbe-
cilles, imperfecti & defectuosi, multis
culpīs obnoxii metuēdum dei iudicium
tam iugiter reminisci, considerare, ve-
reri quā vehementer & assiduè formi-
dauit illud gloriosus & sanctus doctor
Hieronymus, dicens, Quoties diem illū
considero, toto corpore cōtremisco: Si-
ue enim comedo, siue bibo, siue aliquid
aliud facio, semper videtur mihi tuba il-
la terribilis sonare in auribus meis, Sur-
gite mortui, venite ad iudicium. Taliter
planè formidauit iudicium dei sanctus
senior ille, qui cū vidisset fratrem quen-
dam ridentem, ait, Coram seculo & ter-
ra rationem reddemus totius vitæ no-
stræ, & tu rides?

Quod valde metuendum sit futurum dei iudicium ex distriictione iudiciorum qua deus interdum exercuit in hoc mundo.

Eccle. 8.

Perversitas plerumque hominum.

Eccle. 9.

Quia non citò profertur contra malos iudiciũ, absque villo timore sibi hominum perpetrãt mala. Quãm veraciter protulerit sapiētissimus Salomon verba hæc, experientia docet. Sunt etenim multi, imò & innumerabiles, qui de die in diem adiiciunt peccata peccatis, & sine mensura ac numero creatorem suum offendunt, animas proprias lædunt & perimunt, dæmonibus obsequuntur, ac tam viciosi consuetudinibus victi, oppressi, ac penitus excæcatis absque timore transgrediuntur omnipotentis legislatoris præcepta, quoniam experiuntur se diu impune peccasse, imò & sibi in vitiis prosperè successisse, similiter aliis multis. Hinc sumunt peccandi audaciam, atque faciliter sibi prophetant, quòd postea pœnitentiam sint acturi, & fallunt insipientes ac miserii se metipso. Hinc rursus Salomon protestatur: Omnia in futurum seruantur incerta. Vnde & corda filiorum hominum implentur malitia & contempnu in vita sua, & post hæc ad inferos deducuntur. Insuper, ex hoc quòd impij tam diu non solùm impune peccant, sed etiam in suis vitiis (vt Ieremias propheta super hoc

admirans locutus sit: Iustus quidem tu es domine si disputem tecum: Veruntamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur, & bene est omnibus qui præuaricantur & iniquè agunt? plantasti eos, & proficiunt) prosperantur: è contrario iustis frequenter contingunt aduersa, & opprimuntur ab impiis, variisque infirmitatibus (propter quod ait scriptura: Multæ tribulationes iustorum) affliguntur. hinc quidam sumpserunt occasionem errandi atque dicendi, quòd deus non habeat prouidentiam rerum terrenarum & actuum humanorum. De quibus spiritus sanctus per Ezechielem testatus est. Dixerunt, Dereliquit dominus terram, & dominus nos non videt. Ex cõsequenti quoque asseruerunt non esse futurum iudicium dei, de quibus in libro Sapien. habetur: Dixerunt impij apud se cogitantes non rectè: Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & posthæc erimus tanquam si nati nõ fuerimus. Ex hoc demum errore laxauerunt habenas concupiscentiis suis, & sine refrenatione volu-

Iere. 12.

Exec. 9.

Sapien. 2.

Ibidem.

ptatibus seruiuerant. Vnde in præfacto Sapient. lib. dixisse, & ex falsis præmissis conclusisse leguntur. Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanquam in iuuentute, celeriter vino pretioso & vngentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant. Nullum pratum sit quod non pertransseat luxuria nostra. Vbiq; relinquamus signa letitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est fors nostra. Sed insipientes ac impij isti improuida consideratione falluntur. Quauis nanque (vt tactum est) frequenter communitèrque contingat, quòd impij florent, prosperantur, ac diu impune peccant in seculo isto, nihilominus sæpe oppositum accidit: imò multoties iustus deus in hac vita non solum puniuit, sed etiam tam acriter, tanq; celeriter puniuit iniquos, & eos occidit ac condemnauit, vt non solum certi esse debeamus de prouidentia dei & futuro eius iudicio, sed & vehementissimè admirari, ac formidare debeamus rigorem diuini iudicij. Nonne in exordio mundi, propter primorum parentum nostrorum transgressionem, non solum irrevocabiler

Genes. 3.

expulit eos de paradiso terrestri, imò etiam totam eorū posteritatem tam amœna habitatione priuauit: atque (quod grauius est) posteros eorum originali nudauit iustitiæ, & culpæ ac damnationi iudicauit obnoxios, ita quòd vsq; in præsens nascatur filij iræ, & in peccatis concipiantur, ac variis subiiciantur miseris, *Ephē. 2.* in tantum quòd Ieremias in vtero sanctificatus, conquestus est, dicens: *Quare Iere. 1. 20.* de ventre egressus sum vt viderem laborem & dolorem, & consummarentur in confusione dies mei? Præterea manifestauit omnipotens deus terribilitatem, ac distinctionem iustitiæ suæ, quando totum genus humanum interfecit diluio, *Gene. 7.* paucis id est octo, hominibus exceptis, in quo diluio innumerabiles mergebantur. *2. Pet. 2.* infantuli, qui adhuc nullam commiserant culpam. Similiter declarauit altissimus metuendam suam iustitiam in horrenda subuersione, atque sulphurea ambustione Pentapolis, id est, quinque urbium, & vniuersorum etiam infantium, qui erant in ipsis propter immundissima eorum facinora. Deinde multipliciter, terribiliter ac euidentissimè ostendit rigorem suæ iustitiæ in vniuersa terra Aegy- *Exod. 7. 3.* *9. 11. 14.*

pti, & in cunctis Aegyptiis, quos decem principalibus plagis, multisque aliis plagis percussit, ac multos eorum in mari rubro submersit. Quibus peractis, monstravit suae districtiorem iustitiam saepe & copiose in Israelitico populo in deserto, in quo dum populus ille vitulum aureum adorasset, occisa sunt mox ex eis viginti tria millia hominum. Cumque duo filij Aaron posuissent ignem alienum in thuribulibus suis, protinus venit ignis divinitus combusitque eos. Deinceps quoque dum variis modis peccassent filij Israel in creta, ut puta esum carniū desiderando, impatienter agendo, ac modis variis murmurando, dire perlati sunt, in tantum quod in sexcentis millibus ac pluribus ex Aegypto eductis, non nisi duo viri (videlicet Iosue ac Caleb) terram promissionis ingressi sunt: Inter quos Darhan & Abiron, non quoque & Chore horribilius sunt plagati: quia cum tabernaculis suis à terra vni fuerant absorpti. Insuper, in extirpatione & occisione Chananeo um, fortissimorum & innumerabiliorum populorum, deus iustitiam suam, per filios Israel horrendè monstravit, in aliis quoque gentilibus tempore Iudicij. In eua

Exod. 12. filij Aaron posuissent ignem alienum in
Eod. 15. thuribulibus suis, protinus venit ignis di
16. vinitus combusitque eos. Deinceps quoque
Num. 14. dum variis modis peccassent filij Is
19. rael in creta, ut puta esum carniū de
Deut. 1. siderando, impatienter agendo, ac modis
Psal. 105. variis murmurando, dire perlati sunt, in
Num. 16. tantum quod in sexcentis millibus ac plu
Iudic. 11. ribus ex Aegypto eductis, non nisi duo
15. 46. viri (videlicet Iosue ac Caleb) terram pro
 missionis ingressi sunt: Inter quos Darhan
 & Abiron, non quoque & Chore horri
 bilius sunt plagati: quia cum tabernacu
 lis suis à terra vni fuerant absorpti. Insuper,
 in extirpatione & occisione Chananeo um,
 fortissimorum & innumerabiliorum populorum,
 deus iustitiam suam, per filios Israel horrendè
 monstravit, in aliis quoque gentilibus tempore
 Iudicij. In eua

gelica quoque lege, in improvisa ac subita
 nea interfectione infidelium tyrannorum
 persecutorum ecclesiae, imò in principio
 creationis rerum, in eiectione & condem
 natione angelorum peccantium, quos pro
 vno peccato celerrimè factò aeternaliter
 condemnauit & puniuit. In quibus omni
 bus per ista suae æquitatis exempla nos ter
 ruit, salubriterque admonuit ut diuini ti
 meamus iudicij ineffabilem æquitatem,
 quæ rigorosus nimis iudicabit, ac vindi
 cabit in futuro vitia hominum, quàm in
 seculo isto. Itaque dicere possumus illud
 Iob, Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum
 (id est operum) eius, & cum vix paruam
 stillam sermonum eius audierimus, quis
 poterit tonitruum magnitudinis eius in
 tueri? Etenim stillæ sermonum dei, sunt iu
 dicia eius facta in mundo isto: tonitruum
 tem magnitudinis eius, est futurum eius iu
 dicium, & sententia eius contra iniquos:
 qua dicitur, Ite maledicti in ignem æternum.
 Hinc beatissimus princeps apostolorum
 Petrus in sua secunda scribit canonica, Si
 deus angelis suis peccantibus, & origina
 li mundo non peperit, diluuiū mundo im
 piorum inducens, & ciuitates Sodomorum
 & Gomorrhæorum in cinerem redigens

Isaie. 14.
Ex. ec. 28
Iob. 26.
2. Pet. 2.
Gene. 7.
 19.

euerfione damnauit, exemplum eorū qui impiè acturi sunt ponens velit dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij cruciandos feruare.

De multis rebus ex quarum conderatione innotefcet quā metuedum & rigerosum fit dei iudicium tam generale in fine mundi quā particulare in fingulorum hominum obitu.

ARTICVLVS XVIIII.

Iuda. 1.



Cce venit dominus in sanctis millibus suis facere iudicium, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, & de omnibus durisq; locuti sunt cōtra dominum peccatores impij: Hæc verba sancti

Gene. 5.

Iudas apostolus allegat in sua epistola, esse prænunciata ab Enoch qui in paradysum translatus est. Multa sunt ex quibus docemur quantum formidare debemus iudicium dei, tam particulare quā generale: imò qui in die generalis iudicij cupit esse securus studeat deo indefinenter placere, & ad mortem salubrem pertere. Sic enim in particulari suo iudicio sal

Probata vita securitas in iudicio vtroque.

uabitur

uabitur, & idcirco in die nouissimo erit securus quidā, verò futurum in fine mundi iudicium minus verentur, quia adhuc longè abesse id opinantur. Qui pensent quòd particulare eorum iudiciū non nisi paululum distet, in quo si imparati fuerint inuenti, tam nunc quā in die nouissimo, in generali iudicio damnabuntur.

Deniq; vtrunq; istud iudicium est ineffabiliter metuendum. Primò ex parte iudicis summi: secūdò ex parte iudicandi: tertio ex parte retributionis. Ex parte etiam iudicis metuendum est vtrunque istud iudicium multis modis. Primò ratione altissimæ autoritatis & excellentiæ eius, à 1. qua nullus potest appellare: secundò ratione infinitæ sapientiæ suæ, quam nihil potest latere: tertio ratione omnipotentia suæ, cui nullò potest resistere, & quam nemo valet effugere: quarto ratione iustitiæ eius, quæ in tantum odit omne peccatum, quòd nullam culpam quantumlibet paruam deserit indiscussam aut impunitam: quinto quoniam ipse deus omnipotens non solum est iudex, sed etiam pars. Ipse quippe in omni culpa offenditur, quia in omni peccato mortali præceptum ipsius violatur. Sicque caussa verti-

Iudicium vtrunque metuendū multifarum.

1.
31.
111.
111.
v.
H

tur inter ipsum & iudicandos. Valde autem metuendum est iudicari ab ipso, in quem excessus commissus est: sexto ratione beneficentiae suae. Quod enim in hac vita benignior & gratiosior fuit nobis, quod plura ac maiora beneficia nobis exhibuit, quod longanimitius emendationem nostram praestolari dignatus est, quod frequentius & euidentiùs admonuit nos, eò ingratos & impios horribilius iudicabit. Praeterea ex parte iudicandorum terribile est vtrumque iudicium. Primo quoniam infirmi & fragiles sunt: secundo, quia in multis offenderunt: tertio, quia incerti sunt an digni sint odio, & an placeant deo. Amplius vtrumque iudicium metuendum est vehemèter ex parte retributionis, quae est aeterna damnatio, cuius instinctio est maximè formidanda, aut salus perpetua, cuius carentia est potissimè metuenda. Insuper, ultra hæc generale iudicium est, praesertim verendum. Primo, ex parte terribilium signorum quae illud praecedent, quia (vt in euang. veritas protestantur). Erunt signa in sole & luna, &c. Secundo, ex parte dispositionis in qua mundus tunc stabit. Nam ignis conflagrationis terram & aërem occupabit, & vniuersa creatu-

rae erunt quasi commotae contra iniquos *Sapientius*. atque armatae ac praeparatae ad vlciscendum in iniquis iniuriam creatoris. Tertio ex parte exercituum iudicis, quia ad erunt ibi vniuersi angeli sancti & ciues superni, qui & tunc visibiliter apparebunt. Quarto, ex parte potentiae omnium rationalium & intellectualium creaturarum, in quarum conspectu confundi, reprobantur & manifestari erit maxima poena.

De terribilitate diuini iudicij, ratione summae autoritatis & extremae excellentiae iudicij Christi.

ARTICVLVS. XIX.

DEus cuius irae resistere nemo potest, sub quo curuantur qui portant orbem. Quis ei dicere potest, cur ita facis? Solent inferiorum iudicum iudicia minus timeri, quoniam & si condemnent in causis quibusdam, patet evasio per appellationem ad iudicem superiorem. Maxime ergo timendum est iudicium summi iudicium, à quo appellari non potest nec licet, cuius iudicia quauis iniusta esse non queant, sunt tamen incomprehensibilia, mirabilia tamque districta & abdita seu occulta, vt multa

quæ humano iudicio iusta videntur & bona, ab ipso reprobentur ac condemnentur. Propter quod ait in Psalmo: Cum acceperō tempus, ego iustitias iudicabo, id est, examinabo an sint veræ iustitiæ. Huius exemplum patet 3. Regum, de propheta quem dominus misit ad increpandum idololatriam Ieroboam regis israel, præcipiens ei ne comederet neque biberet in terra regis illius. Qui cum ex deceptione cuiusdam pseudoprophetæ comedisset in terra illa, in ultionem inobediendiæ suæ à leone mox fuit occisus, qui tamen valde excusabilis videbatur, quoniam calidissimum illum pseudopropheta putavit esse verum dei prophetam, & peccare se credidit, nisi acquiesceret illi. Dixerat namque pseudopropheta ad ipsum. Et ego propheta sum similis tui, & angelus locutus est mihi in sermone domini, dicens: Reduc eum in domum tuam, & comedat: Unde elicitur, quod in multis credimus nos coram deo excusabiles esse, in quibus tamen ipse incomprehensibilis deus non habet nos excusatos. Quod etiam demonstratur ex reprobatione trium amicorum beati Iob, qui videbantur zelo divini honoris con-

tra Iob disputasse, quoniam ipsis apparuit quod Iob in verbis suis derogavit divini iustitiæ, propter quod eum acriter arguerunt, & tamen dominus iudicavit eos male esse locutos, dicens ad principalem ipsorum: Iratus est furor meus in te & in duos amicos tuos, quia non estis locuti rectum coram me, sicut servus meus Iob. Vehementissimè igitur formidemus iudicis summi iudicium, cui in excusabiliter & sine resistentia ac appellatione stare oportet. Hoc sanctus Iob intuens dixit: Quantus ego sum ut respondeam? Etiam si habuero quidpiam iustum non respondebo ei, sed ut meum iudicem deprecabor. Si fortitudo quaeritur, robustissimus est. Si æquitas iudicij, nemo audet pro me testimonium dicere. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Si me innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Itaque si fecerimus omnia quæ præcepta sunt nobis, & cum omni diligentia nobis possibili examinaverimus conscientias nostras, atque confessi fuerimus, pro viribus quoque satisfecerimus pro peccatis, adhuc tamen oportet humiliari sub omnipotentibus, formidare eius iudiciū, ac orare: Ab occultis

Iob. 18.

Iob. 32.

Iob. 37.

Iob. 9.

Luc. 17.

1. Pet. 5.

Pfal. 18. meis munda me domine, quoniam certi non sumus an altissimus iudex. satisfactionem nostram acceptet, & vtrum veram habuerimus contritionem, atque an poenitentia nostra ex charitate processerit. Ex horum consideratione sanctus David orauit: Non intres in iudicium cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Ecce *Pfal.* 145. si in vita presenti iniuste diiudicemur ac puniamur, superest consolatio aliqua, quoniam cogitamus quod deus qui male iudicata reiudicabit, faciet nobis iustum iudicium, pro iniuriis nobis illatis, retribuere nobis vicem, & recompensam: sed post iudicium dei reprobandis, ac condemnantis consolatio nulla restat, quem admodum ait scriptura: Ecce deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis est in legislatoribus. Quis poterit scrutari vias eius, aut quis ei dicere audeat, operatus es iniquitatem? Idcirco hoc solum habemus residui, vt coram ipso nos semper humiliemus, & fateamur nos in multis & magnis culpabiles, de quibus certam notitiam non habemus. Timeamus quoque, ne forsan opera nostra (qua bona & virtuosa esse confidimus) non

Iob. 56.

sint meritoria coram deo, vtruta ex charitate fortassis non facta. Quauis enim iudicio hominum bona sint, ignoramus tamé qua distinctioe, qua subtilitate, qua abdita ratione iudicabuntur à deo. Iugiter ergo diiudicemus ac vilipendamus nosmetipsos, & occulta dei iudicia metuere non censemus. Omnis praesumptio & vana securitas longissimè absint à nobis. Hinc cum patriarcha Alexandrinus venisset in eremum, & dixisset abbati fratrum: Quid amplius inuenisti in loco hoc Abba? respondit: Indefinenter culpare & diiudicare me ipsum. Dixitque patriarcha: Non est alia via. Ideo sanctus ait *1. Cor. II.* postolus: Si nos ipsos diiudicemus, non vti que iudicaremur.

Quam metuendum sit dei iudicium, propter in finitam sapientiam eius.

ARTICVLVS XX.

OMnia nuda & aperta sunt oculis eius. *Hebr.* 4. Quanto quis sapientior, sanctior atque honestior est, tanto poenalius est coram eo turpe ac sordidum appare, atque ab ipso redargui, & confundi, repro *Pfal.* 146

H iij

bari, despici ac puniri. Cum ergo sapientia dei non sit numerus & sanctitatis, ac dignitatis eius nullus sit finis, nec vlla sit eius honestatis ac honorabilitatis mensura, certum est, quod ineffabiliter graue, confusibile ac pœnale sit animę peccati ci coram diuine maiestatis tribunali, cum suorum fœditate, vilitate ac turpitudine vitiorum apparere, conspici ac cõtemni, discuti quoque ac reprobari ab ipso sancto & sapientissimo deo. Nonne videmus quod homines accessuri magnos principes, aut excellentiores pœlatos, pulchriora quę habent & meliora induunt vestimenta, ne refutentur, & ne excellentiam illorum videantur inhonorare. Vnde legitur in libro. Hester, quod non licuit indutum sacco aulam regis intrare. In Apocalypsi quoque dominus loquitur peccatori: Vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuę. Alba etenim vestimenta sunt virtutes, & opera sancta, quibus animę ornantur ac vestiuntur: quibus qui carent, confusibiliter ac spiritualiter nudi ac fœdi sunt coram deo. Insuper in lib. Danielis narratur, quod rex Babylonis. Nabuchodonosor iussit pœposito eunuchorum suorum vt intro

*Judicium
vremendũ
vatiõẽ ma
vestatis di
uina.*

*Similitu-
do.*

Hesters 4

Apoc. 3

Danic. 2.

duceret de filiis Israhel pueros natos ex semine regio, in quibus nulla esset macula decoros forma, & eruditos in omni sapientia, cautos scientia, doctosque disciplina vt possent stare & ministrare in presentia regis. Ecce, si rex ille terrenus voluit coram se adduci, stare & obsequi pueros tam ornatos, facetos, immaculatos ac nobiles, quid mirum quod rex omnium seculorum, immortalis, inuisibilis ac infinite perfectus, requirat in suis ministris splendorẽ virtutum, sapientię lucem, morũ venustatẽ, vitę nobilitatem, atque ab omni peccato (pœsertim mortali) immunitatem? Propterea intollerabilis confusio, ac pœna grauisissima est, coram sapientissimo atque sanctissimo deo, pœsentari cũ vitiorũ squalore, cum prauę consuetudini deformitate, cum putredine ignobilissimę vitę, id est, conuersationis iniquę. Pœterea, quãtõ iudex cęlestis clarius nouit vniuersas nostras transgressiones, omnesque circumstantias, origines & numerum culparũ nostrarum: tantõ vehementius formidare debemus ipsius iudicium. Ipse autẽ omnia clarissimẽ intuetur, omnesque nostras cõmissionses & omisiones iniquas, etiã minimas distinctissimẽ contẽplatur.

1. Timo. 1

*Divina
maiestati
ocultum
nihil.*

*Indiscus-
sum nihil
relinquen-
dum.*

Vehementissimè igitur nos oportet iudicis huius formidare iudicium, qui nullà penitus cogitationè illicitam, nullam affectionem, nullà locutionem, nec aliquè actum, inò nec aliquè omissionè, negligentiam aut corporem, indiscussam, iniudicatà, impunitam relinquit. Hinc ad incutiendum nobis salubrem timorem, indefinentem quoque custodiam, ac timoratum in omnibus conuersationem: Deus omnipotens in scripturis noui ac veteris testamenti frequenter ac seriosè testatur se omnia intueri, considerare ac perscrutari. Hinc equidem ait per Amos prophetam, Cognoui multa scelera vestra: & Visitabo super omnes iniquitates vestras, nec obliuiscar vsque ad finem omnia opera vestra. Et primo Reg. testatur, Non secundù hominis intuitum ego iudico. Homo enim videt que patent, dominus autem intuetur cor. Ideo Ieremi, propheta loquitur deo, Domine deus fortissime, magne, potens, magnus consilio & incomprehensibilis cogitatu, cuius oculi aperti sunt super omnes filios Adam, vt reddas unicuique secundù opera sua. Hoc perpèdès etià beatus Iob dixit, Nonne deus considerat vias meas, & om-

*Amos. 5.
Et 3.*

Ierem. 32.

Iob. 33.

nes gressus meos dinumerat? Itèmq; Observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti. De quo etià in libro Sapient. Altissimus interrogabit opera vestra, & cogitationes vestras scrutabitur. Magna ergo & vere ineffabiliter magna ratio, atque necessitas formidandi, ac timoratiè viuendi nobis incūbit, quoniam ante oculos iudicis summi omnia intuentis, cuncta scientis ac iudicantis, est tota conuersatio & existentia nostra. Consideremus pro posse, quantas quotidie habeamus cogitationes inanes, imaginationes inutiles, affectiones illicitas, otiosa prauaque verba, & opera mala. O quot distractiones cordi, habemus, ac patimur omni die in orationibus, & in diuinis officiis. O quot bona omittimus omni hora, quàm infructuose imò & vitiose deducimus tēpus, quantum quotidie in cibo, potu & somno excedimus, & quàm imperfecta ac defectuosa sunt opera nostra bona? Et hæc omnia inspicit deus indefinenter: & quonià ipse silet ac differt vindictam, nos obtenebrati, ingrati, infelices ac stolidi adiicimur peccata peccatis: ac sine numero ac mensura peccamus. Quid ergo dicemus?

Sapient. 6

Mala hominum.

Eccle. 3. quid agemus, quò diuertemus, cum præsentati eius tribunali fuerimus, quum in momento in istu oculi obiecerit, & clare ostenderit nobis vniuersa hæc vitia nostra, magna ac parua, maiora ac maxima, minora ac minima? Certè respondere nõ quibimus vnum, pro mille, nisi interim cõdignos pœnitentiæ fructus egerimus, & super custodiam nostram incessabiliter stemus, diiudicantes, despicientes & castigantes nos ipsos. Hinc ait sanctus Bernardus, Qui tam vehementissimè metuendum, quàm iudicandum astare tam districti iudicis tribunali, qui teste non indiget, & intentiones discutit cordis, cuius inquisitio vsque ad secreta mentis pertingit? Nempe tam acutissimè singulorum vitam considerat, vt nec minutissimæ cogitationes, nec tenuissima verba quæ ipso vsu apud nos viluerunt, in eius iudicio indiscussa remaneant. Meritò ergo dixit Iudorus: Ad districti (inquit) iudicis examen, nec iustitia iusti secunda est, imò vt abbas Agathon ait, Si deus nobis imputaret distractiones cordis, & negligentias quas in orationibus nostris, & officio diuino incurrimus, salui esse non possemus, Iugiter ergo pensemus, & sollicitè formi

demus quòd beatissimus princeps apostolorum in prima sua scribit epistola: dicens, *1. Pet. 4.* Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi manebunt? Certè (vt gloriosus factetur Hiero) multi elingues, multi & balbutientes, sceliciores tunc erunt loquacibus, & facundis: multi pastores & bubulci tunc præferentur philosophis, multi rustici principibus, multi obtusi, subtilibus. Hinc distulit Leo Papa, ista est iudicis summi scientia, iste tremendus aspectus ipsius, cui peruium est omne solidum, & apertum est secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitentur, & sine voce mens loquitur. Idcirco cum talis ac tanta sit sapientia dei, contra eam nihil poterunt nec valebunt allegationes aduocatorum, sophismata logicorum, eloquentiæ oratorum, neque Aristotelicæ argumenta subtilitatis.

De horribilitate diuini iudicij propter omnipotentiam iudicis summi.

ARTICVLVS XXI.

DEus Iudex iustus fortis & patiens. *Psal. 7.*
Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, &

Luc. 14.

parauit illum. Quam maximè metuen-
 dus sit nobis iudex, altissimus, ipsemet in
 euangelio docet in parabolis, dicēs, Quis
 rex volens committere bellum aduerſum
 alium regem, non prius sedens cogitat an
 possit cum decem millibus occurrere ei
 qui cum viginti millibus venit ad se? A-
 lioquin illo adhuc longè agente, legatio-
 nem mittens, rogat ea quę pacis sunt. Per
 quę verba Christus designat quòd homo
 iudicandus ab ipſo Christo rege cęlorũ,
 debet quotidie examinare atque penſa-
 re an in iudicio valeat respondere, & de
 cunctis actibus suis interioribus & exte-
 rioribus, de verbis & omissionibus deo
 reddere rationem. Quod si viderit face-
 re se non posse, studeat omnipotentē pla-
 care, & metuendissimum iudicem sibi re-
 conciliare per lachrymarum effusionem,
 per elemosynarum largitionem, per ce-
 lebrationem missarum, per exercitia sa-
 crę vigiliarum, orationum, disciplinarũ
 & ieiuniorum. Aduertamus ac formide-
 mus comminationes, imò & cunctas præ-
 nuntiationes omnipotentis, qui per san-
 ctos apostolos & prophetas, per euange-
 listas & ceteros sanctos patres, tam ter-
 ribiliter ac frequenter prænuuntiauit di-

Quibus
 numeris
 concilian-
 dus sit
 deus.

Arictionem futuri iudicij, & sempiterna
 comminatur tormenta, quatenus iterum
 per timorem dei, per sollicitudinem spiri-
 talem, per feruentem cordis custodiam,
 per satisfactionem quotidianam, per la-
 chrymosam cõtritionam mereamur eua-
 dere tanti rigorem iudicij, tot periculũ &
 pressuras. Hinc per Moſen dixit, Cum a- *Dente. 32.*
 cuero vt fulgur glaciũ meum, & arri-
 puerit iudiciũ manus mea, reddam v- *Eſaiã. 42.*
 tionem hostib' meis. Atque per Eſaiã, *& 30.*
 Tacui, patiens fui, vt parturiens loquar.
 Dissipabo & absorbebo simul. Itẽmque,
 Ecce nomen domini venit de lōginquo,
 ardens furor eius & grauis ad portandũ.
 Labia eius repleta sunt indignatione, spi-
 ritus eius velut torrens inundans ad per-
 dendas gentes in nihilum. Terrorem bra-
 chij sui in cõmemoratione furoris, & in-
 flama ignis deuorantis. Et Indignabitur *Eſaiã. 66*
 deus inimicis suis: quia ecce dominus in
 igne veniet reddere in indignatione fu-
 rorem suum, & increpationẽ suam in flã-
 ma ignis. Insuper Iere. propheta præ- *Ierem. 23.*
 dixit, Ecce turbo dominicę indignatio-
 nis egreditur, & tẽpeſtas erũpens super
 caput impiorum veniet. Non reuertetur
 furor domini vsque dum faciat, & vsque

dum compleat cogitationes cordis sui, & dabit iniquos in opprobrium sempiternum, & in ignominiam æternam, quæ nūquam obliuione delebitur. Timeamus iudicium omnipotentis, ad cuius aspectum columnæ cæli contremiscunt & pauent, in cuius conspectu cælum & cæli cælorum, abyssus & vniuersa terra, & omnia quæ in eis sunt, commouentur, & cum conspexerit ea deus, terrore concutitur. Et tamen in omnibus his incensatum est cor hominis, quod talem ac tantum dominum non veretur, sed eius præcepta impudenter, & irrefrenatè transgreditur, quod cæteræ creaturæ sustinere vix possunt, imò ad vlciscendum creatoris sui iniuriam exardescunt, quanuis ex pietate diuina diratur vindicta. Hinc per illud Ieremiæ, Obstupefcite cæli: super hoc scribit Hierony. Cælum videns præceptum dei calcari, exhorrescit, & stuporem dissimulare non potest, Omnis enim creatura congemiscit & dolet super peccatis hominum. De quibus in libro Sapient. scriptum est, Impij secundum ea quæ cogitauerunt, corruptionem habebunt: quoniam neglexerunt iustum, & à domino recesserunt: mulieres
eorum

*Job. 26.**Ecccl. 16.**Irem. 2.**Sapient. 3.*

eorum insensatæ sunt, & nequissimi filij eorum. Et si longæ vitæ erūt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum, & si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, quoniam dominus deus eos deridebit, & erunt post hæc decedentes sine honore, & in contumelia erunt inter damnatos in perpetuum, & vsque ad supremum desolabuntur, & erunt gementes. Veniēt in cogitatione peccatorum suorum timidi, hoc est, ex memoria & remorsu vitiorum suorum, veniēt ad finale dei iudicium, cum grandi timore, & traduent illos ex aduerso iniquitates ipsorum, id est propter scelera sua ponentur ad sinistram iudicis meruendi. Humiliemus igitur iudici omnipotentis animas nostras, & quoniam non valemus effugere eius potentiam, confugiamus pœnitentes ac humiles ad eius clementiam: nec pro aliqua prosperitate adipiscenda, neque pro aliqua aduersitate euadenda offendamus ipsius potentiam, attendentes quod venerabilis ille martyr veteris testamenti ait in lib. Mach. Nam & si impræsenti tempore supplicij hominum cripiar, manum tamen omnipotentis, neque viuens

2. Mac. 6.

neque defunctus effugiam.

*De terribilitate & rigore diuini iudicij
ex parte diuinae iustitiae.*

ARTICVLVS XXII.

Sap. 13.

CVM sis iustus domine, omnia iuste disponis, virtus enim tua, iustitiae initium est. Quemadmodum oculus cor peralis quò fortioris est luminis & maioris acuminis, eò minora & plura ac per spicacius videt. Sic oculus intellectualis, quantò clarior, sapientior ac iustior fuerit, eò culpas etiam minimas lymphidius intuetur & odit. Idcirco iudex ille altissimus cuius mens in infinitum pra omnibus iusta & sapiens est, vniuersa & singula hominum peccata, quantumlibet modica, clarissime inspicit. Videmus quoque quòd quantò sanctior ac iustior fuerit quis, tantò plus odit, abhorret & punit iniquitatem. Ideo iudex supernus qui infinita est sanctitatis & aequitatis, peccata inenarrabiliter odit, detestatur ac vindicat. Hinc itaque metuendissimè est à iudice illo increpàri ac discuti, qui tam indignanter ac horribiliter inspiciet peccatores, tamq; rigorosissimè nos affabitur: sicut ait Propheta, Tunc loquetur ad

eos in ira sua, & in furore suo turbabit eos. Qui habitat in caelis irridebit eos, & dominus subannabit eos. Itemque, Odisti domine omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium: Virum sanguinum & dolosum abhominabitur dominus. Hinc ait & per Amos, Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum sceno, & peribit fuga à veloce, & fortis non saluabit animam suam. Rectè igitur ait sanctus Bernardus, Quid tam pauendum, quid tam plenum anxietatis & vehemèntissime solitudinis cogitari potest, quàm iudicandum stare ante tribunal iudicis summi, & sub tam districto iudice incertam expectare sententiam? Verendum est valde quum ad hoc ventum fuerit, ne in tam rigoroso ac subtili examine multae nostrae iustitiae, vt putantur, peccata appareant. Sic etenim inter homines cernimus quòd homines imperfecti, rudes ac simplices iudicant multa verba & opera esse bona ac iusta, quae tamen homines illuminati, atque in spiritibus actibus exercitati considerant esse illicita & iniqua: quantò magis deus infinitae excellentiae, in omni sapientia,

Psal. 2.5.

Amos. 2

*In felici-
tas divini
iudicij.* virtute ac sanctitate, multa verba & ope-
ra nostra, quæ putamus esse vera ac iusta,
iudicabit fuisse iniusta atque erronea?
Formidemus ergo iudicium iudicis huius
qui tunc nec gratia præuenitur, nec mi-
sericordia flebitur, nec donis corruppi-
tur, nec pœnitentia mitigatur, cuius tunc
tanta inflexibilitas erit: quæ quanuis bea-
tissima virgo Maria omnèsq; angeli san-
cti, & vniuersi electi rogarent pro salua-
tione vnius existentis in peccato morta-
li, non tamen eos tunc exaudiret. Deni-
que, zelus iudicis illius tunc æstuantissi-
mus erit, & summè implacabiliterq; suc-
census contra iniquos, aduersus quos tunc
ira eius in tantum defæuiet, vt Euangeli-
sta Ioannes in Apocalypsi locutus sit, Di-
cent montibus & petris, Cadite super nos
& abscondite nos à facie sedentis super
thronum & ab ira agni, quoniam venit
dies magnus iræ eorum, id est, iræ dei ad-
uersus eos. Vnde & in Osee legitur, Di-
cent motibus, operite nos: & collibus, ca-
dite super nos vt enim esserit sanctus? An-
gustinus, Mallent reprobi & iniqui om-
ne supplicium sustinere, quàm faciem iu-
dicis irati videre. De quo Daniel prophe-
ta prædixit. Thronus eius flammæ ignis,

*Zelus dei
in pecca-
tore.*

ps. 6.

ps. 10.

rotæ eius ignis succensus. Fluuus igneus *Danie. 7*
rabidusque egredietur à facie eius. Per
quæ omnia designantur: feruor & rigor
& zelus diuinę iustitiæ contra malignos,
acerbiter quoque & abundantia tormen-
torum eis infligendorum, quæ per fluuium
igneum ac rabidum denotantur. Quem-
admodum enim in flamma sunt claritas
luminis & calor ignis, ita in iudice illo est
ardentissimus zelus æquitatis atque cla-
rissima notitia veritatis. Porro per rotas
iudicis significatur expeditio suæ poten-
tiæ, ac velocitas suæ iustitiæ, quibus inue-
hitur & procedit contra damnandos. Hinc
quoque Isaias propheta loquitur de deo *Isaie. 59*
iudice adorando, quasi de viro armato ad-
uiciscendum se festinante ac feruido. In-
dutus est (inquiens) iustitia vt lorica, &
galea salutis in capite eius. Indutus est
vestimentis vltionis, & opertus est qua-
si pallio zeli sicut ad vindictam, quasi ad
retributionem indignationis hostibus suis
& vicissitudinem inimicis suis, cum ve-
nerit quasi fluuius violentus. Tunc planè
implebitur quod prædictum est in lib. *Sap. 5.*
Sapientiæ, Accipiet armaturam zelus il-
lius, & armabit creaturam ad vltionem ini-
micorum. Induet pro thorace iusticiam,

& accipiet pro galea iudicium certum. Su-
met scutum inexpugnabile, æquitatem:
& acuet diram iram in lanceam. Hinc ait
Chrysofomus, Tunc nec diuitiæ pro-
sunt diuitibus, nec parentes intercedent
pro filiis, nec angeli vt solebant pro ho-
minibus facient, quia natura iudicij præ-
fertim extremi non recipit misericordiã.

Prone. II.

Vnde & Salomon protestatur, Non pro-
derunt diuitiæ in die ultionis. Tunc ma-

Ezec. 14

ximè adimplebitur quod per Ezechie-
lem locutus est dominus, Si Noë & Iob
& Daniel fuerint coram me, filium & fi-
liam non liberabunt, sed in iustitia sua li-
berabunt animas suas. Hinc rursus per eū-
dem prophetam dominus loquitur pecca-
tori, Ecce cõplosti manus meas super ma-
litas tuas: nunquid sustinebit cor tuum
aut præualebunt manus tuæ in diebus
quos faciam tibi? Ecce quàm terribiliter
loquitur iustus & omnipotens deus con-
tra iniquos. Nam & per Osæ dixit, Oc-
curam eis quasi vrsa raptis catulis, dirum-
pam interiora eorum, & consumam eos
vt leo. Vt enim asserunt naturales, nihil
ferocius est vrsa dum catulos suos ami-
sit, & eum qui primò ei occurrit, crude-
lissimè mox inuadit. Cur ergo deus cuius

Osæ. 13.

natura est bonitas, & cuius proprietas est
pietas, comparat se crudelissimæ feræ,
nisi ad insinuandum intolerabilem rigo- Exod. 23.
rem suæ iustitiæ? qui etiam per Moisen
iussit in iudicio non misereberis paupe-
ris, scilicet in derogationem iustitiæ, aut
in detrimentum partis aduersæ. Nihil e-
nim tam gloriose lucet in iudice, sicut a-
mare & exhibere iustitiam sine persona-
rum acceptione. Nã & Tullius ait, Exiit
personam iudicis quisquis amicū induit.
Aequitas cui iudex obsequitur, sinistram
odij & amoris dexteram nescit. Talis nã-
que debet esse iuris minister, & iudex,
vt nullius autoritate personæ titubet aut
vacillet in manu sua libra iustitiæ.

*Quod diuinum iudicium sit incompara-
biliter metuendum, eo quod ipse iudex al-
tissimus sit iudex & pars.*

ARTICVLVS XXIII.

SI peccauerit vir in virum, placari ei
potest deus: si autem in dominum pec-
cauerit, quis orabit pro te? Quamuis
quædam peccata dicuntur peccata in deū,
quia sunt directè cõtra præcepta quibus
I iij

1. Reg. 2.

præcipitur honorare & colere deum, ut sunt tria prima præcepta decalogi, quædam verò dicuntur peccata in proximum, quæ directè nociua aut iniuriatiua sunt proximorum, ut sunt transgressiones aliorum septem præceptorum decalogi: omnia tamen peccata possunt dici peccata in deum, quoniam sunt contra aliqua eius præcepta, ut furtum, rapina, adulteriũ, homicidium, & consimila. Præterea loquendo in generali, peccata in deum sunt grauiora peccatis in proximum: sicut odiũ dei, infidelitas, blasphemia, desperatio sunt multò grauiora quàm rapina & furtum: loquendo tamen in speciali quædam peccata in proximum sunt enormia, quàm quædam peccata in deum, sicut adulteriũ, & homicidium grauiora sunt quàm violatio aliqua sabbathi, aut vana iuratio & iuxta hũc modũ difficilius aut facilius est satisfacere deo pro peccatis commissis in ipsum, vel pro peccatis commissis in proximum. Itaque quoniam omne peccatum mortale est contra aliquod dei præceptum & contra deum, ipse iudex altissimus in iudicio, tam particulari quàm vniuersali, non solum est iudex, sed etiam pars aduersa rei iudicandi

*Peccata
indeũ qua
nã grauiora
peccata
in in pro
ximum.*

*Omne
peccatum
mortale
quomodo
peccatum
in deum.*

ab ipsa transgressione diuini præcepti; ita quòd causa vertitur inter iudicem deum, & inter reum. Est autem valde specia liter metuendum, iudicari ab eo qui est aduersarius iudicandi, & ab illo præstolari sententiam qui iniurias passus est, & quem causa directè concernit, quemadmodum si homicida læsisset ballium, aut eius filium occidisset. Quid ergo dicturus, quid acturus est infelix peccator, cum eius fuerit tribunali adductus, quæ toties tamque enormiter inhonorauit, offendit, contempsit, & cuius adoptiuos filios aut filias, amicos & ministros, scilicet proximos suos toties spiritaliter interfecit, eos scandalizando, aut aliquo modo ad vitia pertrahendo? O quali vultu aspiciet illum iudex, quàm horribiliter eum inuadet, increpabit, damnabit ac puniet! Certè (sicut per Oseã prophetam prædixit) iuxta desiderium suum corripiet eos. Consideremus enormitatem cuiuslibet peccati mortalis, sicque patebit quàm ineffabilem irreuerentiam iniuriam & offensam faciat deo peccator. Certè quò eminentior est præcipiendis autoritas, eo grauior culpa est violationem ac transgredi eius præceptum. Cum

Oseã. 10.

*Offensa
grauior
in autori-
tatem ma-
iorem.*

itaque autoritas dei sit summa, incomparabiliter magna ac penitus infinita, incomparabiliter graue & impium est, dei mandatum præuaricari. Rursus quod maior est bonitas ac dignitas dei, eò enormius est ei quicquam præferre. Cum ergo in omni mortali peccato, peccãs præponat propriam voluntatem voluntati diuinæ, & bonum creatum, caducum, carnale, seu vanum, bono increato, incommutabili, immenso, prorsus perfecto & infinite dignissimo, constat quod peccans mortaliter, ineffabiliter magnam & quasi infinitam irreuerentiam, iniuriam & offensam inferat deo, cui prælegit & præponit ista vilissima, immundissima, carnalia & terrena. Amplius quod maior est sanctitas atque iustitia dei, eò plus detestatur, odit ac reprobatur iniquitatem, & ita cum sit interminabiliter sanctus ac iustus ita quod super sanctitatis & æquitatis nullus est finis, nulla mensura & comparatio nulla, certum est quod infinita detestatione & inæstimabiliter magno odio abhorreat omnem culpã mortalem. Insuper quod maior est sapiëntia dei & fidelitas eius ad homines, eò stultius est eius præceptis non obedire, eius documentis & consiliis re-

Peccatum quãta diuina bonitatis iniuria.

Sanctitatis diuina iniuria mortale peccatum.

pugnare, indefinenterque agere quæ ipse prohibuit. Idcirco merentur iniqui à iudice summo indignantissimè inspicere, acerrimè increpari, totaliter despici, maximèque confundi, vituperari & æternaliter reprobari, Et si pro vno mortali peccato, etiam minimo inter peccata mortalia merentur ita tractari, quàm incomprehensibiliter durè ac contemptibilissimè tractabuntur ab ipso qui eum sæpe & irrefrenatè offenderunt etiam in enormioribus vitiis, & imò frequentius quàm valeat numerari, & qui alias quoque personas traxerunt ad lapsum? O quàm confusibiliter ac tremebundè ante iudicem stabunt, redarguti à conscientiiis propriis, ad quem tam irreuerenter & intumoratè se habuerunt, quem tam enormiter & læpissimè contempserunt, cuius præcepta, documenta, monita & consilia imprudenter quotidie abierunt. O quàm minaci, irato, horribili, indignatisque vultu ipsos aspiciet, alloquetur, reprobabit ac condemnabit. De quibus apud Esaiam deus testatur, Heu, ego consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Et apud Ezechielem, Complebo furorem meum, & requiescere faciam in-

Iniuria dei peccatum ratio ne sapiëntia infinita.

Esai. i.

Ezec. 4.

dignationem meam, & consolabor. In quibus verbis Deus loquitur per modum principis, propter iniurias sibi illatas irati & contristati: qui cum iuxta desiderium suum exercuerit ultionem in aduersariis suis, consolatur, lætatur atque quiescit. Præterea multum indignanter & ægrè ferunt superiores, si præcepta eorum à subditis violentur in ipsorum præsentia & aspectu. Cum igitur constet omnibus, deum, omnia intueri, hoc valde auget transgressionem & contemptum culpæ nostrarum. in deum, quod deo præsentem ac intuente, audemus præcepta ipsius præuaricari. Itaque si desideramus ab omnipotente in die particularis ac generalis iudicis misericorditer recipi, benignè tractari, & fauoribilem obtinere sententiã, studeamus eum in omnibus honorare, & eius semper vitare offensam.

De terribilitate ac distributione diuini iudicij ex parte beneficentia dei.

ARTICVLVS XXIIII.

Mal. 1. **F**ilius honorat patrem suum, & seruus timet dominum suum. Si ergo ego pater sum, vbi est honor meus? Et si

dominus ego sum, vbi est timor meus? *Luc. 12.*
 dixit dominus. Dominus noster Iesus Christus in euangelio ait, Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo: & cui multum commodatum est, plus requiretur ab eo. Itaque quanto maior est dilectio atque dignatio dei ad nos, quod etiã maior est misericordia eius in nobis: & quod plura ac maiora beneficia contulit nobis, eò vitiosior est ingratitude, inobediencia & transgressio nostra, & eò grauius ac rigorosius iudiciũ imminet nobis. Porrò tanta est charitas ac dignatio dei ad nos, quod à nobis pauperrimis & indignis pater appellari dignatur: idcirco tenemur eum filialiter re amare & honorare: quod esse non potest, nisi eius præcepta in omnibus obseruemus: sicut ipsemet filius dei testatur, *Ioa. 1. 4.*
 Qui seruat mandata mea, ille est qui diligit me. Itẽmque, Si quis diligit me, sermonem meũ seruabit. Idcirco qui nec amore nec timore à diuinorum transgressione præceptorum retrahitur, omnino ingratus est charitati, & dignationi dei ad se, atque meretur odio haberi ac indignanter repelli à deo. Insuper tot & tanta sunt beneficia dei nobis ab ipso exhibita, quod nihil æquiualens, aut cõdi-

Dignatio dei ratione paternali dilectionis. quanta.

Beneficia diuina.

gnum rependere ei valemus, etiam si totis viribus seruerimus ei, & honorauerimus eum. Nonne ergo inestimabiliter magna peruersa atque damnabilis est in gratitudo, improbitas, inobedientia ac rebellio iniquorum, qui creatorem suum non solum non honorent, nec timēt, nec diligunt totis viribus suis, imò potius quotidie inhonorant, contemnunt relinquunt corde, ore & opere, multiplices quoque vitiosa omissione? Et si dicant se non contemnere deum, certum est quòd intantum despiciant eum, quantum eius mandata transgrediuntur, & quantum suæ bonitati ac dignitati immensè præferunt ista carnalia ac terrena, nec debitam curam diligentiamque apponunt ad obediendum ei in cunctis. Insuper quòd dominus maiestatis diutius nobis pepercit & gratiosius tolerauit nos in nostris excessibus, eò inefabiliter enormiora sunt scelera nostra, & eò intolerabilius iudicium nobis instat: ideo tantò formidolosius vnusquisque expectet diuinū iudiciū quò se frequentius, diutius, & enormius peccasse cognoscit, & tum hucusque clementer à deo tolleratum esse perpendit. Denique non tantū piè tolerat deus ini-

*Contēptus
i deū quā
dō fit.*

quos, sed etiam beneficia multa ipsis largitur, non finēs eos à diabolo suffocari, sicut merentur, sed conseruans eos in esse & præstans necessaria vitæ, ad conuersionem quoque & poenitentiam multipliciter admonens eos, sicque assidue reddēs eis bona pro malis. Quid responsuri sunt isti iudici summo, cum cœperit, cum eis ponere rationem? Qualiter indignabitur eis? vbi miserimi se abscondent? Quid respondebunt vnigenito filio dei, qui propter eos factus est homo, conuersatus in mundo, affixus patibulo, cui non solum subtraxerunt se ipsos vitiose viuēdo, sed alios quoque ipsos variis modis ad peccandum alliciendo, sicque fructum passionis & sanguinis Christi in seipsis, ac aliis impediēdo? Quòd prorsus diabolicum est, & transgressio contra deum altissimum, Ex hoc ergo quòd deus tā misericorditer agit nobiscum, vehemētius formidemus eius iudicium, certi quòd tantò iustius ac rigorosius aget nobiscum post vitam præsentem, si ei ingrati fuerimus & rebelles. Non enim minor est eius iustitia quàm misericordia. Rursus, quò maiora ac plura beneficia præstitit nobis, eò plus vereamur, quia de vniuer-

*Ioan. 1.
Baruc. 3.
Philip. 2.*

*Ratio ex
genda de
beneficiis
dei.*

*Ratio exi-
genda de
beneficiis
dei.*

*Matth. 12.
Gr. 25.*

Röm. 2.
Ratio exi-
genda de
beneficiis
suis exigit ra-
tionem, qualiter eis vti sumus, quod lu-
crum de eis fecerimus, quem profectum
attulerimus, quàm grati & subiecti fue-
rimus ei. Hinc vnique iniquo ait A-
postolus. Existimas o homo qui talia a-
gis, quòd tu effugies iudicium dei? An
diuitias bonitatis & patientiæ & longa-
nimitatis dei contemnis? Ignoras quo-
niam benignitas dei ad poenitentiam te
adducit? Secundum duritiam autem tuã
& impoenitens cor tuum, thesaurizas tibi
iram in die iusti iudicii dei. Ex his e-
lucescit quòd impiis Christianis tantò
gravius instet iudicium quàm cæteris gé-
nibus, quòd plura ac maiora beneficia de-
super sunt fortiti. Idcirco & acerbiora
eis instant, & infligentur supplicia.

*Iudicium
imporum
Christia-
norum gra-
uius quam
gentium.*

*De terribilitate diuini iudicij ex
parte iudicandorum.*

ARTICVLVS XXV.

Iob. 14.

Homo quasi flos egreditur & cõte-
ritur, & fugit velut vmbra, & nun-
quam in eodem statu permanet. Et
dignum domine ducis super huiuscemo-
di aperire oculos tuos, & adducere eum
tecum.

tecum in iudicium? Si consideremus in-
comprehensibilem maiestatem atque im-
mensam excellentiam dei, magnam quo-
que defectuositate instabilitatemque ho-
minum, mirũ apparet quòd deus tam di-
gnanter & gratiose se habet ad homines,
mirum etiam quòd tam districtè iudicat
eos. Hinc sanctus Dauid admirans, loqui-
tus est deo, Quid est homo quòd memor

Psal. 8.

es eius, aut filius hominis quoniam visi-
tas eum? Et rursus: Domine, quid est ho-
mo quia innotuisti ei, aut filius hominis
quia reputas eum? Homo vanitati similis
factus est, dies eius sicut vmbra pretere-
unt. Itaque quò maior est defectuosi-
tas, debilitas atque fragilitas hominis,
quò pluribus obnoxius est peccatis, quò
incertior est an sua vita placeat deo, &
presertim an de numero sit electorum an
reprobòrũ, eò vehementius debet vere-
ri rigorem, & examen diuini iudicij. Nã
(vt Iacob⁹ ait apostolus) in multis offen-

Psal. 143.

Iacob. 3.

Isaia. 35.

Iob. 9.

dimus omnes. Isaías quoque prophe-
ta. Omnes (inquit) nos quasi oues erra-
uimus, vnusquisque in viam suam decli-
nauit. Cũ ergo (teste beato Iob) Non
iustificetur homo compositus deo, nõn-
ne maximè metuere nos oportet, ne dura

positi fuerimus coram deo ut iudicemur ab eo, inueniamur iniusti & condemnatione condigni, cum certi simus nos frequenter peccasse mortaliter, & ignoremus an veram habuerimus contritionem. Attendamus sollicitè quod ait scriptura: *Iob. 4.* Ecce qui seruiunt deo, non sunt stabiles & in angelis suis reperit prauitatem, quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, cõsumuntur velut à tineis? Itémque: *Iob. 13.* Quid est homo ut immaculatus sit, & iustus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos dei nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu eius: quãto magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit, quasi aquam iniquitatem? *Isaie. 64.* Vnde & beatissimus Isaias fatetur: Facti sumus, ut immundi omnes nos, quasi pannus menstruatae vniuersæ iusticiæ nostræ. Hæc ergo propriæ defectuositatis, & culpabilitatis intenta consideratio, debet quemlibet nostrum valde formidolosum efficere, ne fortè à iudice districtissimo omnia acutissimè cõsideraturo, exquisitissimè iudicaturò, atque acerrimè punituro reprobetur: Insuper maximè perterrere nos debet quod iudex ipse testatur,

Multi sunt vocati, pauci verò electi. Cũ *Matt. 20* enim æterna damnatio, tam vehemētissimè sit timēda, ut quãuis certissimè nobis constaret, quòd de viuersis hominibus, qui vnquam fuerunt sunt aut erunt, nò nisi vnus esset dånandus, & ignotum omnibus esset, quis ille existeret, meritò vnusquisque valde metueret, ne forsitan ipse esset ille dånandus. *Dånatio* Quemadmodum enim si multi essent ituri per pontem, *quã* & scirent quòd vnus ruiturus esset ex eis de ponte, ac submergendus, omnes valde suo timerent periculo: quãto magis nũc cum ex infallibili veritatis summæ testimonio agnoscamus, quòd respectu eorum qui condemnantur, pauci saluentur, omnia ossa nostra tremere debent, & totum cor nostrum ingenti formidine conculi, ne (quod absit) contingat nos infelicissimo damnandorum numero computari. Aperi oculos cordis tui ad intuendam hanc veritatem, ad formidandum tam immensum ac æternale periculum, ad euadendam tantam damnationem, per conuersationem iustam, timorantem, humilem, feruentem, & perseverantem. Non enim qui incipit sed qui perseverauerit vsque in finem, hic saluus

Matt. 24 erit. Ecce, si urbem aliquam princeps & iudex, iustus ac præpotens ingrediatur, cui communitas resistere nequeat, & se deat pro tribunali quotidie, ac certum sit ciuibus quòd non nisi pauci eorum euasuri sint mortem, eo quòd iudex, nec prece, nec pretio possit flecti: ò quantus dolor, timor, angustia & pressura penetrarent ciuium corda, quanta desolatio esset in vrbe illa, ita vt vix manducare & bibere quempiã delectaret. Si ergo tantum formidatur mors temporalis, ac breuis, quid est, quod mentes nostrã insensatã ac miserã sic obtenebrantur, cacantur ac indurantur, quòd iudicium dei, æternam mortem, infernalẽque pœnam infligentis non expauescant, nec iugiter illud considerant, sed vanitate & periculosissima securitate torpent ac resoluuntur? Meritò dixit Propheta: Fili hominũ vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium? Certè tunc sero timebunt ac disperibunt: qui modò nõ timent. Ideò ait scriptura: Angustia vallabit impium, sicut regem qui putatur ad prælium: tendit enim contra deum manum suam. Non credat frustra quòd aliquo pretio redimendus sit. An-

*Cacitas
mentis hu
manæ.*

Psal. 4.

Iob. 15.

*Metus de
iudicio an
tiquorum
patrum.*

requã dies eius impleantur peribit. Postmodò, hoc non inducere debet ad sapientialem assiduũque iudicij diuini tremorem, quòd sancti & electi dei ab origine mundi tam vehementer expauerunt dei iudicium, de quo (vt allegatum est supra) sanctus Enoch ante diluuium prophetauit: Ecce venit dominus in sanctis milibus suis facere iudicium, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorũ. Vnde sanctus Iob cui tempore suo similis non erat in terra, perhibuit. Semper quasi tumentes super me fluctus timui deum, & pondus eius ferre non potui. Et denuo: Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. Hinc iterum dixit: Quid faciam cum surrexerit ad iudicandum deus, & cum quaesierit, quid respondebo? Sanctus quoque Dauid orauit: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Et Ieremias: Corripere me domine, veruntamen non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. Deniq; quã vehementer sanctus Hieronymus formidauit iudicium dei, supra ostensum est ex verbis ipsius dicentis: Quoties diem illum considero, toto corpore con-

Iudæ. 1.

*Iob. 1. 31.
9. 31.*

*Psal. 6. 37
Iere. 1. 18.*

tremisco. Quòd autem sanctus Grægorius iudiciū dei valde pertimuit, ex verbis eius in pluribus locis clarissimè innōtescit. Nam inter cætera loquitur: Præsentis temporis ita est agenda lætitia, vt sequentis iudicij amaritudo nunquā recedat à memoria. Hinc abbas Euagrius hortabatur. Diuinum illud horrendum imaginare iudicium, atque in medio repositam peccatoribus cōfusione, quàm passuri sunt in conspectu dei, & Christi eius & coram angelis viueris, ac cunctis hominibus, & super immunditia peccatorum tuorum ingemisce & plora. Vestire luctu ex imaginatione iudicii metuēne & tu incidas illud. Vnde & abbas Elias, Ego (inquit) tres res timeo. Vnam, quando egressura est anima mea de corpore: aliam, quando representandus sum deo: tertiam quando de me proferetur sententia. Si ergo viri virtuosī ac sancti tam ineffabiliter extimuerunt iudicium dei, quantum & quàm indefinēter oportet nos defectuosos ac miseros peccatores illud timere?

Quòd diuinum iudicium sit ineffabiliter metuendum ex parte sententia iudicis & retributionis finalis, que est æterna damnatio, aut perfecta beatitudo.

ARTICVLVS. XXVI.

Tunc dicit rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei: possidete paratū vobis regnū à constitutione mundi. Tunc dicit, & his qui à sinistris eius erunt, Discedite à me maledicti in ignem æternū, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Ista sunt verba regis ac iudicis nostri Iesu Christi, cui data est omnis potestas in cælo & in terra, qui iudicaturus est viuos & mortuos & seculum per ignem. Præterea, sicut sanctus asserit. Augustinus, timor ex amore procedit. Non enim timemus malū, nisi quia amamus bonū malo contrariū. Hinc cælestis illis illa, & æterna fœlicitas est ampli⁹ appetenda, ac diligenda, quàm infernalis atq; perpetua damnatio fit timenda, ac fugienda. Idcirco & carentia fœlicitatis æternæ magis est abhorrenda ac euitāda, quàm quæcunque inferni pœna sensibilis. *Venerabile iudicium* hementissimè ergo metuendum est dei *timendum* iudicium, propter vtrunq; istorum: quia *propter* iniqui non solum priuabuntur beatifica *duo.*

Matt. 25

Matt. 28

Iudicium

timendum

propter

duo.

I.
II.

visione atque fruitione omnipotentis, sed etiam sensibilibus penis inferni irruocabiliter immergentur. Denique, sicut nulla est comparatio finiti ad infinitum: sic nulla est comparatio temporis ad aeternitatem, temporalisque poenae ac transitoriae mortis, ad poenam perpetuam infernalēque mortem. De qua in Apocalypsi habetur: Pars iniquorum erit in stagno ardenti igni & sulphure, quod est mors secunda. Itaque poena illa infernalis, ac sempiterna infinitē & incomparabiliter horribilior ac fugibilior eū omni poena, & morte praesentis vitae: ideo iudicium dei irrogantis poenam huiusmodi iniquis, infinitē & incomparabiliter durius, poenalius, horribiliusque consistit omni humano iudicio, quo poena infligitur temporalis, siue mors corporalis. Ecce quantum homines timent temporalia damna corporalem laesionem, transitoriam mortem, quantum litigant & laborant, quantum sollicitantur ac pugnant, pro vitandis temporalibus damnis corporalibus incommodis, praesertim pro morte vitanda ac differenda? Cur ergo sic excaecamur atque ad ea quae nostram concernūt salutem, tam insensibiles reddimur, quod in

Apo. 21.
Pena infernalis
gravior omni poena temporali.

cunctis tam peruersē habemus nos, quae temporalia dāna, corporalia incōmoda, transitoriam mortē magis veremur, fugimus & vitamus, quā aeterna supplicia, spiritalia damna, infernalēque mortem? Expergiscimini ebrij vitis, & flete & vlulate omnes qui bibitis vinum in iucunditate, qui gloriamini in vestris peccatis, qui instar brutorum computruistis in immunditia & fetore vestrae carnalitatis. Lugete in miseris quae aduenient vobis, qui thesaurizatis vobis vindictam & poenam perpetuam in diebus nouissimis. Nunc dum adhuc tēpus est poenitendi, & flendi praeteritas culpas, emendandi vitam, euadendi aeternā damnationē: nunc inquam perpedite, quā intolerabile asperum ac pauendum erit iniquis, audire seuerissimam illam sententiā: Ite maledicti in ignē aeternum. Si abierunt retrorsum & corruerunt in terram, qui a Christo capiendū, iudicandū, erucifigendū audierunt vocē, qua patienter ac mititer dixit: Ego sum, qualiter casuri, praecipitandi, ac perituri sunt, qui a Christo glorificato, iudicante, atque in sua maiestate & gloria apparente audient vocem, qua indignanter ac implacabiliter dicit: Ite maledicti in ignem

*Ioelis. 1.**Iacob. 5.**Matth. 25**Ioan. 18.*

Matt. 25 eternū. O quàm horribiliter penetratiuè,
ac desolatoriè personabit tonitruū illud.
Denique sæpe leguntur sancti propheta
corruisse in faciem suam super terram ex
debilitatione naturæ, atq; formidine, cum
audissent dominum sibi loquentem, & vi
dissent magna quæ deus eis ostēdit, & ta-
men viso & allocutio illa fiebat ministe-
rio angelorum, qui apparebant & loque-
bantur, non autem ipse deus in propria
persona. Si ergo sancti viri sic debilitabā-
tur, metuebant & cadebāt ex angelica al-
locatione & visione, & ex similitudinib;
visis: qualiter cadent, affligentur, deficiēt
iniqui ac reprobī ex visione & apparitione
iudicis, qui est verus deus, qui in pro-
pria persona apparebit, & minacissimo
ac iratissimo vultu inspiciet, atq; indignā-
tissimè affabitur impios, eorum vitia eis
obiiciendo ac contra ipsos præactam sen-
tentiam proferēdo? Insuper in Exodo re-
citatur, quod filij Israël cum vidissent
montem Sinai fumigantem, & audissent
vocem dei per angelū loquētis de medio
ignis, perterriti ac pauore concussi, dixe-
runt ad Mosen, Loquere tu nobis & au-
diemus, non loquatur nobis dominus, ne
fortè moriamur, Vnde in Deutero. legun-

Exod. 20

tur, dixisse. Si vltra audierimus vocem do-
mini dei nostri, moriemur. Quid enim
est omnis caro vt audiat vocem dei vi-
uentis, qui de medio ignis loquitur, si-
cut nos audiuimus? Si itaque filijs Israël
fuit tam intollerabile, audire verba ange-
li in persona dei loquētis gratiosè ac pie,
nō comminatoriè, quàm intollerabile erit
iniquis audire sententiam veri dei, me-
tuendissimi iudicis, in propria persona lo-
quentis de medio ignis conflagrationis,
in quo tunc (vt infra dicitur) mundus sta-
bit? Amplius Ioannes apostolus in Apo-
calypsi testatur, Cum vidissem eum (vi-
delicet angelum in persona Christi appa-
rentem & loquentem) cecidi ad pedes
eius tanquam mortuus. Isaias quoq; pro-
pheta, cum vidisset in spiritu destructio-
nem Babylonis, & interfectionem habi-
tantium in ea, præ pauore defecit, secun-
dum quod ipse ait, Repleti sunt lūbi mei
dolore, angustia possedit me, sicut angu-
stia parturientis. Corruī cum audirē, cō-
turbatus sum cum viderem, emarcuit cor
meū, tenebræ stupefecerūt me. Si tantam
afflictionem incurrit sanctus Propheta ex
imaginaria visione, & futuræ ac transito-
riæ calamitatis Babyloniorum compas-

Deute. 5.

Apoc. 1.

Isaie. 10.

sione, quàm excogitabiliter grauis ac magna erit impiorum afflictio in die nouissimo instante finali iudicio, ex presentibus & futuris ac sempiternis eorum calamitatibus ac tormentis? Tunc erit dies domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem & humiliabitur: vt Isaias prædixit: Et sicut in Ecclesiastico legitur, Tunc sapientia dei præsens Christus dominus superborum & excellentium colla propria virtute calcabit. Tunc venient ad eum, & confundentur omnes qui modò repugnant ei, qui nec præcipienti obediunt, nec consolanti obtemperant, nec exhortantem aduertunt, imò salubres & pias exhortationes vertunt in risum & iocum: charitativas & iustas correptiones indignanter & ingrater accipiunt, ac odiunt.

Eccle. 30. Tunc sapientia dei præsens Christus dominus superborum & excellentium colla propria virtute calcabit. Tunc venient ad eum, & confundentur omnes qui modò repugnant ei, qui nec præcipienti obediunt, nec consolanti obtemperant, nec exhortantem aduertunt, imò salubres & pias exhortationes vertunt in risum & iocum: charitativas & iustas correptiones indignanter & ingrater accipiunt, ac odiunt.

Isai. 41. Tunc venient ad eum, & confundentur omnes qui modò repugnant ei, qui nec præcipienti obediunt, nec consolanti obtemperant, nec exhortantem aduertunt, imò salubres & pias exhortationes vertunt in risum & iocum: charitativas & iustas correptiones indignanter & ingrater accipiunt, ac odiunt.

Isai. 10. Tunc venient ad eum, & confundentur omnes qui modò repugnant ei, qui nec præcipienti obediunt, nec consolanti obtemperant, nec exhortantem aduertunt, imò salubres & pias exhortationes vertunt in risum & iocum: charitativas & iustas correptiones indignanter & ingrater accipiunt, ac odiunt.

Ierem. 20. Tunc venient ad eum, & confundentur omnes qui modò repugnant ei, qui nec præcipienti obediunt, nec consolanti obtemperant, nec exhortantem aduertunt, imò salubres & pias exhortationes vertunt in risum & iocum: charitativas & iustas correptiones indignanter & ingrater accipiunt, ac odiunt.

brachij sui ostendet in consummatione furoris, & in flamma ignis deuorantis (vt in Psalmo scriptum est) Sicut ignis qui comburit syluam, & sicut flama comburens montes, ita persequetur eos in tempestate sua, & in furore sua turbabit eos. *Psal. 82.*

De terribilitate generalis iudicij ex parte signorum quæ illud præcedent.

ARTICVLVS XXVII.

Conturbentur omnes habitatores terræ, quoniam veniet dies domini, dies tenebrarum & caliginis. Similis ei non fuit à principio, & post eum non erit, ante faciem eius ignis vorans, & post eum vrens flamma. A facie eius cruciabuntur populi, à facie eius contremiscent terra, mouebuntur cæli, sol & luna obtenebrescent, & stellæ retrahent suum splendorem. His verbis prophetice consonat quod in euangelio ait Saluator, Erunt signa in sole & luna, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum, arefcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superueniet vniuerso orbi: Nam virtutes cælorum mouebuntur. Porro apud Marcum le- *Joel. 2.* *Luc. 23.*

Mar 13:

giture, Sic sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum, & erunt stellae decedentes, & virtutes quae sunt in caelis, mouebuntur. Quocirca ait Chrysostomus, Sicut rege terreno processuro ad praelium, totum territorium regni eius mouetur, exercitus concitatur, communitas feruet: sic Christo rege caelorum ad iudicandum descensuro, totus mundus turbatur, caelestis exercitus progreditur, atque vniuersum genus humanum concutitur. Itaque ad praesignandum quam ineffabiliter ac singulariter rigorosum, metuendum, magnum & afflictuum erit vltimatum ac generale illud iudicium, praetacta horribilia signa illud praecedent: quae qualiter intelligenda sint, in expositione euangelistarum & in sermonibus de tempore diligenter ac diffusè exposui. Insuper sanctus Hieronymus refert se in libris Hebraeorum inuenisse quindecim signa praecessura per quindecim dies finale iudicium, quae tamen signa Hieronymus describit recitatiue magis quam assertiue. Primo die omnia maria commouebuntur quindecim cubitis super montes, stantia in alto vt murus: Aliqui verò narrant, quòd quadraginta cubitis eri-

get se mare super montes. Secundo die, maria descendunt & prosternentur tam profundè, vt videri vix possint. Tertio die ad priorem situm & locum rediunt. Quarto die beluae marinae & omnia animalia quae morantur in aquis, congregantur, & super aquas stabunt, ac dabunt mugitus vsque in caelum. Quinto die omnia volatilia in campis conuenient quasi plorantia nec quicquam gustentia. Sexto, ignea flumina surgent ab occidentem vsque ad orientem, contra faciem firmamenti fluentia. Septimo die, omnia sidera errantia & fixa spargent ac fundent ex se igneas comas sicut cometae. Octauo die, erit maximus terramotus, ita vt animalia & homines prosternantur. Nono, omnes lapides magni ac parui diuidentur in quatuor partes, vnaquaque parte aliam collidente. Decimo die, omnes plateae emantur rorem sanguineum. Vndecimo, omnes montes & colles ac aedificia in puluerem redigentur. Duodecimo die, omnia animalia venient de desertis & montibus ad caecos & mugient, nec quicquam gustabunt. Tertiodecimo, omnia sepulchra aperientur. Quarto decimo die, omnes homines de habitaculis suis seu cauernis exibunt.

xv.

& discurrent tanquam amentes, nec poterunt simul loqui. Quintodecimo die, omnes morientur & resurgent cum mortuis diu ante defunctis. Veruntamen aliqui aliter narrent hæc quindecim signa, & quanuis aliqui dicant quod signa hæc parum verisimilitudinis habent, mihi tamen apparet quod quædam eorum certitudinem habeant, & quædam verisimilitudinem magnam, quia cõmuniter dicunt doctores, & ex Apocalipsi probatur, quod tunc erit maximus terræ motus: ex quo utique lapides confringentur, & animalia posternentur, quemadmodum Christo in ligno pendente, ex terræ motu scissæ sunt petre. Stellæ quoque tunc cadere videbuntur, quoniam tot & tantæ exhalationes calidæ, ac igneæ scintillationes procedentur in aère, quod illis deficientibus ac descendentibus, stellæ cadere videbuntur: Afferunt etiam sancti, quod terra tunc fiet plana: unde apparet quod montes & colles ac ædificia in pulverem redigentur. Porro quod de apertionibus sepulchrorum dicitur, satis credibile esse videtur, sicut & tempore passionis Christi monumenta aperta sunt, quod & ex terræ motu partim fieri poterit. Cõmuniter quo-

*Apo. 20**Matt. 27**Luc. 23.*

quoque affirmant doctores quod ultimo die viui sint morituri, vt debitum carnis soluant, protinus resurrecturi cum aliis: Item quia tunc instabit finalis destructio: & æterna desitio auium, piscium ac brutorum, herbarum, platarum & arborum, credibile puto quod magnæ & inconsumptæ desolationes, discursus, alterationes & motus tunc apparebunt in eis, & hoc ex occulto instinctu. Et quoniam (Christo restante) tunc erit pressura & angustia gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum, satis probabile est quod tunc erunt insolitæ elationes ac depressiones maris ac fluminum. Est item probabile quod ex præactis horribilibus signis, tantus timor, stupor, desolatio, angustia atque turbatio corda hominum penetrabit, quod ibunt tanquam amentes. Quod verò de emanatione igneorum fluminum fertur, magis incertum videtur: nisi forsitan ad hoc pertineat quod in Daniele legitur, Fluvius rabidus igneusque à facie eius egrediebatur. Quod tamen & aliter potest exponi: Si ergo tam terribilia erunt signa atque præambula finalis iudicij, quam terribile erit ipsum iudicium? Hinc sanctus Gregorius causas præce-

*Lucæ. 17.**Daniel. 7.*

Gregor. homilia. 1. sionis tam horrendorum signorum exponens, ait, Vltima tribulatio multis tribulationibus præuenitur, & per crebra mala quæ præueniunt iudicantur mala perpetua quæ sequuntur. Alia causa est vt sicut iniqui creaturis abusi sunt, & male delectati in eis, ita puniantur per eas: iuxta illud Sapientiæ, Per quæ quis peccat, per hæc & punitur. Ideo ait Gregorius, Omnia quæ ad vsum accepimus vitæ, ad vsum conuertimus culpæ, propterea cuncta quæ ad vsum prauitatis infleximus, ad vsum nobis vertuntur vltionis, & qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur.

Sapient. 11.

De terribilitate diuini iudicij ex parte dispositionis in qua mundus tunc stabit.

ARTICVLVS XXVIII.

2. Petr. 3.

ADueniet dies domini tanquam fur, in quo cæli magno impetu tranſiet, elementa verò calore ſoluentur: terra autem & quæ in ea ſunt opera, exurentur. Cùm ergo hæc omnia diſſoluenda ſint, quales oportet nos eſſe in ſanctis cõuerſationibus & pietatibus, expectantes & properantes in occurſum diei domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem cæli arden-

tes ſoluentur, elementa verò ignis calore tabeſcent? Hæc ſunt verba beatiffimi Petri principis apoſtolorum in ſecunda ſua canonica, & loquitur de cælis ac reis qui purgabuntur igne conflagrationis. Quæ admodum autem ex ſacris ſcripturis colligitur, antequam Chriſtus ad iudicandũ deſcendet ac reſidebit maximus ignis diuina poteſtate accendetur, & terram, aquam ac aërem implebit & expurgabit, ſicut in Pſalmo prædictum eſt, Ignis ante ipſum preceſſet. Qui etiam ignis durabit, atque in ſuo vigore ſtabit, cum Chriſtus ad iudicandum ſedeſit, & inflammabit ac puniet reprobos, non autem electos. Idcirco in Pſalmo prætaçto ſubiungitur. Et inflammabit in circuitu inimicos eius. Vnde rurfus Pſalmiſta fatetur, Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida. Hinc in Malachia legitur. Ecce dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi & omnes facientes impietatem ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit dominus, quæ non relinquet eis radicem. Aſcendet quoq; ignis ille tam altè in aëre, ſicut olim aqua diluuij, vtputa quindecim cubitis ſuper montes altiſ-

Pſal. 69.

Ibidem.

Pſal. 49.

Malac. 3.

Genf. 5.

simos. Ex hoc ergo patescit quàm horribile erit iudicium, quoniam mundus tunc stabit in tam metuendo & maximo igne impios exurenti: & quocunque se vertent, quocunque aspexerint maledicti; nō nisi desolationem concipient, tristitiam haurient, terrorem & angustiam sibi augebunt. Nempe (vt ait deuotus Anselmus) supra se videbunt iudicem eis iratum & indignantem, cuius aspectus erit eis super omnia intollerabilis ac pœnotus, subius se vibebunt horrendum chaos tartareum, ad eorum deuorationem apertum, intus erit conscientia remordens & urens, fortis mundus ardens, à dextris sancti & electi, quorum beatitudo & gloria augebit impiorum miseriam, à sinistris dæmones accusantes infœlix peccator sic deprehensus quò fugiet? Impossibile erit latere, intolerabile apparere. Insuper tunc apparebunt in aère electis ac reprobis insignia dominicæ passionis, arma videlicet. Christi, crux, clauis, & lancea eius, sicut in euangelio protestatur, Tunc apparebit signum filij hominis in cælo, vt impij videant ingratitudinem suam quibus iudex improperebit & exprobrabit suam, quam pro eis sustinuit;

Matt. 24

amarissimam passionem, & ignominiosissimam mortem, cuius cicatrices patebunt in corpore suo, nec vlla tunc erit apparentia excusationis, cum viderint arma Saluatoris, in suo corpore ostendentis testimonia passionis. Insuper sicut rex processurus ad pugnam armat subditos suos ad faciendum de aduersariis suis vindictam: sic dominus & saluator rex seculorum tunc armabit vniuersitatem creaturarum ad pugnandum pro se contra ingratos & insensatos: quemadmodum in libro Sapientiæ scriptum est. Creatura tibi creatori deseruiens, excandescit in tormentum aduersus iniustos. Et rursus, Vindex est orbis iustorum, id est, mundus vlciscetur iustorum iniuriam ab iniustis ipsis illatam, & multò plus vindicabit creatoris offensam, quemadmodum in eodẽ scriptum est libro, Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. Instante etenim bello fit armorum ostensio, disponuntque principes vt subditi armati conueniant, sic instante mundi exterminio & expugnatione prauorum, Christus rex regum imminente iudicio armabit cuncta creata ad dictionem aduersariorum suorum.

*Sapient. 5
Et 16.**Apo. 19*

*De horribilitate extremi iudicij ex parte
exercituum iudicis summi qui aderunt ibi.*

ARTICVLVS. XXI X.

Isaia. 3. **D**ominus ad iudicium veniet cum se-
nibus populi sui & principibus eius.
Christus dominus, rex, iudex ac le-
gifer noster, apud Matthæum ait, Cùm
venierit filius hominis in maiestate sua, &
omnes angeli eius cum eo, tunc sedebit
super sedem maiestatis sue ad iudicandū.
Ex quibus verbis cognoscimus quod om-
nes angeli sancti, vniuersi vtique ordines
supernorum spirituum cum Christo ad
iudicium venient, atque (vt dicit Gre-
gorius) cunctis hominibus visibiliter ap-
parebunt, & sicut iudex apparebit terri-
bilis impiis, ita & angeli sancti, tanquam
parati ad executionem sententiæ iudicis
contra iniquos. Si ergo terribilis est ca-
strorum acies ordinata, & copiosus ho-
minum armatorum exercitus, quàm me-
tuendus erit exercitus ille innumerabili-
um angelorum, quorum vnus posset
innumerabilia millia hominum proster-
nere simul: quem admodum angelus vnus
4. Reg. 19 occidit in castris Assyriorum centum o-
2. Par. 32 & cingenta quinque millia hominum in mo-

mento? Denique scriptura sacra nos in-
struit quantum terreat hominem appari-
tio angeli, præsertim dum vult in forma
apparere terribili: Vnde legitur Daniel
sanctus dixisse, cùm angelum sanctum vi-
disset, Domine in visione tua dissolutæ
sunt compages meæ, & nihil in me remã-
sit virium: sed & habitus meus interclu-
ditur, & species mea immutata est, & e-
marcuit. Denique in euangelio, recitatur,
quod custodes sepulchri Christi præ ti-
more angeli quem viderant, exterriti
sunt, & facti sunt velut mortui. Si vnus
angeli visio sic prostravit & debilitauit
videtes, quid faciet, & qualiter reprobos
perterrebit aspectus innumerabilium mil-
lium angelorum? Cùm enim quilibet
homo in hoc mundo habeat angelū pro-
prium pro custode, & quilibet angelus
talis sit de infimo ordine angelorum, con-
stat quod ad minus sint tot angeli sancti
de infimo choro, quot sunt homines in
mundo vniuerso. Cùmque (secundum
doctrinam diuini & magni Dionisij) v-
nusquisque ordo & chorus angelorum
habeat in se tantò plures angelos, quan-
tò ipse ordo superior est, certū est quod
inæstimabiliter multa atq; innumerabilia

Aspectus sunt millia angelorum quos omnes visibiles
angelorum liter intueri, erit reprobis ineffabiliter
quam ter grauis poena, praesertim quoniam angeli
ribilis de sancti assumunt formas secundum exigentiam
mandis. comissi sibi a deo officij maius aut
minus terribiles. Et quoniam tunc habent
rigorosisimum officium circa ini-

Matt. 13. quos: quoniam separabunt eos de medio
iustorum: mittentque eos in caminum ignis
infernalis, certum est quod tunc in formis
terribilissimis apparebunt damnandis.

Ira angelorum circa malos. Insuper angeli sancti tunc iusto zelo indignabuntur peruersis hominibus, qui ipsorum instinctibus acquiescere noluerunt, & ipsorum obsequiis beneficiisque fuerunt ingrati, & contra eos testimonium

Sapient. 3 perhibebunt: similiter homines sancti, qui assessoria dignitate & approbatione sententiae iudicabunt cum Christo, contra impios erunt commoti: sicque ex omni parte augebitur eorum calamitas, & nulla consolatio erit eis. Quemadmodum enim iam est tempus ineffabilis pietatis & gratiae, ita tunc erit dies incomprehensibilis seueritatis ac irae. Hinc quidam sanctorum patrum dixit, Si possibile esset in aduentu dei post resurrectionem mortuorum, animas eorum rursus exire a suis

corporibus, praeter timore omnis mundus, id est, vniuersitas hominum iniquorum, moreretur a timore atque formidine. Quid enim est videre caelos scissos, & deum reuelatum cum ira & indignatione, innumerales quoque angelorum militias, & totum simul genus humanum aspiceret? Idcirco debemus sic viuere ut qui singulis motibus nostris rationem exigendi sumus a deo. Alius quoque senior sanctus dixit, In omni actione & re increpare decet homo animam suam, dicendo, Memor esto quod oporteat te occurrere deo.

Quod diuinum illud generale iudicium erit valde horrendum propter omnium intellectuum & rationalium creaturarum praesentiam.

ARTICVLVS XXX.

Inc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt. Videntes iniqui turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitaneitate inspiratae salutis (id est, ex subitanea celerissimaque saluatione & glorificatione iustorum) gementes praeter angustia spiritus sui, & dicentes intra se, poeni-

tentiam agentes. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Quomodo ergo computati sunt inter filios dei, & inter sanctos fors illorum est? Sicut ait saluator & iudex noster in die nouissimo cum sederit in solio maiestatis suæ ad iudicandum, congregantur ad eum omnes gentes, tunc resuscitate ex mortuis & angelorum ministeriis illud adductæ, & separabit eos ab inuicem, sicut segregat pastor oves ab hædis. Et statuet oves à dextris suis hædos autem à sinistris. Insuper sicut sancti patres edocuerunt, virtute omnipotentis dei erunt tunc peccata singulorum singulis manifesta, ut vniuersis innotescat iustissimum esse dei iudicium. Itaque attendamus pro posse, qualis & quanta erit illa confusio coram tota vniuersitate angelorum & hominum ac dæmonum à iudice summo confundi, accusari & propalari de omni peccato, cui coram deo quisque obnoxius fuerit: Ponderet vnusquisque & sæpe perpendat, quanta sibi inesset confusio, quanta afflictio si vniuersa & singula vitia sua cum cunctis circumstantiis, radici-

*Omnibus
singulorū
peccata pa-
tebunt.
Confusio
iudicando-
rum.*

*Compara-
tio.*

bus, & aggrauationibus suis clarè obicerentur sibi in præsentia paucorum proximorum suorum: imò forsàn tollerare nõ possent si duo aut tria de grauioribus & cõfusiõnibus suis excelsibus coram ipso & paucis proximis panderentur. Quam intolerabilis igitur & extrema erit confusio atque afflictio de vniuersis & singulis culpis coram tota vniuersitate intellectualium creaturarum accusari, innotescere & confundi? De hoc in Vita patrum narratur exemplum de fratre quidam qui volebat conuerti. Et cum retraheretur à matre sua non acquieuit matri, sed dixit, Saluare volo animam meam. Sicque tandem effectus est monachus, sed in monachatu conuersatus est negligenter. Cumque post obitum matris suæ ipse in graui ægritudine constitutus, factus esset quadam die in mentis excessu, raptus est ad iudicium dei, inuenitque matrem suam cum his qui iudicabantur. Quæ viso filio suo obstupuit, dicens, Quid est hoc filii, quod & tu in locum hunc condemnatus venisti? ubi sunt verba quæ protulisti, Saluare volo animam meam? Qui confusus ex verbis matris, præ dolore stupidus factus stetit confusus, non habens quæ matri

Exemplū

propria responderet. Postea deo miserante à sua infirmitate curatus, cogitauit factam sibi esse diuinitus illam uisitationem ac uisionem. Idcirco de cætero se includit, sedens & sollicitè cogitans de sua salute, de priori sua negligentia pœnitès ac eam deplorans. Tanta autem seriositas & compunctio eius fuit, ut multi eum rogarent quatenus paululum de rigore suo laxaret, ne ex nimio fletu quem sibi indixit, aliquam incurreret læsionem. Ille autem nullo modo uoluit consolari: sed dixit, Si improprium matris meæ non potui sustinere, qualiter in die iudicij poterò confusionem Christi & angelorù sanctorum aduersum me tolerare? Ut ergo & nos mereamur tantà confusionem eua dere, satagamus conuersari digne deo secundum exigentiam nostræ uocationis, cum omni spiritali sollicitudine ac insignimenti feruore, & increpemus ac humiliemus omni hora nos ipsos, dicentes singuli sibi metipsis: Aduerte quòd à deo sis iudicandus, & uide quàm ei de tota uita tua reddere poteris rationem. Postremò, quia non iudicabit dominus bis in id ipsum, desideremus & grate accipiamus in uita hac reprehendi & castigari à

Colos. 1.

N am. 1.

superioribus nostris, imò & à proximis uniuersis. Et quanuis forsàn concij nobis nò simus de culpa obiecta, tamen propter occulta nostra peccata nobis ipsis ignota, æquanimiter patiamur, quatenus ad super misericordiam consequamur.

*De metuenda seueritate extremi iudicij,
ex parte eorum qui accusabunt iniquos.*

ARTICVLVS. XXXI.

Reuclabunt cæli iniquitatē *Iob. 20.*
impij, & terra aduersus eum
consurget, & detrahitur in
die furoris domini. Vehemēter
terrentur impotentes & pauperes,
inferiores ac subditi quādo personæ
multum autenticæ ac sublimes contra
ipsum testimonium dare incipiunt,
omnèsque rei dum multitudine ueracium
testium obruantur, desperent, se posse
effugere, ac animo penitus cōsternantur.
Sic autem in die iudicij maxime continget
iniquis. In primis etenim ipsemet,
omnium iudex Christus eos accusabit, &
testimoniū feret aduersus in ferrimos cū
quemadmodum per sermiam locutus
est: Ego sum iudex & testis, & per Mala- *Ier. 29.*

*Accusatio dānā-
dorum ab
homine
Christe.*

Malac. 3. chiam: Accedam ad vos in iudicio, & ero
Psal. 46. testis velox maleficis, adulteris, & periuri-
 ris. Hinc ait in psalmo: Existimasti iniquè,
 quòd ero tui similis, arguam te & staturam
 te contra faciem tuam. Et rursus asserit
 per Naum prophetam: Reuelabo pudenda tua
 in facie tua. Denique ipse dicit iniustus.
Naum. 3. Esuriui & non dedistis mihi manducare.
Matth. 25. Secundò, accusabuntur reprobi
 ab angelis sanctis, præsertim eorum custodibus,
 quorù directionibus acquiescere renuerunt.
 Et hoc erit grauissimum & omni desolatione plenissimum, accusari
 ab illis, qui in hac vita semper auxiliari
 consueuerunt, & fidelissimè assisterunt,
 atque præcipui fuerunt amici. Tertio, accusabuntur
 à dæmonibus, qui tam in particulari, quàm in generali iudicio
 sunt accusatores improbissimi & maligni,
 obiicentes iudicandis quicquid impietatis
 & culpæ de ipsis cognouerint: & qui iam
 incitant & alliciant ad peccandum, tunc
 importunè ac malitiosissimè deceptos
 accusant, dicentes: Iustissime in dextera,
 ad iudicandum istos nobis. Tui sunt per
 creationem, sed nostri per transgressionem.
 Tui fuerunt per gratiam quàm amiserunt,
 nostri sunt, per culpam in qua

Accusatio à diabolo.

decesserunt. Tui merito tuæ passionis & mortis,
 nostri vitio suæ ingratitude. *Accusatio à se-
 uix cõsuetudine* A te ornatum acceperunt virtutum,
 à se uix cõsuetudine ipsi autem, & à nobis induti sunt vestes
 has sordidas vitiorum: Nobis ergo assignentur
 in pœnis, qui cõformati sunt nobis in culpis.
 Quarto accusabuntur à cõscientiis propriis,
 quæ sunt libri tunc aperienti, de quibus in Apocalypsi habetur
 Iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta
 erant in libris. De quibus & in Daniele
 scriptum est, Iudicium sedit, & libri
 aperti sunt. Quintò accusabuntur à propriis
 actibus, & peccatis, quemadmodum in Ieremia
 dominus loquitur. Arguet te malitia tua,
 & auersio tua increpabit te. Opera
 nanque eorum sequuntur eos, & tacite
 susurrabunt: Vos perpetrastis nos, opera
 vestra sumus: non vos relinquitis, sed ad
 iudicium vobiscum pergeamus. Iniquitates
 enim suæ capient eum, & peccatorum
 suorum funibus constringetur. Sextò
 accusabuntur ab omnibus creaturis, quæ
 sua commotione ostendent se impiis
 indignari, qui ipsi abusi sunt, & propter
 facinora sua indigni fuerunt creaturarum
 vsu atque obsequio: quoniam ceatori suo
 fuerunt re-

Apo. 20

Danie. 7

Mala a-

Et accen-

perita ve-

rum.

Ierem. 2.

Apo. 14

Prover. 5.

Accusa-

bunt reu-

omnes cre-

ature.

Ingru-

Christi

accusan-

tia impi-

um.

belles, indigni erant terram calcare, aere respirare, luce solis perfundi, panemque vesci. Septimò accusabuntur ex representatione armorum Christi, ac venerandarum cicatricum. Ex quibus patebit impiorum ingratitude, negligentia, & abusus: quia defectus saluationis impiorum non fuit ex parte Christi; sed ex peruersitate eorum, sicut de hoc dictum est: Octauò accusabuntur ab his, quibus fuerunt damnationis causa, siue occasio, quos scandalizando, au negligenter regende, aut nõ corripiendo, aut alio modo debitum charitatis & æquitatis non impendendo, ad perditionem traxerunt: ideo ultionem ex petent contra nos.

De maxima horribilitate extremi iudicij, eo quòd de singulis fiet districtissima exactio à iudice summo.

ARTICVLVS XXXII.

Ioelis. 3. **C**ongregabo omnes gentes, & deducam eas in vallē Iosaphat, & disceptabo ibi cum eis. Omnia nostra bona sunt beneficia dei, ac dona, & quasi quedam talenta nobis ab ipso concessa, vt eis ad laudem creatoris, atque da
totis

toris fructuosè vtamur. Idcirco de omnibus illis exiget rationem. Et quia compositi sumus ex anima & corpore, sicut ex substantialibus partibus, de his duobus tantquam de primis donis nobis collatis, rationem exquiret: & primò de anima nostra, an ea vti sumus ad id propter quod vnita est corpori nostro. Vnita nanque est corpori, vt per illud, & per corporeos sensus proficiat in sciētiis, atque virtutibus, ex visibilibus ac corporalium rerum notitia ad inuisibiliū, ac spiritualium rerum cognitionem progrediendo, & maxime ad agnitionem, & amorē summi & inuariabilis dei, quatenus cognito eo per fidem & rationē, diligamus veneremurque eum obediendo ac seruiendo ei in omnibus. Quòd si non fecerimus, reprobit nos iudex, eo quòd in vanum acceperimus animas nostras, & instar brutorum vixerimus, non pensantes dignitatē, & finem animarum nostrarum. Et conuenit nobis, quod ait Psalmista. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus. Exitus ergo à nobis quod per Mosen dominus iussit. Custodi animam tuam solite: Denique deus ex sua pietate im-

Anima mensa, per gratiarum suarum charisma-
ta fecit animas nostras esse sponfas, ami-
lia & a- cas & filias suas. Iustissime ergo ac vehe-
mencia chri- mentissime indignabitur nobis, si animas
sti. nostras fecerimus adulteras demonum,
 filias ac ministras diaboli, inimicasque
 dei. Quod utique faciunt, quicumq; mor-
 taliter peccant, quicumque carnaliter vi-
 uunt, & omnes qui rebus creatis, carnali
 bus, vanis ac transitoriis magis quam deo
 eterno, perfecto, immenso & incircum-
 scriptibili bono adhærent: quoniam ani-
 mam suam faciunt sensualitati subiectâ,
 & carni instar ancillæ deseruientem. Ta-
 les ergo adiudicabuntur demonibus, at-
 que in pœnis æternis associabuntur te-
 nebrarum principibus, quoniâ opera te-
 nebrarum, passiones, errores ac vitia di-
 legerunt, quemadmodum apud Ioannē
 Christus testatur: Hoc est (inquiens)
 iudicium, quia lux venit in mundum, &
 dilexerūt homines tenebras magis quam
 lucem. Unde & Salomon loquitur: Via
 impiorum tenebrosa, nesciunt vbi cor-
 ruunt. Iustorum autem semita, quasi lux
 splendens, procedit & crescit vsque ad
 perfectum diem. Præterea corpus nostrū

Quando
anima
diaboli
adultera.

Joan. 3.

Prouer. 4

Corpus.

à deo accepimus, tanquam instrumen-
 tum & ministrum, ac habitaculum ani-
 mæ. Idcirco tenemur illud subicere ani-
 mæ nostræ, vt rationi obediat atque ab
 ea debite gubernetur, & in virtuosus ex-
 ercitiis occupetur, non in actibus vitio-
 rum, nec in fœditatibus desideriorū car-
 naliū, sicut beatissimus princeps aposto-
 lorum hortatur: Obscuro vos abstinere à
 carnalibus desideriis quæ militant aduer-
 sus animam. Et Pāulus apostolus ait: Nō
 regnet peccatum in vestro mortali cor-
 pore, vt obediatis concupiscentiis eius.
 Si enim secundum carnem vixeritis, mori-
 erimini morte utique æternæ damnatio-
 nis, si autem spiritu facta carnis mortifica-
 ueritis, viuetis, vita gratiæ ac virtutum in
 seculo isto, deinde vita gloriæ in futu-
 ro. Domanda ergo est caro, vt in san-
 ctis vigiliis, ieiuniis, abstinentiis, discipli-
 nis ac fructuosis laboribus obsequatur ad
 nutum dominæ suæ, videlicet animæ.
 Quod & si ita egerimus, caro hæc defe-
 ctuosa tandem glorificabitur simul cum
 anima eritque particeps consolationis &
 gloriæ in æternum, quæ nunc particeps
 est afflictionis, & tristitiæ salutaris ad tē-
 pus per modicum. Alioquin reprohabi-
 tur. *quare da- tum ani- mæ.*

1. Pet. 2.

Roma. 6.

Roma. 8.

Carnis do- manda in-

strumen-

ta que. 2. Cor. 10.

Exigenda ratio de donis naturalibus. mur à iudice summo, atque in corpore & anima simul peribimus. Insuper, de singulis viribus animæ, & de membris corporis rationem reddere exigemur, qualiter scilicet vsi simus exterioribus & interioribus sensibus, appetituum sensitiuo, & potissimè ratione, voluntate, & memoria an exteriores sensus & interiores, & sentituum appetitum per rationem debite re frenauimus, ac laudabiliter vsi simus eisdem ad proficiendum in bonis, qualiter etiam vsi simus ratione, intellectu, voluntate, ac memoria intellectu, prauas & vanas cogitationes, stultas imaginaciones, illicitas affectiones statim, ac penitus abiiciendo, atque salubribus meditationibus, vtilibus cogitationibus, virtuosis affectionibus insistendo. Conformiter ratio requiretur à nobis, qualiter vsi simus corporalibus membris, an per linguam, & os in verbis excessimus, an per membra effecimus opera vitiosa, quibus omnibus vti tenemur ad exercendum opera bona. Propterea iubet Apostolus: Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ deo. Itemque: Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem

Ratio exigenda de instrumentis corporis.

Rom. 6.
Ibidem.

ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Insuper de omnibus naturalibus donis, de exterioribus possessionibus ratio exigetur, qualiter vsi simus eisdem, præsertim de ecclesiasticis redditibus. Tunc distinctissima ratio exigetur à principibus, ac prælatis, & ab vniuersis qui præsunt, qualiter debitum officij sui impleuerunt: à parentibus quoque: qualiter suam direxerint prolem: & à prædicatoribus, an ea quæ docuerunt personaliter executi sint opere, & an ceperunt facere, ac deinde docere. O quàm districtum ac metuendum erit illud iudicium, & quid responsuri, imò quid passuri sunt, qui magnis inuoluti, ac inquinati sunt vitis, cum per Michæam prophetam loquutus sit dominus: Væ vobis qui cogitatis inutile. Et per seipsum in euangelio: De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Nec solum de malis operibus, sed de omissionibus quoque actuum virtuosorum, & de omni tempore nobis impeso, exigetur ratio rigorosa. O quanta peccata & vitia, de quibus non eramus suspecti, tunc quasi ex insidijs contra nos improuise erumpent, atque consurgent!

Certe (vt sanctus ait Hieronymus) iudicauero domino, lugubre mundus immugiet, & tribus ad tribum pectora ferient, potentissimi quondam reges nudo late-re palpabunt. Tunc Aristotelis argumēta non proderūt, cum venerit filius illius paupercola: quæstuarie iudicare orbē terræ. O cum quanta defolatione, mœre & obstupescatione infelicissimi, reprobi & iniqui aspicient semetipsos, atque se

Turpitu- do corpo- rii damnā- dorum.
 inuicem. Quemadmodum enim corpora sanctorum erunt pulcherrima, sic corpora impiorū erunt turpissima, luto & plūbo grauiora, & magis deformia, quā dum in sepulchris fuerunt à vermibus, pro media parte corrosa, ita quod ipsimet de tanta tāmque horribili corporū suorum deformitate, fœditate, & obscuritate stupebunt. Discutiamus ergo quotidie totam vitam nostram, & interim deo reconciliari conemur, & cum Anselmo dicat quilibet sibimetipsi: O lignum aridū, lignū inutile, æternis ignib⁹ dignū, quid respondebis in illo die, cum exigitur à te vsque ad ictum oculi, omne tempus vitæ tuæ tibi impensum qualiter sit expensum? Hinc in vitas patrū narratur. Cōtingit vnum ex senibus mori, & post

Exemplū

longam horam iterum ad vitam reuertā Et interrogauimus eū: Quid vidisti tibi abba? Et retulit nobis ploras: Audiui vocem lugubrem sine cessatione dicentem, Væ mihi væ mihi. Sic & nos semper dicere debemus.

De ordine processu & consummatione extremi iudicij.

ARTICVLVS. XXXIII.

IN tēpore illo confurget Michael princeps magnus, & veniet tempus quale non fuit ex eo, ex quo gentes esse cœperunt, vsque ad tempus illud. Huic testimonio prophetico consonat quod apud Mathæum Christus prædixit: Erat tunc tribulatio magna, qualis nunquam fuit à principio mūdi vsque modo, neque fiet. Itaque aduertendum, quod quauis iuxta doctrinam Christi, tempus finalis iudicij sit ignotum, aliqua tamen fient circa finem mundi, quibus eueniētibus certum erit, quod dies iudicij sit propinquus. Veruntamen quia ignotum est, quando signa illa euenire incipiēt, & quādiu quædam eorum durabunt, verissime dicitur, quod dies iudicij sit ignotus. Itaq; iuxta doctrinam Christi, diem iudicij præcedet

Deute. 12.

Mat. 24.

Actu. 5.

Dies iudi-

cij quomo-

do ignot⁹.

Mat. 17.

aduentus Antichristi, qui cum satellitibus suis Christianos acerrimè persequetur, & plurimos variis modis faller, videlicet per falsà miracula, per armorum potentiam, per diuitiarum donationem, per allegationem deceptoriam scripturarum, per sermocinationes fallaces, & per sanctitatem confictam. Tunc erit ergo grauisissima persecutio constantium Christianorum. Sed quia omnipotens ac sapientissimus deus non permittet suos fideles vltra eorum vires tentari: ideo tēpore illo in cōsolationem magnam fidelium mittet duos viros sanctissimos ex paradyso terrestri, vtrputa Enoch, & Eliã ad prædicandum contra nequitiam atque perfidiã Antichristi: quemadmodum de hoc sanctus euangelista Ioannes in Apocalypsi multa conscripsit, & de aduentu Eliã, dominus specialiter ait, Ecce ego mitram vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies domini magnus & horribilis. De quo & in euangelio veritas protestatur, Elias cum venerit restituet omnia. Et quoniam Enoch & Elias nondum soluerunt debitũ mortalis nature, tandem deo permittente ab Antichristo interficientur, & nõ diu post hoc

1. Cor. 10.

Apo. 11.

Malac. 4
Mat. 17.

ipse sceleratissimus Antichristus, homo peccati, filius perditionis, diuina, occidetur virtute. Quo facto, falsitas eius cunctis patebit, & penè omnes infideles conuertentur ad Christum, atque (vt ex Daniele propheta doctores eliciunt) tunc dabuntur quadraginta quinque dies ad pœnitendum his, qui ab Antichristo fuerunt decepti. Veruntamen quidam obstinatissimi ex satellitibus Antichristi, in sua permanebunt duritia, infidelitate ac prauitate, qui videntes finem mundi non statim venire, dicturi sunt: Quauis iam mortuus sit princeps noster, nos tamen pacem habemus. De quibus intelligendum est, quod ait Apostolus: Cũ dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus superueniet eis interitus. Et apud Matthæum loquitur Christus: Sicut erant in diebus Noë, edentes & bibètes, donec venit diluuiũ, ita erit aduētus filij hominis. Porro, post dies quadraginta quinque præfatos, citò erit tēpus iudicij, secundũ quod asserit Christus: Statim post tribulationẽ dierum illorũ sol obscurabitur, & luna nõ dabit lumen suum. Adueniẽte autem die nouissimo generalis iudicij, ignis cōflagrationis præcedet aduentum

1. Thes. 5.
Mat. 24
Gen. 6. 7.

Mat. 24.

Psal. 69.

*Mortua-
rū resurre-
ctio.*
Matth. 25.
 iudicis, & durabit vsque ad completio-
 nem iudicij, vt dictum est plenius. Mortui quoque resurgent antequam Christi ad iudicium resideat: qui cum protulerit sententiam, primò pro electis dicẽdo, Venite benedicti patris mei: deinde, contra iniustos, dicendo, Ite maledicti in ignem æternum: statim ipse iudex cum vniuersis electis ascendet (videntibus reprobis) in regnum cælorum, Tunc ignis ille conflagrationis inuoluet iniquos, & simul cum ipsis descendet ad profunda inferorum. Terra nanque os suum horribilissimè & latissimè aperiens, ipsos deglutiet, & corruent viui in infernum operi humo. Et quãuis aliqui dicãt, quòd prolata à Christo sententia contra iniquos, diaboli rapient impios homines secum ad inferos: melius tamen dicendum videtur, quòd angeli sancti totam illam maledictam societatem hominum reproborum ac dæmonum impellent ac precipitabunt in carcerem infernalem: quia apud Matthæum Christus affirmat, In cõsummatione sæculi, mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui operantur iniquitatem, & mittent eos in caminum

Matth. 13.

ignis. Et rursus ait, In cõsummatione sæculi exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: Ibi erit fletus & stridor dētium. Denique reiectis reprobis in infernum, mox innouabitur mundus, & cõplanabitur terra, & fulgebit de cætero sicut aurum, aqua sicut crystallus, ær vt cælum, ignis vt stellæ: Luna de cætero erit tam clara, sicut modò est sol, & iugiter plena: Sol verò septies clarior erit quàm modò, sydera quoque, & cæli proportione nabiliter clarificabuntur. Stabitque Sol perpetuò fixus in Oriente, Luna in Occidente, & cessabunt motus cælorum. His consonat quod sanctus ait Bernar. Prius vocabuntur electi in regnum, quàm maledicti deiciantur in caminum ignis æterni, quatenus maledicti illi acrius doleant, videntes quid amiserunt: iusti verò latentur videntes quid euaserunt. In illa ergo separatione extrema, consideratio reproborum erit electis immensa materia gratiarum actionis & laudis. O qualis & quanta mœstitia erit! quæ desolatio! quàm acerbissima desperatio, ineffabilisq; angustia & pressura iniquorum, cum se viderint taliter reprobari!

Ibidem.

Dispositio mundi post iudicium.

Dãnatorum miseria ineffabilis.

præcipitari atque aeterno incendio tradi: imò hoc erit eis amarissima pœna, quòd omnium gaudio electorum & tanta beatitudine priuabuntur, insuper quia in finali illo iudicio Christus perhibet se damnatorum iniquos, specialiter propter hoc q̄ opera misericordiæ non fecerunt, qui cupit tunc iudicem habere propitium, non omittat nunc opera misericordiæ liberaliter exercere ex vera charitate & pietate pro posse, & quod non potest in effectum agat deuotè affectu: nec solum corporaliam misericordiæ opera sunt proximis impendenda, sed etiam spiritalis misericordiæ actus, qui utique corporalibus misericordiæ operibus præstatiores sunt, ac deo placentiores.

*Miseri-
cordia opera
duplicita
impartien-
da proxi-
mis.*

*Recitatio exempli terribilis ex quo patet
veritas horum quæ dicta sunt de terribilitate
ac rigore diuini iudicij.*

ARTICVLVS. XXXIIII.

Eccle. 38. **M**emor esto iudicij mei: Sic enim erit & tuum. Mihi heri, tibi hodie: sicut ait scriptura, Sapiens in omnibus metuit: & quod proximo suo percipit contigisse, sibi quoque posse ac-

cidere pensat. Itaque ad formidandum ricogorem diuini iudicij, multum valet exemplum quod sanctus vir Climachus recitat, dicens. Fuit in monte hoc Synai habitans monachus, nomine Stephanus, solitariam & tranquillam diligens vitam, qui multis annis in monasterio sub obedientia vixit, ieiuniis & lacrymis maxime decoratus, & aliis multis bonis abundans. Qui tandem desiderio penitentiae arctioris anachoreticam vitam (id est omnino solitariam & abstractam ac contemplatiuam) assumpsit, habitans in loco valde remoto à claustro: in quo solitario loco vixit per aliquot annos in angustissima & superardua vita, quia & locus ille omni consolatione humana carebat, & ferè inaccessibleis fuit cunctis hominibus. Postmodum verò iam senex circa finem vite suæ rediit ad cellam suam in monte hoc Synai sitam, & habuit duos discipulos multum religiosos. Habitans autem in cella sua paucis diebus, infirmatus est infirmitate qua obiit. Qui ante unum diem mortis suæ factus in ecstasi menti, apertis oculis aspiciebat ad dexteram & ad sinistram lectuli sui, & quasi ad reddendum rationem à quibusdam exactus, dixit astan-

tibus quos ipse videbat, audientibus cum
 ceteris qui aderant. Interdum nanque dixit
 sic, Vtique verum est quod in hoc culpa-
 bilis fui, sed confessus sum, & tanto tem-
 pore ieiunavi pro remissione culpæ isti-
 us. Aliquando verò dixit, Nequaquam:
 sed mentimini, illud non feci. Et rursus
 quandoque ait, Ita verè istud sic est: sed
 defleui & deo ministravi. Aliquādo quo-
 que respondit, Calumniosè me accusatis.
 Ad aliqua autem dicebat, Verè sic est, &
 ad hoc respondere nō possum: sed deus mi-
 sericors est. Et erat horribile & horrendū,
 invisibile & districtū illud executoriū
 rationis exactæ, quoniam etiā in his qua-
 nō fecerat, accusabāt eum invisibiles ho-
 stes. O eia vir quiescēs, solitarius & ana-
 choreta qui per annos quadraginta circi-
 ter fuit monachus, & lachrymarū gratiā
 habēs, de aliquibus culpis dixit, Ad hoc
 non scio nec possum aliquid dicere, qui
 tamen in deserto habitās, leopardum ad
 se venientem pascebat. Et hic tantus ita
 positus sub exactōne rationis recessit à
 corpore, certum non faciens quod fue-
 rit eius iudicium, aut quæ sententia eius
 vel quis finis exactæ ac positæ rationis
 ipsius. Ecce ex hoc exemplo nos pusilli

& imperfecti meritò perterreri debe-
 mus, & quanvis omnino sperandum sit,
 quod tantus vir feliciter migravit ad
 dominum, omnipotens tamen ad nostrā
 informationem & cautelam talia dispen-
 satiū exhibuit & fieri voluit circa illū,
 quatenus nos qui quasi infinitè distamus
 à conversatione illius, iugiter timeamus,
 pensantes quā vehementer deficiemus
 à reddenda ratione de singulis, cum vir
 ille tam altissimæ conversationis, factus
 fuerit se non posse ad aliqua responde-
 re, sed ad solam misericordiam dei con-
 fugerit. Faciamus igitur quicquid boni
 valeamus. Cūque fecerimus uniuersa
 quæ præcepta sunt nobis, dicam⁹ ex corde
 q̄ serui inutiles simus, quia quod de-
 buimus facere, fecimus. Imò pro acceptis
 beneficiis dei nihil dignum rependimus
 ei, omnisque honor & cultus quos ei of-
 ferimus, in infinitum minores sunt cultu
 ac reuerentia quo ipse dignissimus est,
 Quemadmodū enim eius maiestas virtus
 ac dignitas est intēsiuè & perfectionali-
 ter infinita, sic ipse dignus est honore &
 cultu immēso. Postremò de finali iudicio
 multa difficilia queri possent ac introdu-
 ci, quæ doctores super quartum Senten-
 tiarum

Luc. 17.

Deus ho-
nore di-
cultu infi-
nito.

narum mouent ac tractant. Sed non est propositi mei in isto tractatulo talia scholastica atque subtilia determinare, sed simpliciter ac deuotionaliter tantum procedere.

*De bertio nouissimorum, quod est
pœna inferni.*

ARTICVLVS XXXV.

Matt. 13.

Ventilabrum Christi est in manu eius, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili. Per ventilabrum domini nostri Iesu Christi intelligitur iudiciaria eius potestas ac iustum iudicium: per aream uero, genus humanum seu ipsa ecclesia: per triticum autem, intelliguntur electi: per paleas, reprobi: per horreum, regnum caeleste. Est itaque sensus uerborum istorum quod sicut per ventilabrum frumenta purgantur, ita quod paleae excutuntur, & grana manent, sic filius dei mundabit ecclesiam, in qua modo cum electis & iustis reprobi & iniqui sunt mixti: sed in die iudicij separabuntur ab inuicem loco & proximo, sicut nunc ab inuicem separantur conuersatione ac merito. Impij autem recte uocantur

*Impij quare
paleae
dicti.*

vocantur paleae, quoniam modici aut nullius extant ualoris, nec aliqua morum grauitate complacent deo: sed uani & leues sunt, suarumque passionum motibus agitantur. Virtuosi uero tritico comparantur, quia sunt fructus Christi nati in agro ecclesiae, hoc est, regenerati ex aqua & spiritu, spiritualiter quoque uiuent per charitatem, atque diuinis charismatibus decorati idcirco de arca ecclesiae militantis transferuntur ad horreum ecclesiae triumphantis. Iniqui autem cum sint filij Babylonis, id est, confusionis, precipitantur in fornacem inextinguibilis ignis & aeternae damnationis. Cum ergo iam ante tractatum sit de morte & iudicio, superest nunc aliquid scribere de infernali supplicio.

*Quod acerbitas infernalis poene attendi
potest ex eislem, ex quibus consideratur gra-
uitas uictorum, ac distinctio diuini iudicij.*

ARTICVLVS XXXVI.

Procella tenebrarum conseruata est impiis in aeternum. Diuina requirit iustitia, ut poena culpe proportio-

N

netur, ita quod quâto plura ac grauiora sunt peccata, tantò acerbior pœna infligatur pro eis. Ideo ex eisdem causis ex quibus pensâtur enormitas vitiorum, penditur magnitudo suppliciorum. Itaque quemadmodû (iuxta præhabita) omne morale peccatum tantò est enormius, quò maior est autoritas ac dignitas Dei præcipientis, & ita quo minor est iustitia Dei vitia prohibentis, quò etiam maior est sapientia Dei ad bona atque salubria dirigentis, & quò maior est bonitas, honorabilitas, ac amabilitas Dei, cui in omni mortali peccato præfertur res creata, vilis, caduca, & vana: itémque quò maior est dignatio fidelitas & beneficentia Dei circa nos, sic & infernalium supplicia debentur iniquis tantò vehementiora quo melior, dignior, sapientior, iustior, liberalior, & fidelior est Deus quem offenderunt, quemadmodum etiam secundum iura humana maior infligitur pœna peccanti in principem seu prælatum, præsertim in regem ac summum pontificem, quàm peccati in inferiores. Qui ergo miratur quod **D E V S** naturaliter bonus & pius, tam dirè ac æternaliter punit ac vindicat peccatum breue

celeriter factum & finitum, diligenter cõsideret quàm summa & infinita, & incomparabiliter magna & excellēs sit dignitas & autoritas, sapientia & iustitia, beneficentia, bonitas atque dignatio dei: sicque intelliget enormitatem peccati, & sciet quòd deus iustissimè perpetuè exerceat ultionem pro culpis, imò quòd & *Deus punit circa condignum* punit peccatores, etiã in inferno, id est minus quàm metuerūt. *condignū.* Insuper sicut (iuxta præhabita) terribilitas ac districtio diuini iudicii tantò erunt maiores, quò maior est sapientia, iustitia, autoritas, bonitas, liberalitas & misericordia dei in vita præsentis: sic utique tãto intèrior & intolerabilior est pœna inferni & ultio dei ibi, quò dignior, excellentior, sapientior, iustior, melior ac munificentior est deus què offendunt iniqui. Et quoniam ista ex præinductis *Deus quò* cilitèr possunt elici ac perpendi, idcirco *iustior &* non immoror. Certum est nanque quòd *sanctior* quanto iustior ac sanctior deus est, tantò *eo & pec-* plus detestatur ac odit iniquitatem: & *catū in sp* quãto plus detestatur & odit peccatum, *sum com-* tantò districtius vlciscitur illud. Confor- *missū om-* miter quia certissimè scit vniuersa ac sin- *ni pœna* gula vitia cum cunctis circumstantiis, ra- *degnius.*

dicibus atque effectibus eorūdem, ideo cuncta & singula nimis districte ac horribiliter punit. Et quia omnipotens est, non est qui ei queat resistere. Quanto etiam in hac vita benignius ac liberalius agit cum impij, tanto rigorosius punit impēnitentes, ingratos, atque perversos, prout hæc ex præhabitis considerationibus facilliter queūt inspici & inferri. Ideo dixit apostol⁹, Deus noster ignis consumens est. Moses quoque, Caue ne obliuiscaris pacti domini dei: quoniā dominus deus tuus ignis consumens est, deus æmulator. Et iterum Moses protestatur, Nisi timueris nomen domini gloriosum atque terribile, augebit plagas tuas: & sicut antè lætabatur super te benefaciens tibi, sic lætabitur te disperdēs atque subuertens. Hinc per Ezechielem prophetam desseruit, Ecce in igne zeli mei locutus sum, quia conflabo vos & succendam vos in igne furoris mei, & sufflabimini in medio eius, sicut conflatur argentum in medio fornacis.

De multis qua circa penas inferni sunt consideranda.

LVet iniquus quæ fecit omnia, nec tamen consumetur. Iuxta multitudinem adinventionum suarum, sic & sustinebit. Quemadmodum transgressores variis & innumerabilibus modis peccant in creatorem, cui præferunt creaturas, in quibus multipliciter delectantur inordinatè ac vitiosè: sic infinita sapientia diuinæ iustitiæ, atque immensa iustitiæ diuinæ sapientiæ infligit eis vindictā, culpis ipsorum correspondētem ac proportionatam, vtpote valde multiplicem ac diuersam, & tantò acerbiorum, quātò intensius ac vitiosius delectati sunt in creaturis. Cuius rei manifesta figura præcessit in Pharaone rege Aegypti ac populo eius: qui quoniam multipliciter ac grauiter in filios Israel peccauerūt, multipliciter & grauiter propter peccata sua in filios Israel cōmissa fuerunt puniti, sicut in Exodo Moses recitauit, Plagauit autè omnipotēs Pharonē & suos, couertendo aquas eorū in sanguinem & pisces eorum per hoc occidēdo in sanguine illo, quoniam Pharo infantulos Hebræorum crudelissimè submersit in aquis, propter quam etiam iniquitatem ipse-

met Pharao cum exercitu suo postea fuit submersus in mari rubro, quod & propter alia eius scelera factum fuit. Insuper deus induxit super Aegyptios innumerabiles atque turpissimas ranas, quae impleuerunt domos, furnos, cibos, ac lectos Aegyptiorum, quia Aegyptij dire affligerunt filios Israel in vilibus operibus luti & lateris. Et quoniam verbis pungitiuis ac flagellis affligerunt Israelitas, misit dominus in ipsos Aegyptios innumerabiles cyniphes, id est, muscas tam paruas ut videri vix queant: & tamen acutissimè pungunt & perforant pellem cui insederint, ut asserit Origenes. Iosephus tamen & Hebraei affirmant quod erant deformes valde pediculi, in tanta multitudine ex corporibus Aegyptiorum erumpentes, quod nullo medicamine valebant auelli. Et hoc iustissimè fieri potuit, quia Aegyptij compulerunt Hebraeos multoties laborare usque ad magnos sudores ex quibus poterant eis tales vermiculi generari. Conformiter plagati fuerunt Aegypti aliis diris, ac variis plagis, in seipsis & suis pecoribus ac terrae nascentibus, atque in elementis terrae, aquae, & aeris secundum

Exo. 10.
1.

Ioseph. li.
2. antiqui.
iudaica.
13.

Exo. 1. 8.
10. 12.

quod diuersimodè peccauerunt in filios Israel, Nam & tandem primogenita Aegyptiorum fuerunt occisa in qualibet domo eorum, quia occiderat infantes Israelitarum. Sic igitur in inferno puniuntur iniqui magis ac minus, multipliciter & acerbè, secundum quod frequentius aut rarius, feruentius aut minus feruerent, enormius aut minus enormiter peccauerunt. Itaque circa poenas inferni primò consideranda est earum aeternitas, quae super omnia grauat, premit, contristat & torquet damnatos, imò (ut super Apoc. scribit Albertus) infernale incèdium nõ affligit tã grauiter infelicissimos illos, quantum affligit eos consideratio, qua attendunt & cogitant se in tot & tantis tormentis perpetuo permanfuros, ex qua cõsideratione oritur intolerabilis desperatio omnis boni. Secũdò cõsideranda est circa poenas inferni earũ acerbitas. Poena etenim ignis acerbissima est. Ignis quoque infernalis omni igne apud nos existente ineffabiliter calidior, poenaliusque consistit. Et sicut ignis ille est calidissimus, sic frigus infernale est vehementissimum. Et idem dicendum est de ceteris inferni tormentis. Tertiò consideranda

Diuersitas poenarum inferni.

Poenarũ inferni aeternitas.

Acerbitas poenarum infernalium.

est infernalium tormentorum diuersitas, de qua tactum est modò: quoniam iuxta multitudinem magnitudinẽque culparum, vnusquisque reprobis variis pœnis torquebitur, de quibus infra in speciali tractabitur. Quarto circa pœnas inferni pensanda est earum vniuersalitas, quia in toto corpore & in singulis membris corporis affligentur iniqui, similiter in tota anima atq; in singulis viribus eius. Quinto, attendenda est circa pœnas inferni desolata ac pœnosa societas. Sexto pensanda est dispositio loci. Septimò, irrecuperabilitas negligentiae & amissionis temporis huius vitæ, ac damni inde secuti. Octauo, puritas mala pœnarum illarum, quibus nulla consolatio est admixta. Nonò, consideranda est pœna damni damnatorum. Decimò, consideranda est grauitas infernalium tormentorum ex parte patientium ea. De his per ordinem disferetur.

De aternitate infernalium tormentorum.

ARTICVLVS XXXVIII.

Iudic. 16. **D**ominus omnipotens iudicabit iniquos, in die iudicij visitabit eos da-

bit ignem & vermes in carnem ipsorum, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternũ. Quia peccator in omni peccato mortali præponit bonum creatum, caducum & vanum deo bonitatis perfectæ incõparabilis & immensæ, meritò perpetuam recipit pœnam pro tanta creatoris irreuerentia, iniuria, & contemptu. Et quia iniquus decedit à corpore in affectu peccati mortalis, atque in auersione mentis à deo, nec vnquã veraciter pœnitet, imò inconuertibiliter manet in ea affectione dispositioneque mentis, in qua finit hanc vitam, post quam non est ei tempus, locus aut status merendi, aut demerendi, iustè infligitur ei à deo æterna dãnatio. De hac autẽ materia, cur scilicet pro temporali peccato infligatur pœna æterna, plenè scribunt doctores super quartum Sententiarum, & specialiter Guillelmus Parisiẽsis in libro de fide & legibus. Denique, his qui constituti sunt in aduersis & in magnis miseris ac tormentis, hoc vnica consolatio est & releuamen, precipuum, si considerent, aut sciant se tandẽ aliquando à suis afflictionibus liberandos: imò & his qui incurabiles habet infirmitates, aut vsque ad mortem adiudi-

*Vniuersa
litas pœ-
narũ infer-
ni.*

*Societas
inferna-
lium.*

*Locus in-
ferni.*

*Desolatio
in infer-
no.*

*Grauitas
pœnarum.*

*Quam in-
ste damna
tur ini-
quus.*

cati sunt certis suppliciis, hoc ipsum est
 consolatio aliqua, quòd sciūt hanc vitam
Penarum terminandam, atque in fine vitæ suæ præ-
augmentū sentis finiendas esse suas, quas hic susti-
æternitas nent afflictiones. Hoc itaque in damna-
miseriæ. tis ineffimabiliter auget eorum calamita-
 tem, desolationem ac pœnam, quòd
 sciunt intolerabiles suas ærumnas nun-
 quã pœnitus terminandas, nec breuien-
 das, nec minuendas. Sed postquam arse-
 rint in inferno per numerabilia millia
 annorum sic erit ac si tunc primò incipe-
 ret ipsorum punitio. Insuper cùm nulla
 sit comparatio finiti ad infinitum, constat
 quòd pœnæ infernalis sit incomparabili-
 ter abhorrenda, metuenda ac fugienda
Similitu- præ omnibus aliis pœnis quantumlibet
do. diuturnis. Si ergo nemo vellet seculo
 isto per vnum annum, imò nec per vnum
 diem, & forsàn nec per vnam horam ia-
 cere & ardere in ardente fornace pro
 omnibus mundi deliciis atq; diuitiis: qua-
 liter audet quis peccare mortaliter, ac
 per hoc se ipsum exponere æternæ dâna-
 tionis periculo, obligationi, iuri ac debi-
 to sustinendi tantam calamitatem? O quã
 ta insipientia, imò quanta amentia, quan-
 ta obtenebratio ac subuersio misericor-

dis! Præterea quia æternitatem compre-
 hendere non valemus nisi per quasdam
 circumlocutiones & exemplares declara-
 tiones ad incutiendum cordi salubrem ti-
 morem infernalis supplicii, retrahentem
 à vitiis, imaginemur ante oculos nostros
 stare ardentissimum calidissimùmque for-
 nacem, atque iacere in eo hominem nu-
 dum, à tali supplicio nuaquam eripien-
 dū: nōne intolerabile nobis videbitur
 hoc tormentum, imò & inspicere ipsum?
 quàm miserrimum, iudicaremus homi-
 nem illum, pensemus qualiter homo ille
 seipsum hinc inde iactaret in clibano il-
 lo: qualiter clamitaret, vlularet, videret
 quanta angustia premeret eum, quātum
 ipsum afflictio penetraret, præsertim quã-
 do aduerteret tam intollerabile pœnam
 suam nunquam terminandam. Consyde-
 remus quid cordis, quid animi esset no-
 bis, si in tali incēdio iaceremus, aut si nos
 in illud proiciendos sciremus. Et certè
 dubitare non possumus, quin infernale
 incendium valde excedat omnem ignem
 seculi huius. Cur ergo non vehementis-
 simè formidamus æternum illud tormē-
 tum, præsertim cùm sciamus quòd tam
 pauci illud euadant, & quòd frequenter

*Ab ex-
 plo.*

meruimus illud, nec certi sumus quod veram contritionem habuimus? Cur vnquam audemus per vnum momentum scienter manere in mortali peccato, cum ignoremus diem & horam, & multi tam subitanè moriantur, quod item innumerabiles passim decipiantur, ac pereant in æternum per hoc quod ad tempus permanent in peccatis, cogitantes quod postea pœnitentiam sint acturi? Amplius, cum sumus ad vitia tam procliuēs, atque in fine vitæ nostræ acerrimè multipliciterq; tentandi, cur non indefinenter veremur tandem in tantam pœnam & desperationem æternam labamur? Præterea ad augendum hunc salubrem timorem expedit imaginari montem arenosum tam grandem, sicut est totum vniuersum, atque post decem aut centum millia annorum, vnam minutissimam arenam de monte illo auferri, certè mons ille tandem, quanuis post incxcogitabilem diurnitatem consumeretur, quoniam omne finitum per oblationem finiti tandem consumetur: sed post tam inæstimabilem durationem & protractionem pœna inferni non esset minuta, nec fini propinquior quàm dum prima arenula à monte illo

*Matt. 13.**Comparatio.*

auferebatur: & vtique si scirent damnati se liberandos post consumptionem huiusmodi montis, consolationè grandem conciperent. Ex his ergo salubribus considerationib; discamus infernales pœnas metuere, vitia fugere, atque in dei timore, ac stabili cordis custodia permanere.

De acerbitate pœnarum inferni.

ARTICVLVS. XXXIX.

Quodcunque potest facere manus tua, instatè operare: quia nec opes, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos. Sicut in hac vita incomprehensibilem pietatem peccatoribus exhibet deus, dissimulans de die in diem, de mense in mensem, de anno in annum, peccata eorum ac scelera, quatenus pœnitentiam agant, atque ad pœnitendum eos exhortans, & per suos ministros tam inuisibiles (puta per angelos sanctos) quàm visibiles (scilicet homines bonos) inuitans & rogans eos vt conuertantur, ad quod item admonet eos, occulto instinctu diuino. Multa quoque beneficia ipsi impendens: Ita post vitam præ-

*Eccle. 9.**Longanimitas dei in peccatoribus.*

sentem in inenarrabilē exercet rigore iustitiæ ingratos ac impios, tantis dei misericordis abutētes, qui (sicut ad Hebræos scribit Apostolus) filium dei conculcant, & sanguinem testamenti pollutum ducunt, atque spiritui gratiæ contumeliam faciunt, rursus crucifigentes sibi filium dei, ostentūque habentes. Hi quippe (vt Climachus ait) plus timent canem quàm creatorem: quoniam ne canis latratu pāndantur, crimina quædam omittunt, quæ ex diuini timore iudicij, & infernalis

*Animad-
uersio dei
iusta i pec-
catores.
Qualis i-
gnis i in-
ferno.*

pœnæ formidine non vitarent. Iustissimè ergo debacchatur in eos omnipotens, & suæ immensitatem iustitiæ manifestat in ipsis, acerbissimis pœnis ipsos affligens. Ipse etenim ignis infernalis miro & ineffabili modo est estuens, penetratiuus & afflictiuus: qui & solo aspectu, vltra quàm dici queat, terribilis est, & deformis foetulentus, immundus ac foetidus tanquam sulphureus: imò inftar sulphurei feruentissimi ignis, intentissimum ac fortissimum habet calorem, grauissimum intolerabilēque carē: atque (vt fertur) sicut ignis iste terrenus excedit in calore ignem depictum, sic ignis tartareus excedit & vincit in ca-

lore ignem apud nos existentē. Ad quod allegat aliqui Augustinum, alij verò sanctum martyrem Sebastianum, qui ex instructione angelica loquebatur. Id quoque per reuelationes fide dignas, & per mirabiles quosdam effectus interdum ostensum est. Nam quidam defuncti viuētibus apparentes locuti sunt hoc: quidam etiam defuncti pœnis purgatorij deputati, ad ostendēdum vehemētissimum ignis calorem quo torquebantur, scintillulam sui incendij stillare fecerunt super manū, aut super aliud aliquid eorum quibus apparuerunt, & verbo scelerius perforabatur id super quod incidit scintilla ignis illius. Idem testati sunt quidam resuscitati à mortuis, qui ipsas inferni aut purgatorij pœnas viderunt: imò & quidam eorum eas senserūt, prout infra narrabitur. Quibusdam etiam religiosi & electi personis in vitioso & raptu frequenter & euidenter monstratum est illud, vt infra tangetur: sed & tres viri qui in obitu sancti Hieronymi leguntur resuscitati, de hac re recitauerunt mira, & quasi incredibilia quædam, qui quum post suam resuscitationem indefinenter & amarissimè atque inconsolabiliter flerent: beatus

Cyrillus episcopus accessit vnum ex ip-
 sis, qui inter cætera dixit episcopo, tan-
 tam esse vim infernalis incendij, quod
Vis infer- homo eam expertus, mallet vsque ad fi-
nalis incē- nem mundi, iacere in igne ex omnibus
dij. mundi huius ignibus congregato, quàm
 vno die iacere in igne illo tartarico. Legi-
 tur quoque in libro de Actibus mirabi-
 libus sancti Francisci, quòd quidam vir
 ordinis beati Francisci, homo magni fer-
 uoris atque arctissimæ conuersationis,
 quadam nocte post matutinas raptus in
 spiritu, vidit & sensit purgatorij ignem,
 qui ante pulsum ad Primas rediens ad se
 ipsum, putauit se annis centum & quin-
 quaginta fuisse in illius suppliciis: tam
 acerba fuerunt quæ sensit tormenta. Ecce,
 si vir electus & virtuosus factus in ecstasi
 mentis, tam grauiter torquebatur in spi-
 ritu purgatorij igne, ita quòd pœnā quæ
 vix duabus durauerat horis, putauit cen-
 tum & quinquaginta annis durasse, qua-
 lis & quanta est damanatorum, imò & exi-
 stentium in purgatorio pœna, qui igne
 illo seuisimo puniuntur realiter, imme-
 diate ac rigorosissime, non imaginariè
 tantùm. Præterea diligentius attendamus,
 quàm vehementer calidi ignes possint
 produci

produci in seculo isto. Certè in Daniele *Daniel. 3.*
 legitur, qualiter Nabugodonosor rex
 Babylonis iratus tribus sanctis iuueni-
 bus, vtputa Hanania, Azaria, ac Misæli,
 fecit fornacem septies plus succendij
 quàm solitum fuit, succenderuntque fer-
 ui regis fornacem naphtha & stupa, &
 pice, atque malleolis, in tantum quòd
 flamma ex fornace erumpens, diffunde-
 batur super fornacem cubitis quadragin-
 ta nouem. Ecce quàm terribilis & inten-
 sus fuit atdor ignis illius, quàm intole-
 rabile ac horrendum esset iacere, & in-
 flammari in clibano tam æstuantissimè
 calefacto. Quis pro omnibus opibus, gau-
 diis & honoribus mundi istius vellet per
 vnum diem puniri in ipso? Quanta ergo
 infania est, propter fœda & breuia huius
 incertissimæ vitæ oblectamenta, propter
 perituras diuitias & fallaces transitoriòs-
 que honores, seipsum exponere æternis
 illis inferorum incendiis. Insuper, quan-
 tum ignis gehennalis suo calore excedit
 omnè ignium terrenorū calorem, tatum
 quoq; frigus infernale sua vi & austerita-
 te excedit, ac superat omnia frigora mun-
 di huius. Pensemus ergo, quā intolerabile *Frigus in*
 nobis esset vna nocte frigidissima hye- *ferri.*

mis nudo corpore stare in aëre, aut congelari in aquis: quàm acerbissima igitur pœna, est infernalibus affligi, penetrari & congelari. frigoribus, nec tantę punitionis in eam confidere, aut habere. Nam *Interru- ptio pœna rum infer ni qualis.* & si tormenta illa, infernalium calorū, ac frigorū, quandoque interrumpuntur: nec interruptio illa est ad releuamentum, aut solatium miserorum, sed ad acerbiorē & intolerabiliorem afflictionem ipsorum, quia (vt ait scriptura) à nimio illo calore transeunt ad niuium aquas, hoc est, ad intensissimum frigus: quę alternatio tormentorum auget miseriam, præsertim quoniam transeunt de vno extremo contrario, ad aliud extremum contrarium: hoc est, de vehementissimo calore, ad maximum frigus, absque temperamento, & reductione ad medium. Postremo, sicut iam dictum est de extrema & maxima acerbitate infernalium tormentorum, ex parte ignis & frigoris qui sunt ibi, sic quoque intelligendū est de reliquis suppliciiis Acherontis. Quantum enim ardor & frigus gehennę excedunt omnem calorem, & cauma vitę præsentis tantum, fœtor inferni maior & grauior est omni

fœtore seculi huius. Et idem dicendū est de tenebris de fame ac siti, de horrore, timore, clamore & vlulatu aliisq; miseriis ac tormētis quę ibi existunt, quorū minima omnibus præsentis vitę tribulationibus & pœnis sunt grauiora. Et breuiter *Isaie. 64.* sicut nec oculus, vidit nec auris audiuit, *1. Corin. 2.* nec cor humanū cōcipere potest quę, quanta & qualia, quam summa & gloriosa sint gaudia beatorum in cælis: ita nec existimare valemus quę, quanta & qualia, quā maxima atque durissima sint supplicia reprobōrum. Veruntamen ab igne, fœtore & frigore, cæterisque inferni suppliciiis *Pœna in inferno p meritis eiusque.* reprobi punientur non vniiformiter, neque æqualiter, sed acerbius & minus acerbè, secundum quod magis & minus extāt culpabiles, sicut & sancti in cælo eundem super beatissimi dei conspiciunt vultum, sed non æqualiter delectantur in illo, verum magis aut minus secundum suorum exigentiam meritorum.

De diuersitate & varietate tormentorum inferni.

Iob. 20.



Anis iniqui in vtero ei⁹ ver-
tetur in fel aspidū: Diuertias
quas deuorauit, euomet, &
caput aspidum suger: lædet
eum lingua viperæ & om-
nis dolor irruet in eum. Vadent & veniēt
super eū horrores, omnes tenebræ absco-
ditæ sunt in oculis eius, deuorabitq; eū
ignis qui non succēditur. Quemadmodū
enim in eodē peccato mortali sunt diuer-
sæ ac multæ deformitates atq; conditio-
nes culpam grauantēs, imò in omni pec-
cato mortali est quædam ingratitude &
irreuerentia dei, negligentia sui, excæca-
tio cordis, pigritia, ac acedia mentis, stul-
titia, inobedientia, peruersitas, improbus
amor & complacētia vana: sic eidem pec-
cato diuersæ ac variæ pœnæ infernales
debētur & infliguntur. Insuper, sicut idē
peccator diuersa. exercet peccata morta-
lia, sic & diuersis ac variis torquetur infer-
nalibus pœnis, quarum quasdam sustinet
successiuè, vt ignem & frigus: aliquas ve-
rò simul, vt ignis calorē, molestissimū-
que fœtorem, dæmonum quoque aspe-
ctum, famam & sitim, tenebras & hor-
rores, desperationem mœstissimam, pref-
suram, & angustiam mentis dolorosissi-

*Deformi-
tates pec-
cati mor-
tis.*

*Succesio
pœnarum
inferni.*

mam: sed & pœnam damni cunctis sup-
plicis grauiorem, de qua infra tractabi-
tur. Sunt itaque diuersa genera tormen-
torum in inferis: quorum primum (vt ta-
ctum est) ignis est, qui vnumquēque iu-
xta sua torquetur demerita: & quò pecca-
tum ex feruentiori procedit affectu inor-
dinato, tantò acerbius punietur, & inten-
siorē vindicabitur incensione calorē tar-
tarei: quò etiam quis in peccato vehemē-
tius delectatur, eò igne infernali dolo-
sius & acrius affligetur: quemadmodum
in Apocalypsi dominus loquitur, Quan-
tum glorificauit se & in deliciis fuit, tan-
tum date illi tormentum & luctum. Et
quoniam in vitis carnis sunt ardor con-
cupiscentiæ, immunditiæ fœtor, & dele-
ctatio maior, ideo vitia illa infernali in-
cendio specialiter estuante ac fœtido, vt
puta igne sulphureo acerrimè puniuntur.
Vnde asserit Augustinus, Quantum
hæsit amor, tantum affliget dolor. Deni-
que si pro vno peccato mortali infligi-
tur tanta punitio, quàm ineffabiliter pu-
niuntur infernali incendio, ac cæteris pœ-
nis gehennæ, qui multis & magnis mor-
talibus peccatis inquinantur ac sordent,
præsertim qui vitiosis consuetudinibus

*Diuersa
genera tor-
mentorum
inferna-
lium.*

Apo. 18.

*Vitia car-
nis.*

Diversitas ignis infernalis sunt oppressi? Et quanuis dictum sit supra, quod omnes damnati vno igne torquentur, videtur tamen rationabiliter dici posse, quod in diuersis locis inferni sint ignes particulares, impares in calore, & quod grauiora peccata in calidioribus ignibus puniantur. Secundum genus infernalium tormentorum, est acutissimum & vehementissimum frigus: quod etiam reprobos magis, aut minus punit, penetrat, & constringit, secundum quod magis aut minus vitiosi existunt. *Puniendi frigore qui.* Specialiter quoque hoc frigore cruciantur acediosi, ac pigri, qui tarditatis suæ torpore à diuino retrahuntur obsequio, ideo constringuntur gehennali algore, indicibiliter tremunt, & dentibus grauissimè strident. Tertia pœna inferni, est morsus, turpitudò & horror vermium edacissimorum: iuxta illud Isaiaë, Vermis eorum non morietur. Et in ecclesiast. Vindicta carnis impij, ignis & vermis. *Iudith. 16* Iudith quoque ait, Dominus omnipotens dabit vermes in carnes eorum. Et quanto quis in vita præfenti turpioribus, & innaturalioribus aut enormioribus inquinatur sceleribus, tanto illic à monstruosioribus, turpioribus, crudelioribus ac horribiliori

bus vermibus affligetur, mordebitur & operietur. Et quæ hæc de vermibus allegatur, Haymo, & alij quidam de corporalibus intelligunt vermibus, alij verò dicunt esse ea spiritaliter intelligenda. Quarta pœna inferni, est pœnalissimus foetor, quo odoratus demnatorum amarissimè affligetur, & specialiter nominatur foetor sulphureus, qui lamentabiliter cruciat. Vnde in Apocalypsi asseritur, Pars iniquorum erit in stagno ardenti, igne & sulphure. Vna autem causa quod ignis & frigus, ac foetor inferni sunt tanti vigoris & tantæ pœnalitatis est, quoniam non exhalat, sed iugiter maneat clausi in suis locis angustiis: quemadmodum ardor clibani igniti, & clausi est fortior. Aduertamus igitur quàm grauius affligemur foetore cloacæ, & ignis sulphurei, atque cadauerum, si talibus rebus alligaremur atq; ex hoc perpendere possumus quàm ineffabiliter crucietur damnati foetoribus tartari. Nâ & corpora danatorum foetissima erunt: quemadmodum corpora electorum suauissimè redolebunt. *Foetor infernalis* Idcirco ex tam innumerabilibus corporibus miserorum, intolerabilissimus foetor consurgit. Quinta pœna inferni, est horrendus v.

Dānato- aspectus dæmoniorum, & omnium dæmoniorum, quorum animæ dæmonibus in
rum corpo- natorum, quorum animæ dæmonibus in
ra quo mo- turpitudine, & deformitate assimilantur
do damo- & quorum corpora post diem iudicij e-
num simi- runt deformiora, & ad intuentum horri-
lia. biliora, quàm quando erant in monumē-
 tis: à vermibus pro media parte corrola,

Aspectus & serpētibus bufonibúsq; ue opera. De-
damonum nique, si tā ineffabiliter horribile & pœ-
horribi- nale est, dæmonem vnum in sua deformi-
lia. tate conspiceret, ita vt aliqui hoc experti,
 testati sint se malle ardentem fornacem
 intrare, quàm diabolum sic videre, quàm
 inopinabiliter erit pœnosum, tot mali-
 gnissimos, turpissimos, ac furiosissimos
 spiritus perpetuo intuerit? Nam (vt diui-
 nus Dionysius contestatur) sunt in dæmo-
 nibus proteruissima phantasia, amensq;

VI furor. Sexta inferni pœna, est feruentis-

Delicato- sima fames, & quantò quis in vita hac gu-
rum fa- losior est, & delicatius atq; intemperan-
mes in in- tius viuuit, ieiunia quoque ecclesie frangit
ferno. & aliorum bona consumit, aut ecclesia-
 sticos redditus indignè deuorat, & expen-
 dit, tantò intollerabiliori fame cruciabi-
 tur in inferno: Propter quod in euan-
 gelio loquitur filius dei: Væ vobis qui sa-
 turati estis, quia esurietis. In Esaia quoq;

Luc. 6.

loquitur deus iniquis & condemnatis: Ec-
 ce serui mei comedent, & vos esurietis:
 Ecce serui mei bibent, & vos sitietis: Ec-
 ce serui mei lætabuntur, & vos confun-
 demini: Ecce serui mei laudabunt præ ex-
 ultatione cordis, & vos clamabitis præ do-
 lore cordis & præ contritione spiritus v-
 lulabitis. Hinc in Ecclesiastico sapienter *Damna-*
 cōsultitur: Ante obitum tuum operare ius- *torum re-*
 titiam, quoniam non est apud inferos in *fectio qua-*
 uenire cibos. Veruntamen est in inferno *lis.*
 quædam damnatorum refectio quæ po-
 tius dici potest infectio atque afflictio,
 quàm refectio: quoniam nullum præbet
 solatium, nec minuit famem, sed molestif-
 simum inducit supplicium. Scriptum est
 enim in Psalmo: Sicut oues in inferno po-
 siti sunt, mors depascet eos. Et per Ie-
 remiam prophetam dominus loquitur:
 Ecce ego cibabo eos absynthio, & pota-
 bo eos felle. Septima pœna inferni, est:
 ardentissima sitis, sicut iam tactū est, qua
 cruciabatúr diues epulo qui petiuit sibi
 guttam aquæ pro refrigerio suæ sitis præ- *Fame &*
 stari. Hac siti præcipue torquebuntur po- *siti qui*
 tiores, & ebriosi, ac vinolenti, quibus *crucian-*
 dicitur per Esaïam: Væ qui consurgi- *di.*
 tis mane ad ebrietatem sectandam, & ad *Esaie. 5.*

Prover. 23

potandum vsque ad vesperam. Vnde in
Prouerbis: Salomon dixit: Noli esse in
conuiuio potatorum nec in comessatio-
nibus eorum qui carnes ad vescendum
conferunt, quia vacantes potibus & dan-
tes symbola cōsumuntur. Denique, præ-
fata fame & siti potissimè affligentur im-
misericordes, qui esurientes non pascunt
pro posse, nec sitientibus poculum præ-
bent. Hinc diuiti qui non contulit inopi
Lazaro micam, denegauit dominus aquæ
guttam. O quam inestimabiliter torque-

*In deuora-
tores eccle-
siasticorum
beneficio-
rum.*

buntur hac fame & siti, qui variis gene-
ribus preciosorum ciborum ac potuum
replent corpora sua, quod aliqui faciunt
etiam ex ecclesiasticis bonis, nec compa-
tiantur pauperibus, & vix siccum panem
aut hastum ceruicis tribuunt ei. Porro,
quàm pœnale sit magna siti affligi, con-
stat ex eo quòd filij Israël circumuallati

Iudith. 7

leguntur dixisse: Sit finis noster breuis
in ore gladij, qui longior sit ariditate si-
tis. De afflictione quoque famis ait Iere-
mias in Threnis: Melius fuit occisis gla-
dio, quàm attenuatis fame. Cùmque si-
tis oriatur ex calore atque labore, maxi-
ma & pœnalisissima est sitis damnatorum
cùm æstuantissimo torqueantur calore,

*Thren. 4
Sitis dam-
natorum
ineffubili-
lis.*

inaccessibilique labore, quemadmodum in *Apo. 1*
in Apocalypsi legitur. Fumus tormento-
rum eorum ascendet in secula seculorum
& requiem non habebunt die ac nocte. *Psal. 48.*
In Psalmo quoque scriptum est de ini-
quo. Laborabit in æternum, & viuet ad- *viii.*
huc in finem. Octaua pœna inferni est li- *Matt. 22*
gatio & vinculatio damnatorum, prout
in euangelio dominus loquitur de dam-
nato: Ligatis manibus & pedibus, proi-
cite eum in tenebras exteriores. In infer-
no nâque potissimè adimplebitur quod
Salomon dixit: Iniquitates sue capient *Prover. 5.*
impium & funibus peccatorum suorum
constringetur. Hinc Isaias propheta asse- *Esai. 24*
ruit de iniquis: Congregabuntur congre-
gatione vnus fascis, & claudetur in car-
cere. De quibus apud Mat. Christus per- *Matt. 11.*
hibet se dicturum: Alligate ea (puta ziza-
nia per quâ reprobi designantur) in fa-
sciculos ad cōburendū. Nona est horre- *ix*
da caligo, cuius figura in Aegyptiis præ-
cessit, apud quos fuerunt diebus tenebræ *Exod. 10*
tâ densæ, quòd palpari vix valebât: qui-
bus tenebris infernalis caligo mirabili-
ter horribilior est: propter quod à Iob *Iob. 10.*
infernus vocatur terra operata mortis ca-
ligine, terra miseris, & tenebrarum. Ve-

runtamen, quia damnati iuxta præhabita se inuicem ad miseriarum & pœnarum suarum augmentum conspicient, ignis infernalis tantum de luce tristi habebit, vt se mutuo possint inspicere. Nec obstat quod super prædicta verba beati Iob sanctus Gregorius scribit: Ignis infernalis concremationem habet, sed lumen non habet: flamma illa comburit, sed tenebras non expellit. Nam subdit ibidem. Quauis ignis illic ad consolationem non lucet, tamen vt magis torqueat, ad aliquid lucet; quia sequaces suos secum in tormentis flamma illustrante reprobis sunt visuri. Ignis itaque qui in obscuritate cruciat, lumen ad tormentum seruat. Decima pœna inferni, est turpissima, horribilissima, ac foedissima dispositio loci, cuius turpitudini & foetori immunditiæ & horroni nulla cloaca, nulla putredo, nullum defertum, nullum cadauer poterit comparari, prout de hoc infra plenus disseretur. Vnde decima pœna inferni, est pœna damni, videlicet carentia beatificæ visionis, & priuatio omnis salutis inopia maxima, desperatioque extrema, de quibus infra dicetur. Aliæ quoque plurimæ pœnæ sunt in damnatis, videlicet aceror, dolor, &

*Lux quæ
lis in in-
ferno.*

*Greg. lib.
9. moral.
cap. 49.*

1

2

pauor: aceror de bonis omisissis, dolor de tormentis semper presentibus, pauor de malis futuris, & nunquam terminum habiturus. Insuper, ineffabiliter odiunt deum, & inuident beatitudini eius ac omnium electorum. Amplius, sicut Tullius scribit, octo genera pœnarum erant in legibus humanis & in iure ciuili: Damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exilium, mors, & seruitus: quæ omnia in damnatis existunt. Est namque in eis damnatum, quoniam niam perdidit summum, infinitum & incommutabile bonum, videlicet deum, & vniuersa spiritalia dona eius, gratiam & virtutes, gloriam & salutem. De pœna verberum dictum est, de quibus & Salomon in Prouerbiis ait: Mallei percussiones parati sunt stultorum corporibus. De pœna talionis in Apoc. habetur: Quantum glorificauit se & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Quod non est intelligendum, quasi in inferno aut etiam in purgatorio non sit maior afflictio pro peccato, quam in vita hac fuit delectatio in peccando, sed comparatio illa intelligenda est in genere, quia quod maior est in peccato voluptas, eo pœnaliore infligitur pro peccato calamitas. De pœ-

*Octo ge-
nera pœ-
narum.*

Prou. 19.

111

Apo. 18

1111

Proue. 16 na verò ignominia scriptū est in Prouer-
biis: Turpitudinem & ignominiam con-
Ierem. 23 gregat sibi iniquus, & opprobrium illius
 non delebitur. Vnde per Ieremiam do-
 minus protestatur: Dabo eos in oppro-
 brium sempiternum & in ignominiam
Matt. 10. æternam, quæ nunquam obliuione dele-
Matt. 22 bitur. De pœna exilij exponitur illud: Et
Esaie. 26 clausa est ianua. Et quod iudex dicturus
 VI est. Proiicite eum in tenebras exteriores,
Apo. 1. Atque quod loquitur Esaias, Tollatur im-
 VI pius ne videat gloriã Dei. De pœna mor-
 tis infernalis fertur in Apocalypsi. Pars
2. Pet. 2. eorum (id est, retributio & merces om-
Isaie. 8. nium iniquorum) erit in stagno ardenti
 igne & sulphure, quod est mors secunda.
 De pœna seruitutis ait beatissimus prin-
 ceptus apostolorum: Iniqui sunt serui cor-
 ruptionis. Christus quoq; apud Ioannem
 Omnis qui facit peccatum, seruus est pec-
 cati. Postremò, prædictis consonat quod
 in Legenda sancti Ioannis apostoli reci-
 tatur, quemadmodum iuuenis quidam à
 sancto Ioãne apostolo resuscitatus à mor-
 te, multa narrauit de gloria paradisi, & de
 tormentis inferni. De quibus specialiter
 octo narrauit, quæ continentur his me-
 tris:

Vermes & tenebræ, flagellum, frigus, & arque
 ignis. et
 Dæmonum aspectus, scelerum confu-
 sio, luctus.

Ecce quæ & quanta, quàm incompara-
 bilis & immensa atque perpetua est misce-
 ria, pœna, infelicitas dånatorum. Et cer-
 tē quæ ex prædictis descriptionibus earū
 non perterretur, obtenebratus & obstina-
 tus est corde: nec spiritaliter sentit, sed
 mortuus est. Veruntamen respiciat & de-
 vitorū profundo emergat, atque ad ista
 consideranda erigat oculos cordis. Et om-
 nis quem adhuc peccatum delectat, horū
 considerationem & timorē imprimat sug-
 menti, vt saltem tantorū horrore suppli-
 ciorum retrahatur à vitiis, & ad salutaria
 dirigatur. Qui autem iam cœpit introire
 viam virtutum, ex horum consideratione
 omnem instabilitatem & torporem abii-
 ciat, imò cunctis credentibus vertan-
 tur in nauseam & horrorem cuncta oble-
 tamēta carnalia vanitatēque seculi, per
 quæ ad tantas peruenit calamitates in-
 ferni.

*De vniuersitate infernalium tor-
 mentorum.*

Ierem. 29

Dabo eos in vexationem, & maledictionem, & in stuporem, & sibilū, & in opprobriū sempiternum, eò quòd non audierūt verba mea (id est, præcepta mea non impleuerunt) dicit dominus. Hoc requirit diuina iustitia, quòd sicut peccator toto corpore & anima, & omnibus membris corporis ac viribus animæ deum offendit, sic in inferno puniatur in omnibus istis. Illaque membra ac vires, in quibus plus viguit impia delectatio, & quæ magis seruiuerunt peccatis, horribilius atque acerbius punientur: vt luxuriosi in pudēdis gulosi & garruli in lingua & ventre. Tunc ergo singuli sensus exteriores, ac inretiores & aliæ vires singulis ac propriis affligētur suppliciis. Erit in appetitu sensitiuo insensatissimus furor, phātasia proterua, inuidia mordax, rancor amarus, tristitia opprimens, timor penetrans, dolor absorbes. Peccator enim videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet. Erit quoque in eis irrationalis concupiscentia: quia ad carnalia terrena & vana, in quorum vitiosis affectibus obierunt, actu vel habitu afficientur. Erit item in eis penitentia de peccatis, non

Appetitus sensitivus damnatorum qualis.

Concupiscentia dānatorum. Damna- torum penitentia qualis.

nō inquantū peccata sunt inhonoratiua, offensiuāque dei & vilia ac turpia in se-
Esaiæ. 33.
 ipsis, sed inquantum per peccata meruerunt ac inciderunt tot & tantas miseria. Tunc penetrabunt eos tortiones & dolores incomparabiliter pœnalia quàm parturiētes. Denigrata erit facies eorum super carbones, & vultus combusti
Amos. 4.
 Tunc seuabuntur in contis, & recluduntur in ollis feruentibus: Habe-
torum miseria.
 bunt miserrimi conturbationem & compressionem in cerebro, planctū in oculis, stridorem in dētibus, foetorem in narribus, clamorem & vlulatum resultationes in auribus, sitim in lingua, famem in stomacho, vincula in manibus ac pedibus: & nunc infernalis incendij ardorem nunc intolerabilia frigora in omnibus membris. Intellectus erit plenus errore
Intellectus damnatorum.
 & falsitate, excæcatione erroneisque iudiciis. Et (vt S. ait Hierony.) nihil poterit cogitare, nisi ad quod cum impulerit vis doloris, ita quòd nihil poterit considerare, ex cuius consideratione posset aliquo modo mitigari acerbitas afflictionis. Ea verò quæ augent miseriam, bene attendet: vt quòd damnatio erit æterna, quòd omnipotenti resistere nequit, quòd

electi sunt pleni omni felicitàte & gloria: ex quibus cōsiderationibus cōcipient damnati grauissimam desperationem & odium Dei, atque inuidiam beatorum: sicque voluntas damnatorum erit odio dei plena, de beatitudine electorum inuida, & obstinata in omni malitia. Memores quoque erunt præteritarum deliciarum & vanitatum quas amauerunt, & habuerunt, & tristabuntur quòd eis amplius frui non poterunt. Hinc ait Gregorius, Miro & horrèdo modo erunt in miseris dolor cum tremore, ardor cum obscuritate, & in eorum afflictione ipsa tormenta à suis qualitatibus discordabūt eo quòd à creatoris voluntate miseri discordes fuerunt. Et in eis mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia eorum mors perpetuò viuít, finis eorum incessabiliter incipit, & defectus deficiere nescit. Mors perimit, nec extinguit, dolor cruciat, & pauorem non fugat. Denique qui nūc ad libitum suum liberius euagantur discurrunt, saltant, chorizant, plaudunt, equitant, & ad vitia properant, tunc arctius & violentius æternis vinculis constringentur, & in angustiis fo ueis ac caminis tenebuntur conclusi. Et

Mors infernalis.

In homines mundanos.

quantò quis nunc in sensibus ac sensibilibus abundarius ac viciosus delectatur, tantò nunc in sensibus suis acerbius æternaliter affligetur. O qualiter tunc affligetur in visu, qui modo in aspectu mulierum, spectaculorum, chorearum, & consimilium vanitatum impiè gloriatur. Qualiter tunc affligetur auditus eorum qui in cantilenis & musicis, in verbis vitiosis & vanis, in fabulis & scurrilitatibus modò lætantur. Qualiter tunc in tactu & gustu affligentur lubrici & gulosi? Qualiter ab infernalibus monstruosis ac turpissimis serpentibus, bufonibus, & draconibus amplexabuntur, transfodientur, & torquebuntur, & maximè his qui vitis contra naturam sceleratissimè inquinantur? Pensemus quàm ineffabilis pœna esset à magno dracone capi, constituigi pedibus eius, inuolui spiris, & venenis eius transfigi, & in tali supplicio permanere! Quale ergo erit tormentum ab infernalibus feris ac beluis, serpentibus, basiliscis, bufonibus & draconibus in sempiternum exercuari? Erunt enim hæc omnia in inferno, siue per veritatem naturæ, siue per æquivalentiam pœnæ. Aduertant hæc homines mol-

Pœna à visu, & ab auditu.

à tactu & gustu.

res & delicati, delitiis affueti ac teneri, qui nunc morsum pulicis ferre non queunt, qui flammam candelæ in digito quasi gladium horrent ac fugiunt, qualiter sustinebunt pœnas præfatas: imò cum reuera unicuique nostram molestissimum esset per vnum annum indefinèter & sine corporis reuolutione iacere in lecto molli, qualiter præfata poterimus sustinere tormenta? Despiciamus ergo viriliter & cõstanter mundana solatia, carnalia oblectamenta, vniuersaque vana ac impia, & arctam viam salutis, pœnitentiæ opera, exercitia sancta virtutum feruenter aggrediamur confidentes in domino, & eius implorantes auxilium, nec denegabit nobis adiutorium suum. Sicut enim veraciter dixit, Arcta est via salutis: rursus, Nisi pœnitentiam egeritis, & omnes simul peribitis: ita verè locutus est, Omnis qui petit, accipit: Itémque, Iugum meum suauè est, & onus meum leue. Ex his considerationibus quidam compuncti sunt & conuersi: quemadmodum nobiles quidam pueri religionem ingressi, qui cum à deceptoribus amicis rogarentur exire, quia delicatè nutriti non possent rigore claustralis vitæ sufferre, sagaciter respon-

Matth. 7

Luca. 3.

Matth. 7

Luca. 1.

Et.

Matth.

10.

derunt. Nam vnus talium dixit: si rigorem religionis ac pœnitentiæ nequeo tolerare, inferni supplicia qualiter tolerabo? Alter respondit, Quia de licatè nutritus sum, & grauias ferre nequeo, potius elegi & volo modicum istum rigorem perpeti propter deum, quàm post vitam præsentem incomparabiliter grauiora pati tormenta. Tertius dixit, Quod in viribus meis portare non valeo auxiliante gratia dei hilariter adimplebo. Sic & Fulco ioculator perpendens sibi intollerabile esse iugiter iacere in lecto molissimo, ex infernalium timore tormentorum, intrauit cœnobium, in quo tam laudabiliter vixit, quòd sublimatus fuit ad episcopale fastigium. Hinc quidem sanctorum patrum dixit fratri, cui molestum erat sedere solum in cella. Si futura supplicia rectè attenderes, libenter in cella solus sederes; quanuis cella tua vermicibus esset repleta vsque ad collum tuum. His itaque exemplis ac documentis ædificemur.

De gravitate pœnarum inferni ex parte magna miseria & desolatissima societatis damnatorum.

Esaia. 26 **V**lulabit Moab ad Moab vniuersus vlulabit. Verbū illud commune solatium est misero habere socium in sua miseria, in damnatis locū non habet: imò qui in vita præfenti sunt familiarius sibi coniuncti in vicis, magis se mutuo odio habebunt in tormentis, eo quòd vnus fuerit alteri causā aut occasio maioris damnationis, Similiter qui hīc carnaliter amant se inuicem, ibi grauiorem contra se inuicem habebunt rancorem, quia se inuicem traxerunt ad tantam calamitatem: Insuper, tanta est deformitas damnatorum, quòd mutus aspectus auget in eis dolorem magis quā præfeter solatium: suis quoque clamoribus, vlulatibus ac horribilibus apparitibus augent miseriam mutuam: quanuis etiam ex inuidia vni complacet damnatio & erumna alterius: tamen hoc ipsum cedit eis in maius grauamen quibus omnibus cooperantur in malum. Veruntamen his obici potest, quòd Ezech. ait: Vidit eos Pharaon, & consolatus est super vniuersā multitudinem suā. Et loquitur ibi propheta ad literā de Pharaone ac populo suo damnatis, aliisque regibus, & eorum ex-

*Damna-
torum pœ-
na in con-
spectu mu-
tuo.*

Ezec. 22.

ercitibus condemnatis: ex quorum damnatione dicit Ezechiel Pharaonem esse consolatum, de sua ac plebis suæ damnatione. Vnde & Hierony. ait ibidem. *Le- Hierony. uiora sua æstimauit tormenta consortio lib. 7. su- plurimorum. Ad hoc respondendū, quòd per Ezech. in inferno nulla est consolatio fixa & re- cap. 22. putanda, quoniam ex vehemētia & acerbitate infernalium tormentorum mox taliter absorbetur, vt nullius existat momenti: & quanuis ex vna parte aliquantulum consolationis proueniret damnatis ex aliorum damnatione, tamen ex alia parte atque ex aliis multis causis, multo amplius augetur & aggrauatur eorum miseria ex aliorum damnatione, quemadmodum etiam pœna dæmonum augmentatur ex damnatione eorum quos trahūt ad vitia & tormenta, quanuis illorū damnationem ex inuidia, ac malitia cupiant ac procurent. Hinc legitur de quodam parente, qui vnā cum filio suo fuit damnatus: & ostensum erat cuidam fideli in visione, quòd pater ille & filius suos se inuicem grauissimè afflixerunt & maledixerunt. Nam pater dixit ad filium: Tu mihi es causā tantæ damnationis, quia vt te ditarem & exaltarem, temporalia con-*

gregauī & cupidus fui. Filius verò dixit ad patrem. Tu mihi es causa huius miseriae: quia à dei seruitute me retraxisti: & ne te offenderem, mansi in seculo. Hos aduertat parentes ac soboles, qui se mutuo amant carnaliter, atque in mundo quaerunt se exaltare.

De dispositione loci infernalis.

ARTICVLVS XLIII.

Iob. 10.



Emitte me domine vt plāgā paululum dolorem meum, antequā vadam ad terram tenebrosā & opertā mortis caligine: Terrā miseriae & tenebrarum, vbi vmbra mortis & nullo ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Iuxta sanctorū patrum doctrinā credendum est, infernum esse in medio terrae, vbi etiam ex natura loci est vehemens & frigidissimum frigus. Et quoniam infinita atque iustissima sapientia dei collocat vnūquē que in loco sibi proportionato, tenendū est quod sicut peccator in mortalibus vitiis iacens, villior est omni creatura omni inanimata, & decies millies brutis deterrior, ac coram deo immūdiōr, turpior, ab

Locus inferni.

Homo peccator quid.

hominabilior, atq; scetidior omni bufone, basilisco, ac cadauere, quantumlibet putrefacto, & (vt ait Gulielmus Pariensis) non est in mundo tā foeda cloaca, sicut peccator in quo spurcitia vitiorum scetor scelerū, putredo impiorū affectuum sunt collecti. Ita damnatis à summo & infinito bono, à vero deo, ab omni puritate virtutum, incōuertibiliter & extremè auersis, in odio dei ac omni malitia obstinatis debetur vilissimus, sordidissimus, scetidissimus, obscurissimus, infimus ac solo aspectu horribilissimus locus. Et iste locus rectè vocatus infernus, qui est omni luto, & faece, omni cadauere & cloaca, omni pisce, bufone & basilisco immūdiōr, intolerabilior, atque scetentior, qui ab inferendo vocatur infernus, quia inferuntur & praecipitantur in eum reprobi, & iniqui, inde nunquam ascensuri, vt liberentur, iuxta illud Iob. Sicut consumitur nubes, & pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendet. Hic est rapacissimus & insatiabilis locus, de quo loquitur Esaias: Dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque villo termino. Dicitur quoq; locus ille auernus, id est, absque vere & temperatura, cum

Infernus vnde dicitur.

Esai. 5.

ibi sit maxima intemperantia tormentorum summusque gradus miseriarum, & omnium refrigeriorum defectus. Hinc & Plato in Phædone, infernū vocat avernū. Vocatur etiā tartarus, quod interpretatur turbatus, quoniam est inquietissimus locus, in quo nulla est requies, sed clamor, vexatio, fletus & ululatus, ubi altissimus pluit super peccatores laqueos, ubi ignis, sulphur & spiritus procellarū sunt pars calicis (id est, afflictionis) pravorum. Denique sicut sanctus ait Bernardus, ibi pilosus clamat ad pilosum, vnus ad alterum, dæmum ad dæmonem. Percute, dilacera, interfice, velociter spolia detrahe, cito prædare. De quo loco asserit Hugo: Infernus locus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, dolore innumerabili, ac pœna interminabili. Rursus infernus appellatus est Achæron, quia desolatissimus locus est, ab α, quod est sine, & χæron, quod est gaudens. Ad quod quidam deuotus, in suo tractatu de quattuor nouissimis, allegat Auerroem commentatorem dicentem: In inferno cōtinua est tristitia, & mœror sine consolatione. Verū tamen bene eruditus in Philosophia cō-

Esaiæ. 8.

stat, quod Auerrois hoc non dicat. Fuit enim primò de lege Mahumeti, quem ad modum Auicēna, & Algazel. Postmodū verò legem impiissimi Mahumeti reliquit, propter apertissimas falsitates, quæ in Alchorano cōtinentur, Spreuit quoque legem Christi, propter multa incomprehensibilia, & supernaturalia, quæ in euāgelica lege habentur. Similiter vituperauit, & Mosi legem, volēs esse naturali lege cōtentus: sicque iusto dei iudicio permissus est cadere in multos errores grauissimos. Nam & prouidentiam omnipotētis negauit, asserens deum inferiora ista, & actus humanos nescire. Animam quoque humanā mendosissimè dixit esse mortalem, quanuis intellectum dixerat immortalem, quem asseruit esse substantiam separatam, & vnum in cunctis hominibus. Afferuit item non esse dæmones, quia intelligētis, seu angelis dixit, non posse cadere culpā. Hinc negauit esse infernum, negauitque esse futurum dei iudicium: sicque dedit hominis peccandi audaciam absque freno, & errauit grauissimè. Si autem alicubi dixit verba præallegata, dicit ea non attendendo, sed forsitan recitando. Hæc autē quæ dixi, possum ex-

*Sarraceni
cæcitas.*

Gehenna.

scripturis sancti Thomæ, Alberti, Aegidii, & aliorum multorum probare, imò & in commentariis Auerrois legi hos eius errores. Præterea quàm horrèdus sit locus infernalis, qui & gehenna vocatur quasi sine annis perpetuò durans perpendere, possumus ex dispositionibus carcerum aliquorum & aliorum turpissimorù locorum, in quibus diu consistere esset intollerabilius ipsa morte. Imaginemur ergo longissimum atque latissimum cæpium profus infructuosum, arefactum, & incendiis multis combustum, profundissimis foueis & angustissimis puteis plenum, qui putei, ac foueæ sulphureis ignibus sint repleti. Imaginemur quoq; campum illum ignitissimis plenum esse caminis, spiritibusque malignis, & ferocissimis ac venenatissimis brutis, bufonibus, draconibus, omnique serpentinum genere, omni fœtore, caligine, horrore, atque innumerabilibus peccatoribus, deputatis tot & tantis suppliciis, in medio igneorum, & sulphureorum puteorum, fouearum & caminorum iacentibus: super quos sedeant monstruosissimi bufones & venenosi dracones, ac edacissimi vermes, qui miseros illos transigant, de-

Imaginatio per exemplum.

osculentur, constringant, corrodant, ac lacerent. Ecce, ex hac imaginatione aliquantulum capere possumus, qualiter dispositus sit infernus, qui indubitanter multo horribilio pœnaliusque dispositus est, quàm excogitare possumus. Quemadmodum enim patria beatorum paradysus cælestis inestimabilem habet decorem, amœnitatem, dulcedinem: sic infernus inopinabilem & incomprehensibilem habet turpitudinem, desolationem, & fœtorè. Aduertant, hæc qui speciosa, preciosa, & amœna tabernacula amant, atque inhabitant, qui dormiunt in lectis eburneis, & in suis lasciuunt stratis, qualiter erit eis, cum iniecti fuerint infernalibus ac sulphureis puteis & caminis, & operi bestiis illis, vermibusque tartareis, qui nec fumum pati volunt in domo sua.

Decor patriæ beatorum.

De gravitate pœnarum inferni, propter irreuerabilitatem temporis hic amissi, & damni inde secuti, & de mala puritate infernalium tormentorum.

ARTICVLVS XIII.

INsanabilis dolor meus, pessima plaga *Jerem. 30.*
Inca. Hæc verba Ieremiæ prophætæ di

cere potest vnusquisq; damnatus. Quauis enim damnati veram non habeant cōtritionem de suis peccatis, de hoc tamen vehementissimè, & incōsolabiliter dolent, quòd tempus huius vitæ tam infructuosè, & vitiòsè expenderunt, inquantū per hoc tantam promeruerunt, ac receperunt pœnarum acerbiteriam, & quòd negligentiam hanc recuperare non valent: & quòd in tam breuissimò tempore tantā sibi mercati sunt calamitatē, quā promereri poterant summam felicitatem. Hinc etenim (sicut in libro Sapientiæ legitur) dicunt: Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Hinc dolēt se esse natos: & esse ac viuere, quod omnibus naturaliter appetibile est, factū est eis odibile. Cupiunt nanque non esse: & si possent, se ipsos occiderent. Atque in Apolypsi scriptum est, blasphemāt deum qui potestatem habet super plagas eorū, quòd inde non eripit eos, ac præ doloribus suis linguas suas manducant. Cūmque animus inordinatus etiam in hac vita sit sibi ipsi pœnalis & grauis, animi dā-

Sap. 5.

natorū sunt sibi ipsi pœnalissimi ad portandum, & ipsi sibi metipsis grauiores sunt tenebræ, quia in corde eorum est confusio maxima, ac deordinatio summa. *Malitia damnatorū.* Nam odiunt omne bonum ac honestū, & omni rancore, odio, horrore, tristitia, desperatione, maledictione, ac blasphemia creatoris sui sunt pleni. Sicque vitiis suis cruciant & fatigant, rodunt ac perforant semetipsos, & sibi ipsi grauissimi facti sunt. Insuper, quoniam purum vno modo vocatur, quod de suo contrario, aut de re alienæ naturæ, nihil habet admixtum, sicut purum vocatur aurum, cui nihil de alieno metallo est mixtum. Hinc pœna damnatorum dicitur *Purum bē pura*, eo quòd nulla consolatio, nulla *fariā accē spes*, nulla vtilitas pro ipsis damnatis *pitur*. sit pœnæ eorum adiuncta. Pœnæ autem *Pœna vi-* vitæ præsentis, quantumlibet magnæ, *te præsen-* tolerabiles sunt, quoniam sunt multipliciter fructuosæ, ac medicinales *tis quor-* patienti si eas patienter ferat. Valent enim ad remissionem culparum, ad impetrandum charismata gratiarum, ad euidendum futura supplicia, atque ad promerendum gaudia sempiterna. Faciunt quoque hominem cautiorem nē peccet,

& per eas assimilamur domino Iesu christo propter nos passio.

De pena damni damnatorum.

ARTICVLVS XLV.

Baruc. 2. **N**on mortui qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est à visceribus eorum, dabunt honorem domino: sed anima quæ tristes est super magnitudine mali, & incedit curua & infirma, dat gloriam tibi domine. Quemadmodum summum hominis bonum, & vera ac plena eius felicitas est dei bonitatis immensæ frui, & cum clarè per speciem inuenerit priuari hac fructiua, ac beatifica visione dei, est maxima miseria hominis, & summum damnum ipsius. Hinc carentia beatificæ ac beatæ visionis dei, vocatur pœna damni in damnatis: cruciatus verò ignis ac frigoris, & aliorum infernalium tormentorum, dicitur pœna sensus. Quauis autem damnati non diligant, sed odio habeant deum verum, sanctum & adorandum, atque ob hoc non cupiant ei vniri, nec eo frui, secundum quod hoc esset aliquo modo ad dei honorem, laudem & gloriam: cupiunt tamen beati-

Bonū hominis q.

Malū hominis q.

*Quid pœna damni.
Quid pœna sensus.*

beatitudinē, & vellēt esse in regno cælorum, in quantum hoc esset vtile eis, & euasio suæ damnationis, à qua maximè eripi cupiunt, aut cuperent si esset possibile. Hinc Gregori. ait in Homilia 40. Dubium non est quin hi qui in inferno sunt, ad forem beatorum transire desiderent. Vnde & dictum est antè, quòd in die generalis iudicij, primò vocabuntur electi ad regnum cælorum, & in conspectu reproborum ascendent cum gloria ad æternorum plenitudinem gaudiorum, vt videat reprobi quid neglexerint ac perdidierunt, & inde perpetuò contristètur. Denique in omni peccato mortali duo considerantur: Vnum est auersio mentis à summo & incòmutabili bono: & huic auersioni debetur, correspondet atque infligitur pœna damni, videlicet diuinæ visionis carentia. Aliud est conuersio mentis ad bonum creatum, caducum ac vanum, & huic conuersioni iniquæ correspondet pœna sensus: Sed pœna dāni peior ac fugibilior est, quàm pœna sensus. Ideo ait Chrysostomus, sunt quidā insipientes qui sibi sufficere arbitrantur si à sensibilibus inferni supplicij eruantur. Ego autem omni pœna grauius reor à

Duo cōsideranda in omni peccato mortali.
I.
II.

Q

Pœna dicitur: pœna maior quàm pœna sententia.
 vultu dei repellere ac felici eius fruitione priuari. Et iterum, Si mille gehennas mihi proponas, non tantum has reputo, neque abhorreo, sicut à gloriose illius societatis iucunditate repellere, atque exorsum fieri creatori. Terribilis est gehenna, sed terribilior facies iudicis summi irata: sed quod omnino vincit terrorem, est elongatio sempiterna à contemplatione superbeatissimæ trinitatis. Hinc ait & Prosper, Attendere quàm malum, quàm miserum sit à facie dei separari à gaudio æternæ contemplationis excludi, beatissima omnium sanctorum societate priuari, sempiternæque morti profundè fluctuantis gehennæ immergi, ab edacissimis vermibus æternaliter laniari, æstuantis incendij flammis ferre, atque fumantis barathri obcæcari caligine. De hoc rursus scribit Chrysostomus. Excludi à bonis æternis & alienum effici ab his quæ præparauit deus diligentibus se, tam grauem generat cruciatum, vt quauis exterius nulla flamma torqueret, hoc solū sufficeret, & melius esset mille flammis tolerare, quàm mæsueratissimam Christi faciem iratam conspicerere, atque ab ea in æternum recedere. Abhorreamus ergo hoc

maximum damnum, hoc incomparabile malum, tam immensum dispendium: & ne in illud incidamus, solliciti sumus, ne in vita præsentis à diuino separemus amore, per peccatum mortale.

De acerbitate infernalium suppliciorum ex parte patientium ea.

ARTICVLVS XLVI.

IN ignem deities eos, in miseris non sunt. *Psal. 139.* stinent. Tam in inferno, quàm in purgatorio duplex est pœna, videlicet, pœna dani & pœna sensus. Et de vtraque *af Minima* ferit sanctus Thomas, & alij multi doctores, ac patres, quod minima pœna purgatorii, seu inferni, maior est maxima pœna dit omnes huius mundi. Imprimamus hoc cordi, & pœnas huius formidemus iudicium dei. Ecce, quæ grauiores sunt multæ pœnæ mundi istius. Et si pro vno minimo peccato mortali, tam dura infligitur pœna, qualis & quàm acerbissima est eorum punitio, qui multis & grauioribus sunt inquinati peccatis? Præterea consideremus passibilitatem, ténertudinem, mollitiem carnis humanæ, quàm citò lædatur, quàm grauitur ex modica

*Pœna
de cause-
tur in car-
pore.*

læsione affligatur, & quanto ad maiorem
complexionis æqualitatem redacta est,
tanto grauiorem habet afflictionem in
rebus læsuis, præsertim ex igne. Cùm e-
nim pœna causetur in corpore & in sen-
sibus eius ex excellentia qualitatum sen-
sibilium rerum, & ex contrarietate earũ
ad sensus humanos, constat quòd corpus
humanum in singulis sensibus suis ines-
tabiliter torquetur ex igne ac frigore
iufernali, & ex cæteris inferni tormentis,
sæpe prænominatis, intantum quòd quã-
uis pio multis ac magnis peccatis mor-
talibus non infligeretur post vitam hanc
pœna inferni nisi per vnum diem, mi-
rum quòd aliquis auderet peccare. Quã-
ta est ergo iniquorum amentia, qui pro
breuibus vanitatibus ac voluptatibus se-
ipfos exponunt supplicii sempiterni?
Hic ait Chrisost. Dic quãta tempora vo-
luptatum vis cõparare pœnis perpetuis.
Centum (si placet) annos demus deli-
citiis, adde & alios centum, adde & decies
centum: quæ horum erit comparatio, &
compensatio ad æternitatem? Nõnne om-
ne tempus vitæ huius, quo quis deliciis
fruitur, quasi vnius noctis somnium est
ad æternitatis respectum? Nõnne deliciae

transeunt velut vmbra, & celerrimè fugiunt
tanquam nubecula, sed pœna æternali-
ter manent? Etiam si æquale tempus &
spacium esset repositum deliciis ac tor-
mētis, quis esset tam amens & fatuus, qui
pro vno die deliciarum vellet subire vnu
diem pœnarum tantarum, cùm dolor ho-
ræ vnius ducat in obliuionem delicias om-
nium præteritorum dierum? Aduerte
ò homo, quantæ angustia, quantæ cala-
mitates, atque formidines circundabunt
animam tuam mox, vt de corpore exie-
rit, quàm mundo carnalibus desideriis &
immundis deliciis insipientissimè subdis,
quàm delicatè ac moliter tractas. Cur nõ
aduertis quòd dominus, loquitur, *Qui*
amat animam suã, perdet eam: & qui odit
animam suam in hoc mundo, in vitam æ-
ternam custodit eam. Qui enim carnali-
ter amat eam, peribit: qui verò salubriter
odit ipsam, refrenando ipsam & castigan-
do, æternam meretur salutem. Confide-
ra, quàm ingens formido vallabit eam,
dum corpore derelicto, dimissisque om-
nibus charis amicis ac sociis, domesticis
& propinquis, cum quibus iam familia-
riter & delectabiliter conuersaris, regio-
nem intrabis ignotam: & obiabunt tibi

Ieron. 12.

Q iij

teretissimi, malignissimi, crudelissimi que
tortores, accusatores & illulores. Quali-
ter accusabunt te iudici, móxque vt fue-
ris adiudicatus tormentis, in monumen-
to, in ictu oculi rapiant te, ac pœnis im-
mergent. Hæc prouide, & cordi tuo in-
scribe: & sicut nutrix volens puerū abla-
ctare, superponit synapiū aut simile quid
amarū vberibus suis, quatenus infans gu-
stata amaritudine distuefcac vbera quæ-
rere: sic horum memoriam & horrorem,
considerationem diuini iudicij ac æterni
supplicij imprimamus fortissimè menti-
bus nostris: quatenus quotiescunque ten-
tatio voluptatis, concupiscentia carnis,
amor peccandi pulsauerit nos: protinus
ex horum memoria consideratione &
horrore á vitis reuocemur & omni ten-
tationi efficaciter reluctemur. Itaque nõ
sit fides nostra quasi dormiens & obscu-
ra, sed viuax & clara: ita vt hæc tam fru-
ctuose pefemus, ac si ea intuiti atque ex-
perti essemus, sicque pœnitentiæ opera
strenue impleamus. Verū vt ita agamus,
cõmemoranda sunt quædam exẽpla corū
qui præfata viderunt & experti fuerunt
supplicia. Recitat autẽ sanctus Grego. in
lib. Dialogorū de quibusdã personis hu-

Greg. lib.
4. dialog.
cap. 36.

iufmodi, præsertim de monacho virtuo-
so, nomine Petro, qui ex graui in firmita-
te defuncto, fuit resuscitatus, & retulit se
varia ac horrenda vidisse genera tormen-
torum, & loca incendiorum innumera.
Cumque quidam vellent eum in tormen-
ta illa præcipitare, apparuit angelus san-
ctus hoc fieri prohibens. Et dixit defun-
cto, Redi, & quomodo de cætero debeas
conuersari, prudentissimè pensã. Qui re-
ductus ad corpus, tantis se vigiliis, ieiun-
niis, fletibus, orationibus castigauit, vt eū
vidisse inferni tormenta conuersatio te-
staretur, etiã si lingua sileret. Qui & quos-
dam potentes seculi huius in illis suppli-
ciis se conspexisse asseruit. Refert & Be-
da de milite quodam defuncto ex diui-
na pietate resuscitato, qui ex tormentis
quæ vidit compunctus ac territus, ad de-
sertum confugit: vbi iuxta flumen quod-
dam cellam construxit, in quo flumine se
frequenter vestitus voluebat, vestesque
suas vsq; ad carnem suam congelari per-
misit, ac paulò post calidissimum introit
balneū quatenus ex cõtrariarū variatione
& successione pœnarū durius pateretur.
Qui ab aliquibus reprehensus, & interro-
gatus quare hoc faceret, dixit, Maiora his

Quiij

faceretis, si vidissetis quæ vidi. Sicque usque ad mortem suæ conuersationis rigore permansit. Sic & Anselmus recitat de sacerdote adultero, qui cum nauē intrasset tanto commisso facinore, à dæmonibus est eiectus, submersus, ac variis pœnis dire vexatus. Tertio autem die à beatissima virgine liberatus, eo quòd matutinas eius cœpisset legere quando dæmones eum demerferunt, meritis ac precibus sacratissimæ virginis ad corpus reductus est, & factus eremita, rigorosissimam duxit vitam. Horum ergo exemplis ad peragendum condignos pœnitentiæ fructus prouocemur.

De acerbitate pœnarum purgatorij & inferni, ex reuelationibus fide dignis fidelium personarum.

ARTICVLVS. XLVII.

Psal. 9. 2. **T**Estimonia tua domine credibilia facta sunt nimis. Quemadmodum incomprehensibilia sunt ea quæ fides tenet catholica: sic deus omnipotens per euidētissima signa veritatem eorum copiosissimè demonstrauit, nec verum est quod in libro Sapientiæ impij dicunt,

Non est qui agnitus sit reuersus ab inferis. Multi nanque & quasi innumerabiles sub euāgelica lege sunt resuscitati à morte, qui mira dispensatione diuina, verbo & opere sunt testati se vidisse, ac etiam sensisse atque ad tempus sustinuisse pœnas purgatorij aut inferni. Horum vnus *Exemplum.* extitit religiosus quidam in anglia, qui à die cœne vsque ad vesperam sabbathi Paschæ raptus fuit in spiritu, & reuersus ad se mirabilia ac terribilia multa narrauit quæ vidit: cuius visionis historiam descripsit non solum quidam notabilis religiosus, sed etiam reuerendus pater dominus Petrus abbas Cluniacensis. Itaque frater ille post diuturnam & copiosam visionem ad se reductus, inter cætera ait, Ibam ductor meus (videlicet sanctus Nicolaus) & ego per viam planam, quo vsq; peruenimus in regionem spaciosam, visu valde horrendam, in qua fuit multitudo innumerabilis, inenarrabilibus suppliciorum immanitatibus exposita, tamen tandem ab illis suppliciis liberanda, quia non erant damnati. Hi omnes gemebant, flebant & eiulabant. Innumerabiles pœnarum species vidi ibi. Hi enim torquebantur igne, hi in sartagine frige-

bantur, hincguibus sulcabantur vsque ad dissolutionem compagum. Alij puniebantur in balneis confectis ex piee & sulphure, alijsque liquaminib⁹ ex are, plumbo, alijsque metallis, cum foetore horrendo.

*Locus purgatorij pri-
mius.*

Quosdam vermes monstruosi dentibus venenatis rodebant, Alij aliis tormentorum atrocissimis generibus cruciabantur. Eos vero qui praesuerunt, vidi duplici dolore torqueri. Testis mihi est deus, quia si viderem quempiam hominum qui me & omnes charos meos omnibus damnis atque iniuriis, quae homini in vita hac possunt irrogari: imo & morte affecisset, illis supplicijs, deputandum, millesies (si fieri posset) pro eo temporalem mortem subirem, quam tantis supplicijs eum tradi permitterem: ita mensuram & modum doloris & angustiae amaritudinis & miseriae excedunt quaecunque vidi ibidem.

Locus purgatorij secundus.

Post haec ad secundum tormentorum locum devenimus, & vidimus profundissimam vallem in qua erat flumen altissimum quod nebulam indicibilis exhalabat foetoris. Erat quoque in ea ignis qui videbatur vsque ad caelum pertinere. Atque ex alia parte fuit tanta immanitas frigoris, vt nihil poenalius ea

me conspexisse putaverim. Ibi erant innumerabiles animae; quae nunc in flumen illud foetissimum mergebantur, nunc inde erumpentes ignibus inuolvebantur, ac inde exeuntes, asperimis frigidibus tradebantur. Et poene loci istius grauiores fuerant tormentis loci prioris: tamen & poena istae purgatorij erant. Post haec venimus ad tertium purgatorij locum, qui vltra quam mente concipi potest, horribilis existit, & poenalis:

Locus purgatorij tertius.

imo nulla lingua exprimere posset minima loci illius supplicia. Venimus ergo ad maximum campum, quem operiebat chaos horrendum, cui admixtus fuit fluuius sulphureus immensi foetoris. Nebula quoque & flamma instar picis nigerrima spargebatur confuse per campum. Planities autem campi scatebat multitudine vermium, sicut area domorum solet iuncis operiri. Vermes illi super omnem aestimationem erant horribiles, monstruosi, deformes, rictu pauendi, & naribus ignem execrabilem expirantes, qui turmas miserorum voracitate insatiabili lacerabant, & super miseris illos daemones cursitabant, ac more insanientium saeuiebant in eos, at-

que per ferramenta ignita eos frustatim per singula membra truncabāt, nunc omnem carnem vsque ad ossa funditus abra-
debant, nunc igni iniectos liquefecerunt velut metalla. Parum est, testor deum, imò tanquam nihil, quicquid dicere nitimur de pœnis loci illius. In breuissimo enim temporis spatio intuebar eos centum vel amplius pœnarum diuersitatibus quasi annihilatos, & mox restauratos, & iterum ferè in nihil redactos, ac rursus reintegratos. Tantus fuit feruor atque edacitas ignis illius, vt tepidum crederes omne incendium huius mundi. Vermes quoq; dirupti ac mortui & perfrusta comminuti, sub infœlicibus cumulatim iacebant. Qui fœtore execrandæ putredinis intantum cuncta replebant, vt fœculentia illa omnem prædictarum pœnarum excederet cruciatum. In his pœnis præcipuè torquebantur, qui rei erant Sodomitici sceleris, quos monstra ingentia & ignita, visu horribilia, iugiter im-
tebant, & eos quanuis maximè retinentes sibi miseri cogeabant abominabili genere abusionis: inter quorum nefandos complexus miserrimi illi præ dolore nimio palpitabant, rugiebant & ululabant

*Sodomitarum
pena
infernales*

tanta vociferatione, vt putares totum mundum audire. In his tormētis inueni quendam mihi in seculo olim notum, decretorum doctorem famosum, ab omnibus in mundo hoc honoratum, cui vehementer condolens, interrogavi eundem an speraret se aliquando misericordiam consecuturum. Qui respondit: Væ, væ, væ, scio quòd ante diem iudicij veniam non obribebo. An autem tunc, incertum habeo. Nam pœna mea quotidie augmentatur, & de mille generibus tormentorum quæ quotidie sustineo, nihil me ita excruciat, sicut infœlix representatio Sodomitici criminis mei, quòd in præsentia omnium hæc existentium illud compellor, quoniam ultra inexcusabilem supplicij mei vehementiam preor & spernor intolerabili cõfusione, dum in conspectu omnium de tali ac tanto flagitio execrabilis fio. Væ, væ, qui vnquam crederet gloriam, & fauorem quibus in mundo cunctis eram conspicuus, tanta contemptibilitate ac ignominia permutandos! Quæ cum diceret, vidi eum pœnis innumerabilibus cruciari, & ipsis cruciatibus velut in nihilum redigi. Insuper in primo loco pœnarum præfato vidi rectorem cuiusdam religio-

*Pena
priorum.*

se congregationis, & erat in maximis loci illius tormentis, & nunc in igne, nunc in balneis fœdis sulphure. & pice mixtim feruentibus grauisima tolerauit supplicia. Qui interrogatus à me, cur talia sustineret, respondit: Potius propter peccata subditorum meorum quam propter peccata propria sustineo ista. Propria enim peccata crebra cōfessione, disciplinarum perceptione, orationibus assiduis & aliis pluribus modis redimere & castigare cōsueui: subditis verò non adhibui debitam disciplinam ex quadam vana formidine, ne meo priuarer primatu ex resistentia eorundem. ~~Idcirco propter peccata meorum~~

Prelatorum speculam.

~~quotidie, cum illis peccatis meorum negligenter, & propter peccata meorum agnosco. Minima supplicia, & que pro seculis culpis, vt pro risu immoderato, pro verbo otioso, pro cogitatione in-~~

Amatorum ac hereticorum precibus. an, infligebantur, mihi valde graua videbantur. Vidi ibi quosdam prunas ardentes indefinenter in ore reuoluere, & in hoc miserabiliter cruciari pro eo quòd.

Militum. herbas aut species aut arborum fructus, aucupis præsumpserunt voluptatis amore. Vidi ibi militem quendam, qui diuersa & magna

tolerauit supplicia: qui autem quandam niso similem pugno portabat, & conque- rebatur quòd auis illa rostro suo & unguibus manum suam pœnaliter lacerauit, quia in ludo rapacium auium, per quas cepit alias aues, cōsueuit nimium delectari. Vidi etiã ibi episcopos grauisimis affligi tormentis, quos ~~supplicia~~ *Episcopo- rum quales pœna-*
~~vidi angustari in peccatis suis. Vidi~~
~~quosdam in peccatis suis, non adhibere~~
~~penitentiam, & cōmiserunt. Denique~~
~~quosdam torquere, cum cōmiserunt~~
~~quosdam in peccatis suis, non adhibere~~
~~penitentiam, & cōmiserunt. Denique~~
~~quosdam in peccatis suis, non adhibere~~
~~penitentiam, & cōmiserunt. Denique~~
~~quosdam in peccatis suis, non adhibere~~
~~penitentiam, & cōmiserunt. Denique~~
penitentiam, nec aliquid sic mitigauit dolores, vt certa remissionis obtinendæ fiducia. Desperatio nanque vniuersis cruciatis *Desperatio pœna-*
bus (quos vidi) plus cruciat, cunctis angustis magis angustat, & omnibus pœnis *grauissi-*
ampli⁹ grauatur. Insuper sacerdotes qui de *ma.*
sua incontinecia fuerunt cōfessi, sed satisfactiōne non impleuerūt, vidi innumeris *Lubrico-*
atq; immensis affligi ardoribus ac tormētis. *rum sacer-*
Cūq; mirarer quòd pauci sacerdotes *dotum pœ-*
essent in purgatorij pœnis, respectu eorū *na.*
qui vbiq; terrarū castimoniam polluant,

responsum est, mihi quod ideo ibi paucissimi erant, quia vix aliquis talium veram habet contritionem: idcirco penè omnes huiusmodi æternaliter condemnantur.

Religiosorum pœna. Præterea quid de magnorum vitiorum suppliciiis dicam, cum & bonos religiosos viderim valde amara pati tormèta, eo quod confueverunt gloriari manuum suarum decore, ac productiori digitorum nitore. Vidi etiam ibi quendam potentissimum regem ineffabilibus affici pœnis: sed & episcopum quendam ibi in tormentis cõspexi, qui in abscondito interioris hominis fuerat multum religiosus ac pure deuotus, corpus suum asperrimo domans ciclicio, & aliis cruciatibus, ieiuniis, disciplinis, vigiliis se maceravit in seculo isto: cui & copiosa erant in caelis reposita premia per quem etiam dominus post mortem ipsius fecit quædam miracula: & tamen adhuc in pœnis fuit, quia in suo officio per negligentias quasdam deum offendit. Religiosos autem abbates & abbatissas qui circa cognatos & affines sensualiter erant amore affecti, vidi grauius cruciari. Hæc pauca ex libello visionis Anglicanæ sumpta, euidenter ostendunt quã acerba & aspera purgatorij sint tormenta:

menta: quæ vt effugere valeamus, actibus pœnitentiæ insudare, & coram deo semper solliciti ambulare non negligamus.

De pœnis purgatorij sancti Patritij.

ARTICVLVS XXXXVIII.

Quod scimus loquitur, & quod vidimus, testamur. Si (vt ait scriptura) i ore duorum aut trium testium, stabit omne verbum: quanto magis in ore plurimorum? Itaque veritatem eorum quæ credimus de suppliciis purgatorij ac inferni, deus gloriosus & sanctus non solum nobis patefecit in diuinis scripturis & visionibus quorundam fidelium, factis in raptu & ecstasi atque imaginaria apparitione: sed & per contestationem resuscitatorum à morte: Neque per hæc tantum, sed & per corporalem & exterio-rem intuitum aliquorum in carne viuentium, quemadmodum in historia ac Legendis sancti continetur Patritij, qui cum Patritij prædicaret Hibernis, nec eas per miracula, neque per cõminationem futurarum pœnarum, nec per promissa celestium gaudio- rum posset conuertere, dicentibus ipsis Hiber. se nũquam credituros nisi ali-

R

quīs eorum ipsā tormenta impiorum & gaudia electorum cōspiceret, tunc dominus monitis & pręcibus beati Patritij monstrauit ei locum, fossam, seu puteū, per quē intraretur in purgatoriū quoddam, in quod aliqui intrauerunt, nec redierunt, aliqui verō ingressi fuerunt regressi, qui scilicet constantes manserunt in fide, in omni (quę eis euenit) rētatione ac pœna. Et quia historia illa de purgatorio sancti Patritij est vulgata & nota, non intēdo multa narrare de ea. Consonat autem his, que ex visione Anglica na pręcedenti articulo sunt relata. Insuper quę in aurea Legenda sanctorum de purgatorio recitatur eodem, concordant cum istis. breuiter autem tangēdo, prout in tractatu de purgatorio illo describitur: temporibus sancti Patritij introierunt quāmpures purgatoriū illud, qui reuerſi vnanimiter sunt testati se grauissima ibi vidisse ac sustinuisse tormenta, quorum contestationes multūm roboris ac fidei prębuerunt prędicationibus Patritij sancti. Postmodum miles nomine Agneius purgatoriū illud ingressus, primō à dæmonibus in ignē validissimū est proiectus sed nomine Iesu Christi inuo-

Agneius miles.

tato protinus est ereptus. Deinde à dæmonibus tractus fuit ad campum latissimum, omni dolore atque miseris plenū, in quo erant innumerabiles homines vtriusque sexus ac diuersę ætatis, nudi & in terrā prostrati, ventre humo adhærente, qui omnes clavis ferreis & ignitis in terrā transfixi, extendebantur: inter quos & super quos dæmones percurrere & flagris acerrimis miseros lacerabant. Cūq; supplicia illa militi tentarent inferre, ille Christo inuocato euasit: quem conſequenter traxerunt ad alium capum maiorem miseria plenū, in quo sicut in pręcedenti cāpo, innumerabiles erant resupini iacentes. Super quos sedebant dracones igniti, qui miseros comedere videbantur ac lacerare. Aliorum colla vel brachia, totāve corpora serpentes circūcingebāt: & capita sua miserorū pectoribus imprimētes, ignitum oris sui aculeū ipsorum cordibus infigebāt. Bufones quoq; mirę magnitudinis ignei super quorūdam pectora residebant, suāq; rostra deformia infigentes, corda illorum extrahere nitentur, quos etiam dæmones flagris durissimis affligebant. Inde traxerunt militem ad tertium cāpum, qui hominibus,

diuersæ ætatis & sexus plenus fuit, qui omnes à summo capitis vsque ad infimū pedum ita erant clavis perfossi, vt in eorum corporibus nullus locus vacuus appareret: qui nec vocem emittere poterant, nisi instar laborantium in extremis vento quoque frigido & vrente, flagrantique dæmonum torquebantur. Post hæc in quartum campū militem protrahebāt, qui campus ignibus plenus fuit & omni genere tormentorum: in quo quidem catenis igneis suspendebantur per pedes, quidam per manus, alij per capillos, nōnulli per brachia, quidā per tibias: quorum omnium capita erant ad ima versā, arque sulphureis flammis immersa. Alij super ignem pendebant, vncis ferreis fixis in oculis vel auribus, aut naribus, seu faucibus aut mammillis vel pudendis eorum. Alij in fornacibus sulphureis cremabantur, alij super sartagine vrebantur: alij verubus transfixi igneis, affabantur ad ignem: Alij liquefactis potabatur metallis: omnia genera tormetorum quæ excogitari queunt, erant ibidem. Eiulatus & clamores vniuersorum illorū quos audiuit, nec lingua exprimere, nec sensus potest mortalium cogitare. Tandem

venerunt in domum magnam, latam, atque longissimam, horribiliter fumigantem: cuius pauimentum fuit plenum fossis rotundis, quæ erant impletæ metallis diuersis feruentibus, & ignitis liquoribus, iniquibus non modica hominum puniebatur multitudo: & erāt immersi balneis illis, alij magis, alij minus: sicque per diuersā, pœnalissima sulphurea, frigidissima, fetidissima ac horribilia loca militē pertrahentes venerunt ad flumen magnū & fetidum, super quod pons erat à ripa in ripā, qui lubricissimus erat vt glacies: strictusque valde, vt in eo vix posset quis figere gressum: atque in tantam altitudinem protēdebatur, vt horribile esset oculos ad eum erigere, quem miles Christo inuocato cum firma fide cœpit incedere, & quò altius processit, eò pontem reperit latiorē: quem cum dæmones vidissent pontem liberè pertrāsire, tantis clamoribus aërem concusserunt, vt horror illius clamoris intolerabilior videretur militi, cunctis quas antè sustinuit pœnis. Sicque pertransito ponte ostensa sunt ei gaudia beatorum, quibus visis purgatus à vitis, ad homines huius seculi est reuersus.

ARTICVLVS XLIX.

Ier. 30. **C**astigo te in iudicio, vt non tibi videaris innoxius. Non autem te faciam in consummationem. Consonant prænaratis, quæ leguntur de Tondalo milite qui à feria quarta vsque ad sabbatum iacuit quasi mortuus, nullo vitæ signo apparente in eo, nisi quod modicus calor in sinistro eius pectore à curiose tangentibus sentiebatur. Infra quod tempus ductus ab angelo, vidit & sensit magna, & acerba, ineffabiliæque tormenta. Venit ergo cum angelo ad vallem terribilem, tenebrosam, mortis caligine coopertam, ardentibus carbonibus plenam, habentem operculum ferreum, totum ignitum, spissitudinis quasi sex cubitorum, cuius fœtor ineffabiliter affligebat. Descendebat autem super laminam illam multitudo miserimarum animarum, & illic cremabantur, donec instar cremij in sartagine cremati, omnino liquecerent, atque (quod grauius est) ita per laminam illam colabantur, sicut colatur cera per pannum, sicque in carbonibus ardentis incendiij

Iob. 10.

renouabantur ad pœnas. Post hæc venerunt ad montem miræ magnitudinis, vis, magni horroris, & vastæ solitudinis, ex cuius vna parte fuit ignis putridus, sulphureus, tenebrosus: ex altera parte nix, grâdo, & glacies, & cum grande ventus horribilis, affligebanturque animæ in his pœnis, & de igne sulphureo proiciebantur ad frigora illa: & vice versa, de frigoribus ad flâmas sulphureas. Dæmones quoque tortores habebant furcas ferreas, & ignitas acutissimæque tridentes, quibus animas iugulabât & agitabât in pœnis. Deinde venerunt ad vallē terribilem, profundissimam, caliginosam, de qua fœtor inæstimabilis eripebat, & flumē sulphureū erat in ea: multitudo quoque infeliciū animarū patentiū ibi indicibiles pœnas. Inde venerunt ad terribilem bestiam, quæ Achæron appellatur, de cuius ore inextinguibilis ignis diffundebatur, & incomparabilis fœtor, atque de ventre bestię audiebatur planctus, & ululatus virorum, ac mulierum, intus dira tormenta luētium. Dixitque angelus Tondalo: De hac bestia ait scriptura: Absorbet fluiuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod

Iob. 40.

R iij

inflat Iordanis in os eius. Cùmque angelus & anima starent ante os bestiae, angelus repente disparuit, & mox daemones tanquam rapidissimi canes, desolatam & flagellatam animam traxerunt in bestiae ventrem. Qualia autem & quanta tormenta passa sit ibi, etiam si ipsa nunc taceat, in colore vultus eius & morum conuersatione monstratur. Passa namque & ibi morsus & ferocitates canum, vrsorum, leonum, serpentium, & innumerabilium aliorum incognitorum animalium monstrorum, daemonum ictus, asperitatem frigoris, foetorem sulphuris ac alia multa. Postmodum venerunt ad terribile stagnum super quod erat pons structus. Dixitque angelus, per pontem istum te ire oportet: nec vacua ibis, sed vaccam indomitam tecum duces, quam compatri tuo furata es. Tunc anima plorans, ait, Nunc ego miserrima, quomodo potero traducere vaccam in tali periculo, ubi stare non valeo? Vidēs autem quod euitare non posset, accepit vaccam, & nitebatur eam ad pontem pertrahere: Vacca verò reluctabatur. Et cum staret anima, cadebat vacca, & cum staret vacca, cadebat anima. Sicque versa vice modò stabant, modò cadebant, donec ad

medium pontem venerunt. Vbi obuiauit eis quidam manipulos portans, quos fuit furatus, qui rogauit animam ne pontem preoccuparet: econtra ista rogauit, ne inter quod tam laboriosè pro parte cõpleuit, sibi prohiberet. Cùmque diu sic staret plangentes, viderunt se (nescientes qualiter) mutuo pertrāsisse. Cùm autem pontem trāsisset, apparuit ei angelus eam confortans, & duxit eam ad alia horribilia loca, & tormenta grauissima omnibus pœnis præscriptis ineffabiliter acerbiora, prout in libello, qui visio Tondali nuncupatur, describitur, de quo ad virandam prolixitatem, sufficiat hæc pauca tetigisse.

*De eadem materia, & libello de vita
Christina Mirabilis.*

ARTICVLVS. L.

Mirabilis deus in sanctis suis. Vita *Psal. 67.*
Admirabilis virginis Christinae, quæ per excellentiam Mirabilis appellatur descripsit vir literatus, religiosus ac nobilis de ordine fratrum prædicatorum, qui etiam edidit librum, qui communiter liber apum vocatur. Itaque vir-

ille in exordio historię suę, de Christi-
na mirabili introducit testimonium. do-
mini Iacobi Aconensis episcopi, postea
cardinalis, quid de Christina hac scripsit,
quę & iste vir plenius de ea conscripsit.
Christina autē fuit nata in oppido san-
cti Trudonis, vel (vt aliqui dicūt) in pa-
go nomine Bruften, sito iuxta oppidum
memoratum. Recordor quoq; quod dum
in pueritia frequentavi scholam in oppi-
do illo, frequenter audiui mētionem ad
mirabilis illius Christiņę atque (vt dice-
batur) aliqui tūc vixerunt in sancto Tru-
done, qui nouerūt nonnullos, qui ipsam
fœminam gloriosam viderunt in carne.
Itaque cum in pueritia fuisset defuncta,
& celebraretur missa pro ea, repēte de se
retro se erexit, & trabem ecclesię cele-
riter instar auis ascendit, residens ibi,
vsque ad finem missę: fugeruntque om-
nes de ecclesia, ipsa sic ascendente, dem-
pta eius seniore sorore, finito missę of-
ficio, ex adiuratione sacerdotis descendit
de trabe, & ab amicis interrogata quid ei
accidisset, respondit. Mox vt sui defuncta
duxerūt animam meam angeli sancti, ad
locum tenebrosū ac horrendum, ani-
mabus hominum plenum, tormēta quę

ibi vidi, erant tam crudelia & acerba, vt
nulla lingua possit exprimere. Et æstimā-
te me quod esset infernū, angeli sancti di-
xerunt purgatorii esse. Deinde ad intue-
dum tormenta inferni me perduxerunt.
Vidi autē in vtroque loco multos mihi
antea notos. Post hæc ducta sum in para-
disum ad thronum maiestatis diuinę. Cū
quę vidissem dominum mihi congratu-
lantem, ineffabiliter sum gauisa, putans
me ibi perpetuò permansuram. Dixitque
dominus, Reuera hęc mecum eris charis-
sima filia mea. Veruntamen optionē do-
tibi, an velis nunc mecum manere, an re-
uertī ad corpus, atq; in eo per opera pœ-
nitentię satisfacere pro omnibus anima-
bus quas in purgatorio cōspexisti, & eos
qui adhuc viuunt in corpore, ædificare,
sicquę cum meritorum augmentis redi-
re ad me. Ad quod statim respondi, me
pro hac causā velle ad corpus reuerti.
Moxque dominus electioni meę congra-
tulans, iussit me corpori reddi. Nunc er-
go nō perturbemini ex mirabilibus, quę
estis visuri in me. Ex eo tempore cocpit
præsentiā hominum fugere, præsentiā
quia fœtore vitiorum hominum nimis
affligebatur. Et ascendit, volauit, ac sedit,

frequenter super summos arborū ramos, & super altitudines ecclesiarum, ac turrium. Cūque propinqui eius putarent eam esse obfessam, & eam cœpissent, & cibum ei negassent, ipsa quadam vice dominum exorauit pro refectioe, & confestim ex virginis eius vberibus lac manauit, quo refecit seipsam. Deinde cœpit se in ardentis fornaces proiicere, in quibus præ doloris vehementia horribiliter exclamauit, nec tamen in ea egrediente læsio apparebat. Frequenter proiecit se in ignem, vel manum, aut pedem tam diu in igne tenebat, quod secundum cursum naturæ potuissent in cinerem redigi. Sæpe intrauit cacabos grandes bulienti aqua repletos, vsque ad renes, aut vbera, & cæteris membris aquam calidissimā superfudit, in quibus pœnis clamauit velut parturiens. Sub aquis congelatis interdum mansit per sex dies continuos. Nonnunquam stetit sub rota molendini, ita quod aqua cadebat super caput & corp⁹ ipsius, etiam tempore hyemali, atque aliquando cadebat super rotam molendini circumeuntem, nec tamen apparebat læsura in corpore eius, quanuis instar aliorum grauissimè affligeretur. In rotis reorum fre-

quenter reflectebat crura, & brachia, nec tamen dum descendebat apparuit in ea fractura. Inter latrones suspensos laqueo se suspendit, & pendebat suspensa duobus aut tribus diebus. Multoties intrauit mortuorum sepulchra, & ibi defleuit hominum vitia. Mediis noctibus sæpe surgens prouocauit canes totius oppidi sancti Trudonis ad latrandum & insequendum eam, ante quos currebat per spinas, vepres & tribulos, ita quod toto corpore vulnerabatur: & tamen cū sanguinem diluisset, nullum læsionis vestigium in ea apparuit. Sicque per seipsam frequenter se lacerauit spinis ac vepribus. Multoties dum oratio & contemplatio accedere amore diuino, totum corpus & omnia membra eius instar ceræ liquebant, & in vnum glōbū, seu sphericum corpus conuertebantur, & contemplatione finita, ad pristinam formam redibant. Ex his innotescit acerbitas tormetorum purgatorij, pro quorum relaxatione sancta hæc virgo, & verè innocens, Mirabilisq; Christina, elegit in vita hac sustinere tam inaudita in hoc mundo supplicia.

De eadem materia ex revelationibus
sanctæ Brigittæ.

ARTICVLVS LI.

Iob. 24.

DEus inultum abire peccatū non patitur. Spiritualia deus manifestat hominibus per corporalia quædam. Itaque sancta Brigitta quarto libro revelationum suarū ait, Videbatur mihi quod quasi vinculum esset ligatum in capite animæ cuiusdam peccatoris defuncti per modum coronæ, & stringebatur tam fortiter quod occiput & frons animæ pariter iungebantur, oculi verò deciderunt à sedibus suis, dependentes per radices suas ad genas: crines quoque quasi ab igne combusti, aruerunt: cerebrum autem rumpebatur defluens per nares & aures: lingua etiam extendebatur, dentes comprimebantur, ossa in brachiis confringebantur, & tanquam funes contorquebantur, manus verò decoriatæ ad collū aligabantur, pectus item & venter tam fortiter dorso coniungebantur, quod costis contractis, cor cum omnibus exterioribus euersum mox crebuit: sed & femora pendebant ad latera: ossa autem contracta extrahantur eodem modo quo tenuè solet filum

in globum conuolui. Insuper alterius animæ pœnam describens: aures (inquit) ipsius erant, quasi sufflatoria fulorum, quæ totum cerebrum cum cōtinuo flatu commouebant: Oculi autem euersi apparebāt atque immerfi, & videbantur ad occiput intus esse affixi. Os erat apertum, & lingua extracta, per aperturas narium, & pendebat ad labia. Dentes erant quasi ferrei clauis palato affixi: brachia fuerūt tam longa, quod pertingebant vsq; ad pedes. Manus albæ videbantur cōprimere quamdam pinguedinem cum pice ardēte. Ecce per miserabiles atq; horribiles istas apparitiones in imaginaria visione monstratas designabantur inæstimabilia animarū illarum supplicia, quæ tamen damnatæ non erant. Alia multa horrenda leguntur in revelationibus Brigittæ sanctæ, qualiter animæ in inferno adiudicatæ maledixerunt creatori suo, parētibus ac cæteris, quorum obsequio ad adultam peruenerunt ætatem. Postremò pensandum quod sicut corpora electorum hominum post diē iudicij erunt pulcherrima, impassibilia subtilia, & agilia: sic corpora iniquorum erunt turpissima, & passibilia, grossa & tarda, ponderosa, fœda ac fœtida.

*Quòd malis Christiani multò acerbius tor-
queantur in inferno,quam infideles.*

ARTICVLVS. LII.

TEmpus est vt incipiat iudicium à do-
mo dei. Legitur quarto libro Vitaſ-
patrù, quòd dum ſanctus pater Ma-
charius ambularet in eremo, inuenit ca-
put hominis iacens in terra, Et dixit ad
caput: Quis es tu? Reſpòditq; caput, Ego
fui ſacerdos gentilium, tu verò es abbas
Macharius dei amicus, qui habes ſpiritum
ſanctum: & quantum diſtat cælum à ter-
ra, tantum eſt ignis ſub pedibus noſtris,
& ſuper caput noſtrum. Stantibus autem
nobis in medio ignis, vnus non conſpi-
cit alium. Et ait ſenex cum fletibus, Væ
homini qui tranſgreſſus eſt præcepta dei.
Et dixit ad caput, Eſt in inferno aliud gra-
uius tormentum? Reſpondit caput: Maius
tormentum ſubtus non eſt. Et ait ſenex:
Qui ſunt in eo? Dixit caput ad eum: Nos
gẽtiles qui ignorauimus deum, habemus
modicæ aliquid miſericordiæ: Hi verò
qui cognouerunt deum, & non vixerunt
ſecundum voluntatẽ ipſius, ſubtus nos
ſunt, & grauius puniuntur. Quibus dictis,
ſepeliuit ſenex caput illud. Itaque quan-
tò

Titum. 1.

tò Chriſtiani magis agnoſcunt dei præ-
cepta, eò grauius peccant, & acerbiorẽ
damnationem recipiunt. Iterum, quò plu-
ra ac maiora, à deo beneficia ſunt ſortiti,
eò damnabilior eſt eorũ ingratitude atq;
tranſgreſſio. Cui enim plus datum eſt,
plus requiretur ab eo. Præſidẽtium quo-
que male viuentiũ, & eorũ qui alios ſcan-
dalizant, grauiſſima erit damnatio, imò
& tot æternis damnationibus digni ſunt,
quot homines ſcandalizant. Hinc (ſicut
in libro de obitu ſancti Hieronymi reci-
tatur) vnus trium defunctorum, meritis
ſancti Hieronymi à morte reſucitatorũ,
poſt ſuam reſucitationem dixit beato
Cyrillo epiſcopo: Tantum diſfert in in-
ferno inter cruciamẽta iniquorum Chri-
ſtianorum, & Paganorum tormẽta, vt Pa-
ganorum tormenta, reſpectu eorum quæ
faſi & impij ſuſtinent Chriſtiani, ſint
quaſi nulla, quanquam omnino ineffabi-
lia & magna ſint, & à viuentibus incogi-
tabilia. Et dignum eſt, quoniã prauo Chri-
ſtiani gratiam dei receperunt in vacuum,
nec voluerunt à peccatis corrigi dum vi-
xerunt, & exhortationes ſcripturæ repu-
tauerunt pro nihilo.

*Luc. 21.
Prelato-
rũ pena.*

De acerbitate poenarum purgatorii & inferni, ex his quæ leguntur in libro de obitu sancti Hieronymi.

ARTICVLVS LIIL.

Luc. 16.

SI Moſen & prophetas nō audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent ei. Iſta ſunt verba quæ (vt filius dei teſtatur) Abraham patriarcha dixit de ūiti epuloni damnato. Deniq; , quàm vera ſint verba hæc, docet experiētia. Videmus nanque quōd Chriſtiani vitioſe uiuentes, nec ſcripturis acquieſcentes, non acquieſcunt, nec efficaciter credūt verbis, ac teſtimoniis, & doctrinis eorum, qui reſurrexerunt à mortuis quemadmodū etiā

Matt. 27.

Annas & Cayphas, ac obſtinati eorum conſortes, non crediderunt, his qui reſurrexerunt cum Chriſto, & vnerunt in ſanctam ciuitatem & apparuerūt multis. Itaque ſanctus Cyrillus epiſcopus in epiſtola quam miſit Beato Auguſtino, de miraculis glorioſi Hieronymi refert, qualiter meritis electi Hieronymi fuerunt à morte reſuſcitati tres viri, qui mox vt reſuſcitati ſunt, ceperūt beatarū gaudia animarum, poenāſq; peccatorum tam purgato-

ri quàm inferni clara voce omnib; prædicare. Sanctus enim Hieronymus duxerat eos ſecum in paradifum, purgatorium & infernum, vt quæ ibi fiebant patefacerent vniuerſis. Narrat ergo Cyrillus antiſtes in præfata epiſtola. Quadam vice ad vnum trium illorum iui quem dire lachrymantem inueniens, interrogauit, cur tantū lugeret. Qui ex verbis meis nullam cōſolationem admittens, & ſæpe interrogatus tandem hæc importunitate victus, reſpōdit: Si ſcires quæ pridem expertus ſum, iugiter fieres. Quales enim poenas credis eſſe paratas nō ſolūm damnatis, ſed etiam in purgatorio exiſtentibus? Ad quōd ego: Puto quōd maiores ſint poenis præſentis vitæ. Et ille: Si omnes (inquit) quæ in mundo ſunt poenæ, tormenta & afflictiones comparentur minori poenæ quæ illic habetur, velut ſolertia apparebunt. Mallet nanque viuentiū quilibet, ſi illas per experientiam noſceret, omnibus poenis his ſimul ſine remedio cruciari vſque ad finem mundi, quas omnes homines ab Adam vſq; in præſens ſigillo imperpeſſi ſunt, quā vno die in inferno aut purgatorio affligi minori poena quæ ibi habetur. Idcirco cauſa fiet mei eſt

timor pœnarum quæ peccatoribus iustè debêtur. Scio quippe me peccasse in deû quem iustum esse non dubito. Non ergo mireris si ploro, sed potius admirare, cur homines qui se esse mortales agnoscunt, tanta hîc viuunt securitate, neque verentur pœnas illas incidere, neq; solliciti sunt qualiter eas possint euadere. Insuper, tanta pœna est dæmones intueri, quod vnus quisque mortalium potius se præberet ardentibus flammis arsurum, quàm in ictu oculi formas illorû vellet inspicere, quorum formis nihil pœnosius, nihil horribilius potest excogitari. Anima quoque mea tam pœnaliter & acerbè separabatur per mortem à corpore suo, quod certè quantæ fuerunt illæ pressuræ atque angustia, intellectu nõ caperet mens humana, nisi, vt ego, per experientiã didicisset. Ecce, ex his ostenditur veritas prædictorum. Si ergo nec summi boni amore, neq; desiderio felicitatis æternæ volumus vitia declinare & vitam agredi virtuosam: saltem pœnarum istarum formidine studeamus corrigere vitam, fugere voluptatem, vana odire, omnipotentiq; domino cum

Hebr. 11. metu & reuerentia deseruire.

Qualiter intelligenda sint ea quæ tacta sunt, ex visionibus prænarratis de suppliciis animarum in purgatorio & inferno.

ARTICVLVS LIIII.

CORPUS quod corrumpitur aggrauat animam & deprimit terrena in habitatio sensum multa cogitantem. Eã quæ dicta sunt ex visione Tondali, & monachi Anglicani, ac aliorum quorundam posset quis prudentiû seculi huius fortia irridere magis quàm credere, quod scilicet affirmabant se vidisse animas defunctorum torreri in igne, affari in veribus, excoriari, membratim conscindi, decapitari, frigoribus affici, foetoribus cruciari, bufonibus draconibûsque torqueri & operiri, ac consimilia corporalia tormenta pati: cum tamen animæ separatae sint incorporales substantiæ & spiritus simplices, carnem, ossa & pellem in natura propria non habentes. Est igitur aduertendum, quod deus omnipotens verè, realiter ac pœnalissimè affligit animas defunctorum ac demones igne corporeo: sed qualiter hoc fieri queat, doctores diuersi super quantum Sententiarum diuersimodè assignant, quemadmodum in-

opusculo de particulari iudicio, quod fit in obitu singulorum, diffusè narrauit: ubi & declarauit qualiter intelligendæ sint visiones Tondali & monachi Anglicani, & ea quæ de purgatorio leguntur sancti Patritij, longumque valde esset iam illa hic iterare. Breuiter verò tangendo, simpliciter est tenendum, quod animæ & dæmones verè atque diuisimè affliguntur ab igne. Modus verò quo id fit, à nobis in vita hac comprehendere non valet: sed ex his quæ naturaliter sunt ac supernaturaliter, declarari aliquantulum potest. Constat enim, quod anima rationalis, quauis sit incorporalis intellectualisque forma, naturaliter tamen corpori grosso vnitur, & viuificat illud, ita quod corporeæ passionis redundat in animam, & eam verè affligunt, etiam quoad vires eius superiores, quauis huiusmodi passionis magis propriè ascribantur supposito. Sic supernaturaliter per omnipotentiam creatoris animæ defunctorum ac dæmones ita possunt vniri igni & aliis rebus corporeis, sicut punibile coniungitur punienti, sicque ineffabiliter dire torquentur à rebus illis, non in quantum res illæ sunt naturalia agentia, sed sunt vt diuina iusti-

tiæ instrumenta. Et quauis incorporales essentia non calefiant neque frigescant eo modo, quo entia materialia in hæc mundo nihilominus verè & ineffabiliter, imò & incomprehensibiliter affliguntur calore & frigore, & aliis rebus corporeis: quæ admodum enim certissimè constat, experientia frequenter edocuit, quod animæ adhuc existentes in suis corporibus, acerrimè sunt afflictæ ex intuitu, imaginatione & impressione corporalium rerum, vt ignis & frigoris, horribiliumque brutorum, aut similitudinum rerum illarum, & hoc in summo vel raptu, seu abstractione, & alienatione ab omni sensu & motu corporeo, quod & quibusdam in vigilia contingit, id est, non in somno, sed in abstractione quæ in vigilia cœpit, prout exemplis antè recitatis, est manifestum. Et si hoc naturaliter fieri potest, & interdum supernaturaliter factum est, certissimè innotescit quod per omnipotentiam dei possunt animæ defunctorum ac dæmones à corporalibus rebus affligi, & igne frigoribusque torqueri: & tanto intentius, quanto subtilius ac spiritualius, quemadmodum etiam virtute diuina sacramenta ecclesiæ agunt in animam.

Prætere de Tondalo probabilius reputatur, quòd in tota eius visione anima eius manfit in corpore, atque in imaginaria visione vidit & fenfit ea quæ de ipfo narrantur. Vnde in libello de ipfius visione legitur quòd modicus calor fenfiebatur à palpatibus in pectore eius, tamen propter vehementera abstractionem & alienationem animæ fuæ à corpore fibi ipfi apparuit quòd anima fua fuit à corpore realiter feparata: nec hoc in credibile eft de Tondalo, cum & fanctus Paulus de fuo loquens raptu, Siue in corpore (inquit) fiue extra corpus nefcio, deus feit. Porro de monacho Anglicano euidenter probatur, quòd tota eius vifio fuit imaginaria, & anima eius in corpore remanente: quia in eius corpore euidentia vitæ fuæ figna apparuerunt. His ergo & confimilibus mōftrata funt animarum in purgatorio aut in inferno detentarum fupplicia, fub imaginib⁹ & fimilitudinibus corporalium rerum, fecundum quod vitilius capere poterant, & reuerfa ad corpus, id eft, ad priftinū vifum fenfum. falubrius recitare viuentibus, quibus fpiritualia per corporalia declarari oportet. Idem quoque videtur dicendum de his,

qui ī libello de purgatorio fancti Patritij leguntur corporalibus oculis confpexiffe animarum tormenta. Qualiter autem defendi poffet, quòd anima Tondali fuerit feparata à corpore in visione ipfius, in præfato fcripti libello: fed verius reor quòd fuit in corpore. Vnde & Auguftinus in lib. de cognitione veræ vitæ, refpondit difcipulo interroganti, Nōne legitur quòd fæpe multæ animæ de corpore ductæ viderint multa loca pœnalia, amœna quoque ac florida loca, & multas animas in vtrifque: atque ad corpus reuerfa retulerunt fe multa audiffe ab illis? Ad hoc, inquam, beatus doctor ecclefie Augufti. refpondet: Sciendum quòd animæ hæ non penitus corpus reliquerant, fed fenfus tantùm corporeos fuis deftituerunt officiis. Corpus autem non ex toto vitali caruit fpiritu. Hinc ea quæ audierant, non res corporeæ, fed fimilitudines corporearum rerū erant, quas reuerfa viuentibus in corpore retulerunt. In fuper duodecimo fuper Genefim loquitur Auguftin. Non video cur habeat anima fimilitudinem corporis fui, dum iacēte corpore fine fenfu, non tamen penitus mortuo, vidit talia, qualia multi ex illa

subductione, seu alienatione viuis redditi narrauerunt: & non habeat similitudinem illam dum perfecta morte penitus de corpore suo exierit. Huiusmodi autem similitudines dicitur anima separata habere, secundum quod inspicit eas. Hæc pauca hinc breuiter tetigisse sufficiat, de quibus in præfato tractatu de particulari iudicio, plenius est conscriptum.

DE QVARTO NOVIS simorum, scilicet de gau- diis cælorum.

ARTICVLVS. LV.

1. Pet. 1.



Iesum Christum cum non videritis, diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis: videntes autem exultabitis letitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestrae salutem animarum vestrarum. Hæc sunt verba beatissimi principis apostolorum sanctissimi Petri in 1. sua epistola. In quibus verbis collaudat fideles primo de hoc quod Iesum Christum, quem corporaliter non viderunt, diligant

secundum quod credunt in eum quem non viderunt clare per speciem: deinde tunc huius dilectionis ac fidei fructum, quod scilicet videntes Iesum Christum clare in semetipso, gaudebunt inenarrabili & felici iucunditate, recipientes finem, fructum ac premium fidei suae ac charitatis, videntem salutem animarum suarum. Quae salus est clara, immediata ac facialis visio Christi secundum suam deitatem: imò totius gloriosissimae trinitatis, cuius est una deitas, una essentia, & indiuisa potestas. Hinc apud Ioannem Christus ait: Qui diligit me, diligitur a patre meo. Et ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. In quibus verbis filius Dei promittit suo dilectori pro premio suae dilectionis manifestationem (hoc est claram visionem) sui ipsius. Quicumque autem videt unam diuinam & increatam personam, videt totam superdignissimam trinitatem, nec potest una persona diuina videri clare per speciem, nisi & aliae duae personae per speciem videantur. Idcirco cum Philippus apostolus in cena nouissima dixisset ad Christum: Domine ostende nobis patrem, respondit Saluator: Philippe, qui videt me, videt & patrem. Hinc & Deus pater visionem vni-

Ioan. 14.

Ibidem.

- Psal.* 90. Geniti filij sui promittit pro præmio homini iusto: Eripiam (inquiens) eum, & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutarem meum: de quo salutari locutus est Simeon iustus patri æterno: Viderunt oculi mei salutarem tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum. Hæc beatifica visio est vera & plena, perfecta & vltimata, æterna & summa salus omnium intellectuum ac rationalium creaturarum, id est, angelorum & hominum, qua visione adeptæ contentabitur, & quiescet desiderium nostrum: sicut tangit Propheta, dicendo, Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Itémque, Satiabor cum apparuerit gloria tua. Hanc creatoris altissimi, veri ac viui dei facialem cognitionem electi & sancti viri summè atque finaliter desiderauerunt, beatitudinem suam & desideriorum suorum finem ac adimpletionem constituentes in ea. Vnde Moyses legitur dominum exorasse, Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam vt sciam te. Psalmista quoque: Domine (inquit) Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam & salui erimus. Atque apostolus Paulus: Cupio, inquit, dis-

solui, & esse cum Christo. Cum iam itaque determinatum sit & tractatum de tribus nouissimis, incumbit nunc scribere de quarto nouissimo, quod est clara & beatifica visio & fructiua cognitio super beatissimæ trinitatis, simplicissimæ deitatis: quatenus ex noticia, laude & extollentia tam præclarissimæ ac saluberrimæ visionis dei omnipotentis, inflammemur desiderio eius, atque ex desiderio & amore tantæ felicitatis vitemus ac fugiamus indefinèter cum diligentia maxima quicquid impedire nos potest à tam nobilissimæ ac diuinissimæ visionis adeptione, id est, omnem iniquitatem & culpam, quæ sola auertit & impedit, elongat, & reicit nos à deo. Ideo dixit Esaias propheta, Iste est omnis fructus, vt auferatur peccatum. Et denuo, Ecce non est abbreviata manus domini vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius vt non exaudiat: sed iniquitates vestræ deuiferunt inter deum vestrum & vos, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis. Denique sicut diligens consideratio mortis ac diuini iudicij suo timore retrahit hominem à peccatis, & ad poenitendum ac iuste viuendum inducit, vt iam antè est de

Philip. 1.*Esai.* 27

59.

claratum: sic vigilans ac intenta consideratio futurę beatitudinis suo desiderio & amore à peccatis nos abstrahit, & allicit ad virtutes, ad spiritalem profectum, ad puritatem internam.

Quod pius omnipotensque creator ad eandem beatitudinem creauit genus humanum, ad quam in exordio mundi creauit angelorum vniuersitatem ac sublimitatem.

ARTICVLVS LVI.

Mat. 22.
Luc. 20. **I**N resurrectione non nubet neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei. Hęc verba locutus est dominus noster Iesus Christus ad Sadducęos, in quibus verbis tangit, quod post diem iudicij & resurrectionem communem homines electi ac iusti erunt similes angelis sanctis: quo constat, quod sicut Deus condidit angelos ad fruendum eternally sua deitate æterna ac bonitate immensa: sic ad hoc ipsum instituit genus humanum. Hinc in regno cælorum ex angelis & electis hominibus constituitur vna perfecta ac integra triumphans ecclesia. Quem admodum etiam ex singulis choris angelorum aliqui corruerunt, ita ad singulos

*Ecclesia
trium-
phans.*

choros & ordines angelorum aliqui electi homines perducuntur, ex quibus ruina cœlestis instauratur, prout S. Grego. in homilia de angelis docet. Nęc est putandum, vt aliqui simplices erronee putant, quod homines non fuissent creati, si angeli nõ peccassent. Alioquin ordo vniuersi nõ fuisset completus. Nec creati est genus humanum solummodo ad reparandum angelorum ruinam, sed etiam ob alias causas, videlicet ad complendum ordinem vniuersi: & quia creator gloriosus voluit cognosci, coli, laudari, ac diligi non solum à creaturis intellectualibus, à materia separatis, sed item à creaturis intellectualibus materialibus, puram hominibus. De quibus per Salomonem locutus est: *De-*

*Homo.
quare cre.
atus.*

Prov. 20.

licie meę esse cum filiis hominum. Hinc dicit Gregorius: Angelorum naturam & hominum, ad cognoscendum se condidit Deus. Magister quoque Sententiarum lib. 2. plenius loquens: Rationalem (inquit) creaturam condidit deus, quatenus summum bonum intelligat, intelligendo amet, amando possideat, possidendo fruatur. Hoc est quod in Libro de Doctrina Christiana sanctus asserit Augustinus: Ad hoc facta est rationalis

creatura, vt creatorem suum collaudet ei deferuat, ac perfruatur eodem: propterea homines naturali inclinatione feclicitatem desiderant. Quum igitur tanta sit dignitas hominum, qui ad tam præstantissimum finem, ad angelicam feclicitatem, ad æternam sui gloriosissimi creatoris fruiuiam ac claram contemplationem sunt conditi, nõne ineffabiliter magna est ingratitude, vtilitas atque stultitia carnalium iniquorumque hominum qui à creatore suo se auertentes, & tantam beatitudinem non curantes, in rebus carnalibus, caducis, vanis, immundis ac vilibus feclicitatem suam cõstituent, hoc est, in voluptatibus carnis, in terrenis diuitiis, in honore, laude ac gloria, temporalibus, transitoriis & humanis? Quicumque enim peccat mortaliter, creaturam creatori præponit, & in re creata, caduca constituit sibi finem inhærendo tali rei magis quàm creatori, quod est maxima creatoris iniuria, & aspernatio beatitudinis eternalis, ad quã nos ipse plasmavit. Et tamẽ hoc faciunt omnes superbi luxuriosi & auari, & quicumque peccat mortaliter, aut in mortalibus iacent ac manent peccatis. De quibus verificatur quod ait

loci

Ioël propheta, Computruerunt iumenta *Ioelis. 1.* in stercore suo. Et Psal. Corrupti sunt & *Psal. 52.* abominabiles facti sunt in iniquitatibus. & 48. Itẽmque, Homo cum in honore esset nõ intellexit, comparatus est iumentis insipientibus. Quicumque enim propter aliquam rem creatam violat dei præceptum à creatore suo metem auertit, & amplius amat creaturã, id est seipsum, & voluptatẽ impuram, seu aliquid creatum, vt honorem mundanum vel aurum, quàm deum. Idcirco iniuriosus est deo ac stultus. Sicque omnes iniqui vocantur stulti in diuinis scripturis, & sunt innumerabiles stulti tales, quanuis à mundo reputentur prudentes, in quibus regnat vitium puerilitatis: quoniam sicut pueri infantuli plus amant poma & pira quàm aurum & prætiosiss. gemmas, sic homines tales plus amant, quærunt & seruant carnalia & terrena, quàm summum & inuariabile bonum, & præclariss. dona spiritus sancti. De quibus Salomon contestatur, Stultorum *Eccle. 1.* infinitus est numerus. Sed respisce o homo insipiens & ingratus, respisce à tanta insania. Ad creatorem tuum reuertere, dignitatem tibi desuper cõdonatam aduerte. Qui summæ ac adorandæ trinitatis ima

T

gine es ornatus, & omnipotentis similitudine insignitus, cur te brutis assimilas? imò cur peccando viliorum ac peiorem bestijs cunctis te efficis, qui pretioso sanguine & acerbissima passione ac morte vnigeniti filij dei redemptus es à damnatione æterna, à iugo peccati, à seruitute diaboli? Cur perdis teipsum perdicione perpetua? Cur pro voluptate spurcissima, pro fallaci honore, pro terrenis diuitijs ad infernum trahentibus vendis teipsum diabolo, & iugo peccati ac demonum seruituti te subdis, qui ad cælestem atque angelicam beatitudinem es creatus, ad dei altissimi fruitionem ac gloriã ordinatus? Cur in transitorijs & carnalibus tuam ponis felicitatem, & ea plus appetis, quæris ac colligis, quam bona spiritualia ac diuina, cælestia & æterna? Qui in baptismo consecratus es deo, & charismatibus spiritus sancti fulcitus, quare te tradis pessimo inimico, & tantis te inquinas vitijs? Cur ei acquiescis, consentis & seruis, qui nihil aliud quærit quam damnationem tuam æternam, & boni sapientissimi ac fidelissimi tui creatoris & saluatoris misericordiam, & gratiam recu-

ta sit ista pueritas, quam infinita fatuitas, quam damnabilis & enormis ingratitude. Redi ergo & pœnitentiam age, veram beatitudinem indefinenter desiderare & exquire. Noli in eorum numero computari, qui vitam nostrã putauerunt esse lusum, & conuersationem vitæ ad lucra esse impostam, & oportere vndecunque acquirere etiam ex iniquo.

Quòd beatitudo sanctorum in clara & immediata visione dei cõsistat, sit ineffabiliter gloriosa, incũda, deificatiua atq; dignissima.

ARTICVLVS LVII.

Charissimi, nunc filij dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. 1. Ioan. 3.
Scimus, quoniam cū apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eũ sicuti est. Videmus in omnibus, quòd ex vniõne potentie cum obiecto conuenienti, ac bene proportionato oriatur delectatio, & quanto obiectum fuerit, magis conueniens & amœnum, tanto maior iucunditas generatur in potentia ipsum apprehendente. Sic enim visus delectatur in pulchro, conuenienti, & amœno visibili, atque auditus in dulci sono, &

optima symphonia paraliq̄ue concertu: gustus in delicato cibo & potu, tactus quoque in suis obiectis, & odoratus in suauī odore. Ecce quā̄m vehementer aliqui delectantur in discantu, in eloquentia, in musicorum consonantia instrumentorum. Similiter quidam mirō modo lætantur res pulchras inspiciendo. Naturale etenim est delectari, pulchra cernendo, & quō̄d res exterior est formosior, tantō̄ est ad intuendum iucundior. Nonne delectabile esset videre iuuenem tam speciosum vt Absalon fuit, Adonis ac Paris?

2. Reg. 14

Tamen si tam pulchrum inspiceremus, & superueniret alter decies pulchrior, & oculos auerteremus à primo, & in istum decies pulchriorē visum defigeremus, multōque plus delectaremur in eius intuitu quā̄m in primi aspectu. Si verō̄ superueniret tertius cēties pulchrior primo & secundo, nonne priorum pulchritudinem intueri ac admirari protinus cessaremus, & tertium istum cum ingenti delectatione, ac admiratione aspiceremus? Conformerit si quartus intraret millies speciosior tertio, in hui⁹ quarti aspectu tota admiratione, & grandi delectatione suspenderentur oculi nostri exteriores & inte-

riores. Sicque ascendendo, quō̄d maior est pulchritudo rei visibilis, eō̄ ad intuendū̄ est amœnior. Cū̄m ergo deus excelsus sit penitus incomparabiliter pulchrior, & infinite sine omni mensura speciosior vniuersis & singulis creaturis simul acceptis, etiam si centies millies essent plures ac pulchriores quā̄m sunt, certum est quō̄d incōparabiliter, & prorsus ineffabiliter delectabile & iucundum sit deum verum & gloriosum in seipso clarē & inmediate conspicere, atque in sua puritate & claritate immensā visum mentis indefinenter defigere, præsertim cū̄m in ipso non solum si pulchritudo, tū̄ summa & infinita, sed etiam omnis perfectio sine mensura ac termino, hoc est, immensā dulcedo, sanctitas, sapientia, omnipotentia, pietas, charitas, beatitudo. Ecce si iam in mundo esset homo tam sapiens, sicut est angelus 2. Par. 1. sanctus, vel vt Salomō̄ fuit, quantum optaremus illum cōspicere & audire, quē̄ ad modum scriptum est, quō̄d omnes reges 3. Reg. 4. terræ desiderauerunt videre faciem Salomonis, vt audirent sapientiam eius? Similiter si esset in mundo vir tam fortis vt Samson aut Hercules, vel tam victoriosus, strenuus ac robustus in præliis vt 15. 16.

1ac. 3. Iudas fuit Macchabæus, multum cupere-
Act. 5. mus videre illum. Item si aliquis esset in
 terra tam sanctus, atque tantorum patra-
 tor miraculorum, vt fuit dignissimus Pe-
 trus princeps apostolorū, nōne ardentif-
 simè desideraremus hunc intueri: si ali-
 quis esset nunc inter homines viuens, in
 quo omnia ista simul consisterent, qui sci-
 licet tam sapiens esset vt Salomon, tā for-
 tis vt Samsō, tam victoriosus vt Macha-
 bæus, tam sanctus & in miraculis tam ex-
 cellens vt Petrus apostolus, nōne ad illū
 vidēdum totus concurreret mūdus: & ta-
 men hæc omnia essent in illo finite ac mē-
 suratē? Cur ergo non accendimus ad pro-
 merendum ac obtinendum faciem dei
 conspectum in quo omnia ista sunt cum
 excellētia omnifariē infinita? quem clarè
 & per speciem intueri, tanto est desidera-
 bilius atque iucundius, quanto ipse præ
 vniuersis ac singulis creaturis est purior,
 pulchrior, dignior, sapientior, potentior,
 melior, dulcior & in omni perfectione
 ac fœlicitate sublimior, qui facit mirabi-
 lia magna solus; & magna ac præcla-
 rissima opera, quorum non est numerus.
Psal. 71. Nōne mirum, mirabile, ac desendum
 335.146. est, quōd tanta est ignauia, excœcatio &

acedia nostra, quōd ad intueūdum hoc in-
 finitum ac superpulcherrimū bonum, ad
 fruendum tam superdulcissimo bono, ad
 existendū cum domino deo creatore, sal-
 uatore, ac patre nostro non amplius inflā-
 mamur, nec festinamus in cuius visione
 & fruitione tota nostra salus consistit, &
 dignificatio maxima. Quāuis enim simi-
 les sumus deo: per dona naturæ, quia per
 intellectum, voluntatem atque memoriā
 ad dei imaginem, ac similitudinem sumus
 creati: per dona quoque gratiæ ac virtu-
 tum ac per opera virtuosa imago, & simi-
 litudo dei excellentius in nobis resplen-
 deat: tamen per dona gloriæ, per bea-
 tificam visionem & increatæ bonitatis
 perfectam, & æternam fruitionem, tam
 excellenter & supernaturaliter, ac in-
 star angelorum deo assimilamur, vt san-
 ctus Iohannes Apostolus dicat, quōd si-
 miles deo erimus, quia videbimus eum
 sicuti est, hoc est, clarè, & per speciem in
 seipso: ad insinuēdū q̄ illa assimilatio ho-
 minis cum deo tātæ est excellētię vt assi-
 milatio per dona naturæ ac gratiæ, qua-
 si nullius reputationis sit respectu assi-
 milationis illius per gloriam. Vita nan-
 que, beatitudo, & gloria dei in seipso est

æterna atque clarissima cōtemplatio suæ incommutabilis veritatis, ardentissima quoque ac perfecta dilectio suæ circumscriptibilis bonitatis. Mutua etiam intuitio, dilectio, ac fruitio superbenedictæ adorandæq; trinitatis: qua quælibet diuina & increata persona, aliam æternaliter ac perfectissimè cōtemplatur, ac diligit, & qua se inuicem cum infinita cōplacentia, atque dulcedine perfruuntur. Idcirco dū homo ad beatificam deitatis visionem, ac plenam fruitionem pertingit, tunc vita eius est supernaturaliter ac ineffabiliter similis vitæ, ac fœlicitati & gloriæ dei. Tunc enim inauertibiliter ac splendidissimè stat intentus syncerissimæ cōtemplationi summæ veritatis, ardentissimæ quoque dilectioni diuinæ, & increatæ bonitatis, & iucundissimæ fruitioni infinitæ dulcedinis dei.

De multis & magnis atque innumerabilibus gaudiis beatorum.

ARTICVLVS LVIII.

Psal. 64. **R**eplebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. Beatitudo & gloria omnium

electorum in regno cælesti, principaliter in clara cōtemplatione deitatis consistit, sicut iam patuit: sed ex cōtemplatione illa prouenit sanctis multiplex *Multiplex gaudium beatorum.* gaudium, cuius primum & maximum gaudium est de ipsa deitate. Cū enim sancti in patria cælesti deum ardentissimè ac syncerissimè diligant, imò incomparabiliter plus atque ardentius quàm se ipsos, vniuersasque creaturas, certum est, quòd de infinita perfectione, beatitudine & excellètia dei maximè gloriètur, & omnipotenti creatori de omni sua maiestate, dignitate & gloria summè & ineffabiliter congratulentur: imò incomparabiliter plus lætatur de omni sublimitate, sapientia, opulentia, & fœlicitate ipsius, quàm de beatitudine propria. Denique non solum sic glorientur de attributis inuariabilis deitatis, & absolutis perfectionibus dei; videlicet de sapientia omnipotentia, pulchritudine, sanctitate, pietate, opulentia, iustitia, & dulcedine dei, sed etiam de superdignissima trinitate. *Contemplatio s. trinitatis.* Vident enim clarissimè quemadmodum pater æternus vngenerum filium suum cōprehensiuè, ac lympidissimè conspiciunt, & cum infinito charitatis ardore æter-

naliter diligit, non minus utique quam seipsum: & qualiter vnigenitus filius patrem suum æternum perfectè cognoscit, intuetur ac amat infinito amore, & cum iucunditate, ac complacentia prorsus immensa: qualiter etiam pater ac filius, taliter intuentur, ac diligunt spiritum sanctū, & spiritus sanctus patrem, ac filium: contemplantur enim qualiter filius generetur à patre, & quomodo spiritus sanctus procedat à patre ac filio. Ecce de hac superbeatissimæ trinitatis mutua intuitione, dilectione, complacentia, iucunditate, & fruitione, & de emanatione, & communicatione illa ad intra omnes sancti in cælis summè & suauissimè, & omhino ineffabiliter gagent. Insuper sicut ineffabiliter gloriantur de infinita pulchritudine dei, ita & ineffabiliter gloriantur de infinita sapientia dei: sic quoque gaudent infinita omnipotentia dei, atque de immensa opulencia eius, & eodem modo de cæteris perfectionibus, & proprietatibus eius, ut puta de pietate, iustitia, felicitate, bonitate, libertate, & beatitudine eius. Præterea, in contemplatione Dei, inenarrabiliter gaudent, secundum quod deus est ens eis summè, & incomparabi-

Contemplatio de dei pulchritudine & sapientia.

Deus vult.

liter conueniens. Est etenim deus in seipso ens serenissimum, tranquillissimū, delectabilissimum in infinitum, purè atque totaliter bonum, amabile, desiderabile, pulchrum, suauè, liberale, opulentum, iustum, ac pium, omnique creaturæ maxime necessarium ac vtile & honestū, quoniam sine conseruatione ipsius, non potest aliqua creatura ad momentum subsistere, atque ab ipso deo procedit, & pendet omnis salus, gratia ac perfectio cuiuslibet creaturæ: ideo deus gloriosus & sanctus, est ens omni menti creatæ benè dispositæ conuenientissimum ac delectabilissimum. Hinc mentes sanctorum *Beatorū delectatio* ex immediate clara, ac amorosa vnione cum deo, concipiunt inæstimabiliter magnam delectationem, tranquillitatem, complacentiam, contentationem, & pacem, quæ exuperat omnem sensum. *Amplius; præter hæc gaudia, gaudent de beatifica visione, & gloriosa fruitione dei, tanquam de propria beatitudine, & supernaturali, & maxima perfectione, ac dignitate desuper eis concessa. Reflectunt nanque considerationem super seiplos, sicque considerant vniuersa dona ipsius deo collata, cum* *Beatorū do sanctorum.*

Philip. 4.

gratiarum actione plenissima. Dúmque intuetur se esse tam beatos & gloriosos, tá sublimatos & inauertibiliter fonti totius felicitatis vnitos, indicibiliter gaudent de ipsa beatifica visione, atque fruitione quàm habent, & de omni gloria ipsi donata: quoniam vident se æternaliter securatos, tamquæ perfectè ditatos, quòd plenariè contentantur, & habent quicquid desiderant. Et quanuis animæ beatæ nondum habeant in re corpora glorificata, & quædam accidentalia præmia quæ affectant, hæc tamen habent in expectatione certissima. Insuper quamuis multitudo sanctorum angelorū electorūque hominum sit nobis in hac vita innumerabilis, incomprehensibilis, ac incerta, nihilominus quilibet sanctus in cælo cognoscit, & scit vniuersos ac singulos ciues cælestes: quoniam omnes ciues cælestes amant seinuicem valde ardèti amore, constat etiam quòd vnusquisque eorum gaudet de felicitate & gloria vniuscuiusque sui conciuis, sicut de beatitudine propria: & quò maior est gloria suorum conciuium, atque quò maior est mutuus amor, eò cordialius eis congaudent, ac vehementius congratulan-

*Cognitio
beatorum
mutua.*

tur. Idcirco ex hac parte vnusquisque sanctorum in cælo habet tot gaudia gloriosa, quot sunt angelici spiritus in nouem ordinibus angelorum, & quot sunt animæ sanctæ in regno cælorum. Ecce quanta est beatitudo, & gloria electorum, quàm innumerabilia gaudia habet, magna & dulcia, gloriosa & pura quorū quodlibet, imò & minimū maius est cunctis deliciis carnalibus & mundanis. O quæ verè & ineffabiliter beati sunt qui habitant in domo tua domine, in domo illa cælesti in qua melior est dies vna super milia. O quæ beatus, quæ elegisti, etiam quicquid interim patiat. O vos miseri amatores huius seculi nequam, & carnis immundæ, amatores insani voluptatis, magis quàm dei, resipiscite, pœnitentiam agite: & contemptis immundis deliciis, ad tantam beatitudinem aspirate: eius desiderio & amore vilescant vobis vana solatia, atque oblectamenta carnalia. Nolite tantam amittere gloriam, propter vilem & breuem lætitiã. Ecce mundus transit, & concupiscentia eius, gloria autem cælestis æternaliter perseuerat. Certè cùm bonitas, pulchritudo, & perfectio dei infinite excedat omnem bo-

*Gaudia
beatorum*

Psal. 83.

Psal. 64.

Matt. 3.

1. Ioan. 2.

nitatem, decorē, & perfectionem creatas iucūdatio quæ oritur ex immediata pceptione boni & pulchri tam infiniti infinite excedit omnem delectationem procedentem ex perceptione boni creati. Si ergo in corporum vnione tanta consistit voluptas, qualis est illa iucunditas, quæ immediata, pura & clara vnione cum deo consistit? Non tātum excedit vniuersum Oceanum vnā guttam in quantitate, quantum excedit iucunditas illa superna vniuersas delicias, quæ vnquam in mundo fuerunt, sunt & erunt.

De multis ex quibus perpeditur quàm innarrabiliter magna sit beatitudo, pulchritudo, ornatus & gloria sanctorum in celo.

ARTICVLVS LIX.

Psal. 35. **I** Nebriabuntur ab vbertate domus tuæ & torréte voluptatis tuæ potabis eos.
Felicitas sanctorū Ineffabilis magnitudo felicitatis sanctorū ex multis probatur, primò ex hoc probatur. q̄ nulla pura creatura, nec Cherubim, 1. nec Seraphim fuit digna & apta est hominibus recuperare ac promereri, sed cū primi parētes hanc beatitudinem perdidissent sibi ipsis ac posteris suis, ipsemet vnicus filius dei verus deus, factus est homo, vt in assumpta humanitate recupe-

Gene. 3.
Ioan. 1.

raret humano generi fœlicitatem & gloriam istam, quemadmodum in euangelio contestatur: Ego veni vt vitam habeant, id est, vt credentes per meum aduentum vitam gratiæ obtineant in præsentī, & abundantius habeant: hoc est, vitam gloriæ sortiantur in futuro. Hinc scriptū est in euangelio: Non misit deus filium suū vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum: non vtique vnigenitus filius dei æterno patri æqualis, pro parua re, aut pro modica causā venit in mundū per incarnationis mysterium, vt puta assumendo humanam naturam, imò beatitudo hæc electorū cū sit immediata & clara fruitio boni summi ac infiniti, est quodāmodo dignitatis immensæ. Ideo dicit sanctus Thomas, q̄ quanuis nulla pura creatura infinitæ sit dignitatis, tria tamen sunt in rebus creatis, quæ quodāmodo infinitæ dignitatis existunt. Primū est Christi humanitas, quia assumpta est ad personale & increatū esse verbi æterni, hoc est vnigeniti filij dei, de quo scriptū est: In principio erat verbū. Secundū est beatissima virgo Maria, quoniam facta est genitrix dei veri, quod est dignitas quædam quædammodo infinita.

Ioan. 10.

Ioan. 3.

Ioan. 1.

sanctorum, cum sit (vt dictum est) immeditata infiniti boni fruitio. Non ergo negligamus nec paruipendamus beatitudinem istam propter vanam prosperitatem aut vilem delectationem vitæ præsentis, imò pro ea adipiscenda omnis labor nobis dulcescat: omnis poenitentia placeat, omnis aduersitas cum gaudio toleretur, quia reuera (vt ait Apostol.) non sunt condignæ passionis huius temporis ad gloriam illam. Vnde & Leo papa differuit: Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. Et Augustinus: Tanta est (inquit) pulchritudo summæ iustitiæ, tanta est iucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis veritatis ac increatæ sapientiæ, tanta est felicitas cœlestis curiæ, vt etiam si non liceret in ea manere diutius quàm vno die, propter hoc solùm innumerabiles anni huius vitæ deliciis atque diuitiis pleni meritò spernerentur. Secundò perpendi potest incomparabilis plenitudo ac dignitas beatitudinis electorum ex hoc, quòd vnigenitus filius Dei eam tam pretiosè ac laboriosè emit & recuperavit hominibus. Ipse etenim vnicus & omnipotens filius Dei, vniuer-

forum

forum creator, qui solo imperio cū gaudio creauit cœlum & terram, non sic reformauit nec sic liberauit genus humanum, sed preciosissimo sanguine suo illud redemit, & laboriosissima passione, ac ignominiosissima morte recuperavit atque pmeruit ei felicitatè cœlestè, factus obediens patri vsque ad mortem. Vnde locutus est: Animam meam pono pro ouibus meis. De quo Isaias dixit: Inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum. Is enim de quo Psal. prædixit, Speciosus forma præ filiis hominum, propter nos factus est ob proprium hominum & despectio plebis. Atque vt recuperaret nobis pulchritudine paradisi cœlestis, lucè gloriæ & claritatem beatificæ fruitionis, dignatus est turpissimam & acerbissimam mortem subire, & velut leprosus ac vilissimus hominum apparere ac reputari: quem admodum rursum Isaias fatetur: Vidimus eum non habentem speciem neque decorè. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autè vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus

Philip. 2.

Ioan. 10.

Isaiæ. 3.

Psal. 44.

Psal. 21.

Sapient. 2.

Isaiæ. 53.

est propter scelera nostra. Hinc gloriosus princeps apostolorum disseruit: Non corruptilibus auro vel argento redempti estis, sed precioso sanguine agni immaculati, de quo in Apocalypsi ait Ioan. Apostolus: Christus dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Deo nostro regnum & sacerdotes. Nequaquam putandum est quòd sapientissimus ille mercator pro parua re tantum exposuerit precium, imò non nisi pro incòparabili gloria suis electis recuperanda, tanta fecit ac pertulit: Idcirco nos tanto precio empti, nò vendamus nos ipsos diabolo pro vili nummo peccati, sed redemptori altissimo subditi simus ac grati. Tertio perpenditur excellentia beatitudinis sempiternæ ex hoc quòd electi & iusti eam tam preciosè emerunt, & tot & tanta pro ea obtinenda fecerunt ac pertulerunt. Pro hac nàque felicitàte martyres sancti innumerabilia atque durissima tormentorum genera sponte perpessi sunt, & cuncta quæ mundi sunt contempserunt, sicut ait Apostolus: Sancti ludibria & verbera experti sunt, insuper vincula & carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tetrati sunt, in occisione gladij

I. Petr. I.

Apo. I.

I. I.

Eheb. II.

mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egètes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & in speluncis & in cauernis terræ. Pro hac felicitàte multi nobilissimi pulcherrimique iuuenes ac puellæ, omnem mundi prosperitatem & vanam delectationem spernentes, sacras introierunt religiones, & in claustris arduissimam vitam duxerunt, imò innumerabiles electi intrauerunt deserta, & solitariam vitam ducentes, angelicam vitam gesserunt in terris, corpora sua arctissimè castigantes, modico pane & aqua contèti. Nò ergo pigeat nos pro tãta beatitudine paululū laborare, carnè nostrā cū vitiiis & concupiscentiis crucifigere, tentationibus quoq; viriliter reluctari, quia (vt sanctus fatetur Apostolus) nò coronatur, nisi qui legitime certauerit. Hinc Leo papa locutus est: Non dormientibus prouenit regnū cælorum, nec otio desidiaque torpentibus beatitudo æternitatis pmittitur. Quarto perpenditur sublimitas gloriæ huius, ex multiplici testimonio amicorum dei, sanctorum prophetarū, atque Apostolorū, quibus hoc reuelauit spiritus sanctus.

Galat. 5.

I. Tim. 2.

I. III.

Isaie. 64. De hac quippe felicitate Ifaias loquitur Deo: Oculus nō vidit De^o absq; te, quæ preparasti expectantibus te. Quod Paulus apostolus plenius exprimens, Oculus (inquit) non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēderunt, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. Nobis autem reuelauit per spiritum sanctū.

Gene. 15. Hinc in Genesi dominus ait ad Abrahā. Ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Denique, diuino & magno Dionysio, Christus in carcere apparens, suūque corpus tradens: Accipe, ait, hoc charē meus, quoniam merces tua apud me magna est valde. Hinc & in Exodo legitur, quōd dū Moyses dominū exorauit, dicendo: Ostende mihi gloriam tuā, dominus ei respondit: Ego ostendam tibi omne bonum, id est, me ipsum. Deus enim benedictus & adorandus est bonū omnium perfectum, in quo est omnium bonorum, atque pulchrorum, ac desiderabilium infinita perfectio, ac plena possessio. Ideo Deus vnū illud, quod solum & maximè necessarium est, in quo plenissimè inuenitur, quicquid rectè appetitur. Si appetatur diuitiæ, si potestas, si sapientia, si voluptas, si beatitudo, si

quies, & pax, ipse est diues in se, & diues in alijs, & opulentia eius nullus est finis. Ipse omnipotens, & sapientia eius non est numerus, nec mensura. Ipse est fons totius salutis, in quo solo rationalis creatura veram & beatam inuenit quietem & pacem. In ipso ergo figamus nostram intentionem, in ipso stabiliamus nostram finalem affectionem: in ipso amplificemus desideria nostra, ita vt nihil penitus affectemus, nisi ipsum: vel in ipso, & propter ipsum, hoc est, alia in quantum nobis necessaria, aut vtilia sunt ad complacendum ei, & ad obtinendum beatificam eius fruitionem. Sicque in aduersis tanquā in omnibus diuitiis erimus gloriantes, cū propheta dicentes: In Deo salutare meum, & gloria mea Deus auxiliij mei, & spes mea in deo est. Quintò perpenditur preclarissima gloria beatorum ex ornatu, quem creator omnipotens omni anno largitur creaturis inanimatis, videlicet pratis, arboribus, herbis, floribus, agris ac lilijs: quæ omnia adueniente æstate, & sole approximante miro modo reflorent, ornantur ac venustantur. Vnde & apud Mathæum, dixit Saluator: Considerate lilia agri quomodo crescunt. Dico autem vobis,

quòd nec Salomon in omni gloria sua
coopertus est, sicut vnum ex istis. Si au-
tem fœnum agri, quod hodie est, & cras
in clibanum mittitur, deus sic vestit, quã-
tò magis vos minimè fidei? Si ergo ista
terrena ac infima, sic reflorent & pulchri-
ficantur, accedente ad ea sole, in circulo
oblico, id est Zodiaco, qualiter ornabū-
tur, & exhilarabuntur rationales crea-
tura, cū ortus fuerit eis in cœlo sol intel-
ligentiæ, fons sapientiæ, origo totius lu-
cis & gratiæ, obiectum & causa gloriæ,
ac salutis perpetuæ, quibus per Mala-
chiam dominus pollicetur. Orietur vo-
bis timentibus nomen meum sol iusti-
tiæ, & sanitas in pennis vestris? Ecce qua-
liter arida terra, nuda prata, indecora ar-
busta, suo tempore decorantur, & vire-
scent graminiibus, floribus, foliis, virore,
suauitate & fructibus: qualiter ergo cor-
pora electorum in resurrectione vltima
fulciantur claritate, agilitate, impassibili-
tate, subtilitate, odore dulcissimo, atque
lætissimo apparatus? ad quod ostendendū
Matt. 17. Christus ante suam passionem se transfi-
Luc. 9. gurauit coram tribus apostolis, & respice-
Marc. 9. dit facies eius vt Sol. Sexto perpenditur
v l. plenitudo foelicitatis ac gloriæ beatorū,

ex hoc quòd muri cœlestis Ierusalem,
& angelorum ruina, reparandi sunt &
construendi ex electis hominibus. Si er-
go artifices huius mūdi tam pulchrè per-
ornant rudia saxa, ex quibus ædificant
castra & statuas nonne artifex ille cœle-
stis pulcherrimè decorabit animas & cor-
pora electorum, ex quibus reparabit &
complebit cœlestem Ierusalem, trium-
phantem ecclesiam, curiamq; supernam?
Septimò idem perpenditur ex consolati-
one interna, quam deus interdum lar-
gitur in isto exilio suis deuotis, quos sæ-
pe tam dulciter visitat, quòd seiplos ne-
queunt continere, & vix valeant capere
aut sufferre præ carnis fragilitate, ita
quòd supra se subito rapiuntur, & alie-
nati ab omni sensu, motu & actu corpo-
reo, in diuitias gloriæ dei mirabiliter ab-
serbentur. Si tam dulcis est ros & gutta
suauitatis supernæ, quàm deliciosus est
fons ipse suauitatis immensæ degustatus
in seipso clarè & immediatè? Octauò i-
dem perpenditur ex hoc, quòd fidelis ac
munificentissimus deus sanctos suos in
vta hac tam sublimiter multipliciter-
que honorat per diuersa miracula, atque
per cultum quem eis impendant fide-
V iiii

les in tantum quòd oisibus, reliquiis, pul-
ueribus, panniculisque sanctorum maior
impenditur honor, quàm imperatoribus,
Psal. 138. regibus: aut principibus rudi. Vnde me-
rito dixit propheta: Mihi autem nimis ho-
norati sunt amici tui deus, nimis confortatus
est principatus eorum. Nunc ergo
opulētissimum, optimū, liberalissimū-
que omnis boni remuneratorem tōtis ve-
neremur prācordiis, qui primo Regum
I. Reg. 2. testatur: Quicumq; glorificauerit me, glo-
rificabo eum: Qui autem cōtemnunt me,
erunt ignobiles.

*De beatissima & delitiosissima refectioe
sanctorum in celo.*

ARTICVLVS. LX.

Apoc. 16 **B**Eati qui ad cœnam nuptiarum agrā
Refectio vocati sunt Spirituali refectioe refi-
patria ce cit trinitas benedicta vniuersos ciues cœ-
lestis. lestes, quæ refectio est omni corporalire
Refectio fectioe tanto suauior atque præstantior.
in calis quātō spiritus rationalis est nobilior cor-
quare ce- pore, & quātō cibus spiritualis dignior
na dista. dulciōrque consistit omni corporeo ai-
mento. Recte quoque refectio ista cœna
vocatur magis quàm prandium, quia est

ultima refectio, post quam alia nulla re-
stat, quemadmodum cœna est vltima diei
commectio, dicitur etiam specialiter cœ-
na agni, id est, Christi filij dei, de quo dixit
beatissimus Ioann. Baptista, Ecce a- *Ioann. 1.*
gnus dei, ecce qui tollis peccata mundi.
quoniam ipse per suam dignissimam pas-
sionem promeruit nobis gloriosam illam
resurrectionem, secundum quòd in cœ-
na sua corporali nouissima dixit aposto-
lis, & in eorum persona cunctis fidelibus:
Luc. 22. Ego dispono vobis sicut disposuit mihi
pater meus regnum, vt comedatis & bi-
batis super mensam meam in regno. Ipse
etenim merito suæ salutiferæ passionis re-
ferauit nobis ianuam & aditum regni cœ-
lestis. Dicitur quoque cœna nuptiarum
agni, quia in regno illo salutis æternæ ec-
clesia filio dei perfectissime desponsatur.
inseparabiliter vnitur, non per fidem &
charitatem imperfectam sicut in via hu-
ius exilij, in quo peregrinamur à domi-
no (secundum quod dixit Psalmista ad *Psal. 38.*
deum: Quoniam aduena ego sum apud
te, & peregrinus sicut omnes patres mei)
sed per beatificam visionem atque com-
pletam fruitionem. In qua desponsatione
exibetur sponsæ, hoc est triumphanti

ecclesia & vnicuique menti beatæ, nobilissima, iucundissima, æternalisque cœna, quæ est refectio gloriosa summè confortans, delictans & sine fastidio satians, spiritualitèrque impinguans. De qua in euangelio legitur, Beatus qui manducabit panem in regno dei. Hic panis est Christus qui est panis vitæ, panis supersubstantialis, qui in sacramento altaris reficit ecclesiam militantem corpore suo sancto & sanguine precioso: sub sensibilibus tegumentis porrò ecclesiam triumphantem reficit sua incomprehensibili atque altissima deitate, cuius beata fruitio, etiam dici potest panis sanctorum, atque refectio. Et quoniam gloriosissimæ trinitatis vna est deitas, eadèmq; cognitio, atque actio indiuisa ad extra, idcirco quamuis hæc cœna specialiter Christo ascribatur: tamen à tota excellentissima trinitate exhibetur, cuius refectio tanta est dignitas, vt ipsemet filius dei affirmet se in ea ministraturum suis electis, secundum quod loquitur de seipso: Amen dico vobis, quod precinet se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis, quæ est ministratio dignationis non subiectionis, sicut interdum superior ex

Luc. 14.
Ioan. 6.
Matth. 6.

Luc. 12.
Deus pater electos reficit tribus ferculis in patris.

sua charitate, dignatione, & humilitate ministrat subditis suis ad mensam. In hac cœna, ac refectioe beata, deus pater pro ferculo optimo præbet suis ipsius clarâ cognitionem, non solùm ostendèdo beatissimis fontalem deliciosissimam deitatem, sed etiam suam paternam fecunditatem: & actionem suam ad intra: qua se ipsum intelligendo, generat æternaliter, ac inuariabiliter vnigenitum filium suum. Secundum ferculum præstatissimum quod exhibet & apponit, & manifestatio & illuminatio, qua beatos illustrat ad contemplandum suam spiratiuâ fecunditatè & actionem immanètem, qua spiritus sanctus ab ipso procedit. Tertium ferculum est manifestatio, qua electis ostendit, quàm vehementer dilexit genus humanum, dum pro eius salute misit vnigenitum filium suum in mundum, iuxta illud. Sic deus dilexit mundum, vt vnigenitum filiū suum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Hæc omnia clarè, beatificè ac fruiuiè cognoscere intueri, contemplari, dulcissime, atque ineffabiliter sapit beatis in horū intuitu ineffabiliter accéduntur & rapiuntur in deum, omnig; iucunditate replentur.

Ioan. 3.

Deus filio Insuper filius dei, in hac mensa pro pri-
reficit ele- mo ferculo præstat beatis claram notitiã,
Etos tribus qualiter ipse æternaliter generetur à pa-
ferculis. tre, & tamen consubstantialis & coæqua

I lis sit ei. Pro secundo ferculo dat eis glo-
 II riosam contemplationẽ, ad intelligen-
 dum qualiter spiritus sanctus procedit ab
 III ipso: sicut à patre. Tertium quoque fercu-
 lum exhibet eis: illuminando mentes eo-
 rum ad cognoscendum clarissimẽ suẽ in-
 carnationis mysterium, & suam glorifi-
 catissimam humanitatem, ac omnem ip-
 sius felicitatem & gloriam, atque bene-
 ficia quæ per ipsam nobis impendit. In
 quibus omnibus quantum & qualiter,
 quàm exuberantissimẽ & præcordialissi-
 me gloriantur omnes beati, nemo in vita
 hac plenẽ valet cõcipere. Præterea in hac

Deus spi- beatissima refectione & cœna civium su-
ritus san- pernorum, spiritus sanctus pro primo fer-
Etus exhi- culo ostendit mentibus beatorum quali-
bet tria ter ipse æternaliter procedat à patre & fi-
fercula lio, & tamen cõsubstantialis & coæqua-
beatis in lis sit eis. Pro secundo ferculo eis largitur
patria. splendidissimam iucundissimamque no-
 titiam totius superbenedictissimæ trini-
 tatis, & totius glorię eius, & qualiter cum
 infinita læticia tres adorandæ æternæ

& increatæ personæ se inuicem æternaliter
 intuentur, amant, amplectuntur ac per-
 fruuntur. Pro tertio autem ferculo pandit
 beatis omnem suam charitatem, digna-
 tionem, pietatem, munificentiam, ac be-
 neficientiam circa eos, & qualiter sua pie-
 tate & gratia sanctificati sint & saluati, ac
 qualiter dona sua præstando, seipsum in-
 fudit ac contulit ipsis. Ecce his ferculis
 fœlicitissimæ mentes sanctorum abundan-
 tissimẽ nutriuntur, excellentissimẽ deifi-
 cantur, suavissimẽ inebriantur, insepara-
 biliter confirmantur supernaturaliter no-
 bilitantur, gaudiosissimẽ contentantur,
 atque æterna securitate fruuntur. De hac
 refectione ait sponsus in Canticis: Come
 dite amici & bibite, & inebriamini cha-
 rissimi. Et Psalm. Quam magna multitu-
 do dulcedinis tuæ domine, Hoc est verẽ
 manna cœleste, habens in se omne dele-
 ctamentum & omnis saporis suavitatem,
 Hac suavitate in suo fonte perfectẽ & im-
 mediatẽ gustata, prorsus desipit, & infini-
 tẽ contemnitur omnis delectatio carna-
 lis, venerca, gustus, & tactus, quàm sce-
 leratissimus Mahumetus in suo Alcho-
 rano promittit cultoribus suæ legis, imò
 spurcissimæ fœcis. O quàm præclarissima

Canti. 5.

Psalm. 30.

Sapient. 16

Societas superiorii cœnium. est cœna illa cœlestis, spiritalis, diuina, purissima, in qua sunt tam innumerabiles, pulcherrimi, sapientissimi, nobilissimi que conuiuæ, se inuicem ardentissimè diligentes, perfectissimè inuariabiliterque concordés, videlicet omnes angeli sancti, archangeli, principatus, potestates, virtutes, dominationes, throni, cherubim ac seraphin: omnes quoque patriarchæ, prophetæ, apostoli, martyres, confessores, virgines, & cæteri sancti.

2. Tim. 2. In qua cœna Christus secundum quod homo, dei & hominum mediator residet primo loco, quia & ipse secundum assumptam humanitatem ab adoranda reficitur trinitate, atque post ipsum residet immediate mater eius dignissima sacratissima virgo Maria, super omnes angelicorum spirituum ordines eleuata, deinde vnusquisque sanctorum residet ordinatè, ac decentissimè collocatur secundum dignitatem, gradum & exigentiam meritorum suorum. Postremò quoniam quælibet consideratio beatorum & accidit magnam & propriam habet delectationem & dulciter reficit mentem beatam, cõstat quòd in cœna illa altissima erunt tot secula gaudiosa, quot consideratio-

*Premia æstetalia & accide-
talia beatorum.*

nes sancti habebunt de deo, de seipsis & omni fœlicitate, perfectione, & gloria eis concessa, de vniuersitate suorum conciuum, & de vnoquoque illorum, de ordinis totius creaturæ: imò & de suppliciis atque miseriis damnatorum, quibus beati nequaquam compatientur: sed zelo iustitiæ congratulabuntur æquitati diuinæ de impiorum iusta damnatione, vnde in Apocalyp. ait Ioannes apostolus: *Apoc. 19.* Audiui vocem magnam quasi tubarum multarum in cælo dicentium: Alleluia, laus & gloria & virtus deo nostro, quoniam vera & iusta sunt iudicia eius, quia iudicauit de meretrice magna quæ corrupit omnem terram, id est, congregationem iniquorum, quæ est ecclesia malignantium, condemnauit. Cuius rei figura præcessit in Aegyptiorum subuersione. Nam Pharaone cum suis submerso filij Israel cesinerunt: Cantemus domino, gloriose enim magnificatus est, equum, & ascensorem proiecit in mare. Sic principe tenebrarum cum vniuersis reprobis in infernum proiecto gratias agent deo, & laudem ei dicent cuncti electi. Denique certum est, quòd in cœna illa

Psal. 29.

Exod. 14.

caelesti valde speciale gaudium ac nobile
 ferculum proueniet sanctis de humanita-
 te filij dei, & gloriosissima virgine Ma-
 ria, de quo sequenti dicitur articulo. De
 tali ac tanto conuiuio sancti gratias agent
 deo, non post illud, quia conuiuium illud
 nunquã finem habebit: sed in illo, id est,
 ipso durante indefinenter gratias referet
 hospiti tam liberali & amorofo. Ad hanc
 sacratissimam cœnam ardentissimè vnuf-
 quisque nostrum aspiret dicendo: quem-
 admodũ desiderat ceruus ab fontes aqua-
 rum, ita desiderat anima mea ad te deus.
 Sitiuit anima mea ad te deum fontem vi-
 uum, & quando veniam & apparebo an-
 te faciem dei?

Psal. 41.

*Quod sancti in celo ex omni parte habent co-
 piosissimam rationẽ, atque materiam mul-
 tiplicium gaudiorum.*

ARTICVLVS. LXI.

Isaie. 35. **V**enient in Sion laudantes, & læti-
 tia sempiterna super capita eorum
 gaudium & læticiam obtinebunt. Et fu-
 giet dolor & gemitus. Tanta, tam copio-
 sa, & multiplex est electorũ in celo bea-
 titudo & gloria, quocunq; se venterint,
 causam

causam & incitamenta gaudendi inue-
 niãt. Nam supra se primo, & maximè gau-
 dent de benedicta & adoranda trinitate.
 Deinde supra se gaudent de omni beati-
 tudine, perfectione, decore & eminentia
 humanitatis filij dei. Tertio gaudent su-
 pra se in conspectu virginis gloriosę Ma-
 riæ de omni pulchritudine, excellentia,
 beatitudine, & honore ipsius. Quarto
 gaudent supra se de omnibus angelis san-
 ctis, & de animabus, seu hominibus san-
 ctis, qui eis in gloria sunt superiores. Gau-
 dent quoque in se de vniuersa beatitudi-
 ne, gratia & excellentia eis collata. In su-
 per gaudent circa se de foelicissima san-
 ctorum societate, & beata communione,
 qua vnusquisq; eorum alteri beatitudinẽ
 suam communicat. Gaudet & intra se nõ
 solũ de his qui inferiores sunt eis in glo-
 ria, sed & de tota machina mundiali, quæ
 post diem iudicij erit pulcherrimè deco-
 rata, vt tactum est supra, atq; (vt preceden-
 ti tangebatur articulo) gaudebunt etiam
 de inferno. Qualiter autem gaudebunt
 etiam de deo, & in deo, in cuius visione
 & fruitione essentiali sanctorum omnĩũ
 præmiũ consistit, iam antè pro viribus est
 expressum: qualiter verò de Christi hu-
 X

Gaudij manitate gaudeant, modo pro posse tan-
beatorum gendum est. Itaq; de humanitate filij dei
Christo ho multipliciter exultabunt: primò de omni
mmcratio pulchritudine eius, quam habet in donis
multiplex gratiæ, & gloriæ, tam in corpore, quam
 in anima. Tota nanque capacitas animæ
 Christi, ac virium eius, ab exordio suæ
 creationis, & vnionis cum deitate, fuit re-
 pleta omni gratia & virtute, omni dono
 & fructu spiritus sancti: imò & intelle-
 ctus eius repletus fuit beatifica deitatis
 visione. Porrò post passionem suam hu-
 manitas sua plenissimè glorificata est in
 sua resurrectione, & ascensione, quantum
 ad corpus suum, inferiorésque vires suas.
 Et quantò anima Christi præ omnibus
 sanctis excellentius fruitur deo, & glorio-
 sior, sanctiorque consistit, tantò corpus
 Christi mirabilius, atque splendidius est
 glorificatum quatuor dotibus corporum
 hominum electorum, ita q; claritas pul-
 chritudinis eius, ac pulchritudo suæ cla-
 ritalis, venustissimúsque aspectus, & pul-
 cherrimus eius vultus, ineffabiliter ma-
 ior, ac delectabilior est omni claritate, &
Venustas decore solis, lunæ, ac syderũ, omniumque
humanita corporum glorificandorum. Cùm igitur
tie Christi. tota Christi humanitas sit tam incõpara-

biliter speciosior, dulcior, gloriosior, ac
 sublimior omnibus creaturis, tam ange-
 lis quàm cæteris sanctis, cõstat quòd om-
 nes beati, in conspectu humanitatis Chri-
 sti vehementissimè delectentur, ita quòd
 maximum gaudiũ, quod habent post bea-
 tificam dei visionem, est gaudium istud
 ex intuitu humanitatis Christi conceptũ:
 cuius humanitas tanta gratiositate, ve-
 nustate & gloria est perfusa, quòd & an-
 geli sancti desiderant eam aspicere, &
 cum indicibili iucunditate eam inspiciunt
 omnes beati. Secundò, ciues cœlestes
 gaudent de Christi humanitate, & de
 eius inspectione, in quantum per ipsam
 sunt liberati, vel reparati, & multa, &
 maxima beneficia consecuti. Itaque ani-
 mæ sanctæ in cœlis inextimabiliter gau-
 dent de humana natura filij dei, & de o-
 mni excellentia, ac gloria eius, quæ per
 eam sunt ab æterna damnatione erepta
 donis gratiæ, in via huius sæculi adimple-
 ta, atq; ad felicitatem sempiternam per-
 ductæ. Et quò maiora, ac digniora sunt
 beneficia ista, eò humanitatem Christi
 iucundius intuentur, ardentius diligunt,
 & præcordialius domino Iesu Christo
 Saluatori suo regratiantur. Tantò cer-

et præcordialius atque deuotius, quò plura ac maiora pro eorum salute fecit, ac pertulit. Porro sancti angeli gaudent de Christi humanitate, quia per eam ipsorum ruina est instaurata, societas aucta & gloria multiplicata. Tertio omnes sancti in cælo gaudent potissimè de Christi humanitate, eo quòd ipsa vnita est vnione personali vnigenito dei filio, vero deo, quod est dignitas infinita, & maius bonum ac eminentius donum, quàm omne bonum ac donum cæteris sanctis, & reliquis omnibus creaturis collatum. Hinc de tanta humanitatis Christi exaltatione amplius gaudent sancti, quàm de omni beatitudine, pulchritudine, gratia & gloria omnium cæterorum sanctorum, & quanto plus diligunt Christum secundum vtrâque suam naturam, tantò exuberantius gloriantur de omni perfectione, excellentia & gloria vtriusque suæ naturæ, videlicet æternæ deitatis atq; assumptæ humanitatis. Præterea omnes sancti in cælo de præsentia & aspectu gloriosissimæ virginis matris filij dei mirabiliter, ineffabiliterq; lætantur, & tantò intensius, quanto eam amant feruentius. Primò ergo lætantur in eius aspectu, quoniâ ipsa præ omni pura crea-

III
Trinitas christi per sona diuina, & humana domini excellentius cæteris omnibus.

Gaudium beatorum de excellentia.

tura in esse creato subsistente, est inenarrabiliter speciosa, sancta, perfecta, & gloriosa, bona, amabilis, pia, & ad intuecundum delectabilis ac iucunda, imò omnino dulcissima. Si enim de Hester regina veraciter ait scriptura, Erat formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur: quàm incòparabiliter excellentius dicendum est illud de gloriosissima & glorificatissima virgine dei matre, quæ fontem concepit, ac peperit pulchritudinis infinitæ. Et si creator omnipotens tantam pulchritudinem, amabilitatem & gratiositatem ponit in modica humani corporis parte, puta in facie, quàm incomprehensibiliter, ac infinitè pulcher, amabilis & gratiosus est ipse in semetipso. Secundò vniuersi beati gloriantur in virgine summa, quia per eam consequuti sunt gratiosa dona, & beneficia gloriosa à domino multa & magna. Ipsa nanque genuit mundo Saluatorem, ipsa est aduocata ecclesiæ militantis peccatorum refugium, mater & consolatrix miserorum. Ei commissum est misericordiæ regnum, & per eam innumerabiles peccatores veniam, gratiam & salutem adepti sunt. Et quicquid gratiæ est *via virgini*.

Hesteris.

Prærogativa Mariae.

III in nobis: per ipsum datum est nobis. Tertio gaudent praesertim in ea, & de ea, de eius excellentia, ab honore: eo quod ipsa sit mater viri dei: comparentalis deo patri: eundem filium habens cum illo: quod est dignitas quodammodo infinita, propter quam tota curiae caelestis militia, singulari praecipuoque honore eam deuotissimè veneratur, tantòque abundantius congratulatur excellentiae eius, quanto feruentius diligit eam: & quanto quis beatorum misericordiam maiorem ab ea, & per eam à deo est consecutus, tantò praecordialius diligit eam: & honorat, ac ei in omnibus istis congaudet. *Gaudium beatorum de angelis & aliis sanctis.* Insuper vnusquisque beatorum gratulatur supra se de vniuersis angelis sanctis, ac ceteris, qui eò sunt maiores in gloria: quoniam omnibus illis toto corde fauet, congaudet: nec appetit esse, aut habere quod illi sunt & habent: sed plenè contentatur de suo: & quòd non habet plenè in se, gaudet se per charitatem & participationem habere in alio. O quis excogitare, aut dicere queat, quantum inferiores sancti laetantur ex intuitu, praesentia, in consortio sanctorum apostolorum, ac prophetarum, & virtuosorum pastorum,

ac aliorum, quorum doctrinis, subsidiis, & detractionibus tantam beatitudinem sunt adepti, & praesertim de illorum aspectu, ad quos specialio rem, & amplio rem habuerunt dilectionem, ac deuotionem: Certe omnia gaudia huius mundi simul collecta, comparari nequeunt gaudio quòd vnusquisque beatorum habet de beatissima virginis Mariae praesentia & conspectu, quòd etiam quibusdam electis amatoribus eiusdem virginis datum est in vita hac experiri, quibus ipsa virgo piissimè visibiliter apparere dignata est. Nec dubium, quin multò plus delectètur in aspectu humanitatis filij dei, & tamen haec omnia gaudia ad accidètale pertinent praemium beatorum, quòd totum simul sumptum incomparabiliter minus est, gaudio praemij essentialis, videlicet, beatæ fruitionis, qua excellentissima trinitate, & Internum eius vna simplicissima deitate fruètur. At *gaudium beatorum.* verò qualiter sancti intra se gaudent de propria felicitate, perfectione, & gloria de vniuersis, ac singulis suis cõciuibus, angelis sanctis, & animabus beatis, tactum est supra, de quo tamen & infra magis tractabitur. Aspiremus ergo, festinemus & cursitemus ad ineffabilem gloriã electorum, ad

quã currere est eam feruēter appetere, ad quam festinare, est tempus indultum fructuose expendere, & dei præcepta diligēter implere, ad quã aspirare est ei⁹ desiderio, ac amore flere, & gemere in lachrymarū hac valle, exemplo prophetæ dicētis. Heu mei, quia incolatus meus prolongatus est. Atq; Apostoli in clamantis, Infortunatus ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Certè si in regno cœlorum nõ esset aliud gaudiū, aut præmiū, nisi videre speciosissimã, optimã, dulcissimãq; Mariam Christiferam, meritò totis viribus conaremur illuc pertingere: quanto magis cum in adorandi dei gloriosa & fructiva visione cõstituta sit principaliter salus, & merces nostra, quæ (vt sanctus fatetur Bernard⁹) tam grandis est quòd non potest metiri: tam multa, quòd non valet numerari: tam copiosa ac diuturna, quòd nequit finire. Vnde rursus locutus est, Reuera illud est verum & solū gaudiū, quòd non de creatura, sed de creatore concipitur, cui cõparata omnis alium de concepta iucunditas, mœror est: omnis suauitas, dolor est: omne dulce, amarum: omne decorum, fœdum: omne quòd aliunde delectare possit, molestum.

1. Cor. 119.
Roma. 7.

De quibusdam incunditatibus animarum felicium, & hominum beatorum post diem iudicij, quas angeli sancti non habent.

ARTICVLVS. LXII.



Absterget domin⁹ omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & mors vltra nõ erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor. Quantum ad præmium essentialiale, quòd est beata visio omnipotentis, promittitur hominibus æqualitas gloriæ cum angelis sanctis: sed sicut homines ad beatitudinem illam multò morosius, laboriosius, difficiliusq; pertingunt quàm angeli, qui in exordio mundi vna celeritima, atq; facillima cõuersatione suæ mentis ad creatorem promeruerunt tantã felicitatem: sic animabus sanctis ante communem resurrectionem insunt, & hominibus electis resuscitatis, post diem iudicij inerunt accidentalialia quædam præmia, & gaudia quæ angelis sanctis nõ cõpetunt propriè. Et primò, quia compositus est homo ex anima & corpore, habebit post diem iudicij duplicem stolam, *Isaie. 61.*

Apo. 21

Matt. 19.

id est, felicitatem, & gloriam animæ & corporis: iuxta illud Isaïæ, Pro confusione vestra duplici & rubore, laudabunt partem eorum. Propterea in terra sua duplicia possidebunt, letitia sempiterna erit eis. Vnde in proverbiis legitur, Omnes domestici eius vestiti duplicibus. Harum stolarum unam iam habent animæ sanctæ in cælis, aliam habebunt in suis corporibus post resurrectionem futuram, secundum quod ait scriptura, Data sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis ut requiesceret tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conseruorū eorum. Denique ad stolam corporis pertinent quatuor dotes corporum glorificationum: quorum quælibet habet delectationem propriam valde magnam. Insuper martyres sancti, doctores virtuosi, ac virgines sacræ quæ in perpetua virginitate decreuerunt manere, ultra coronam (id est, essentielle præmium) & ultra stolam præfatam, ac quatuor dotes, habebunt aureolam, quod est gaudium speciale de opere privilegiato, virtuoso ac arduo, ut est martyrium & actus idoneus instruendi, atque castimonia virginalis. Quemadmodum autem ex gaudio præmij

Prover. 31

Apos. 6.

*Aureola
quid est
quibus de-
tur.*

essentialis, quod aurea nuncupatur, redundat decor, & claritas quædam in corpore, ita ut iucunditate aureolæ resultant in corpore, quidam ornatus: sicque aureola principaliter consistit in mente, & per redundantiam micat in corpore. Secundum *Aureola in mente.* gaudium speciale hominū beatorum erit quod videbunt deum creatorem suum, factum esse fratrem & proximum suum, quod generabit eis ineffabile gaudium, & inflammationem amoris fortissimam, atque perpetuam gratiarum actionem, quod etiam gaudium interim habent animæ sanctæ in cælo. Hinc ait Bernard. Prorsus omni dulcedine plenum est, videre hominem, hominum conditorem. Et in hoc honoravit omnipotens genus humanum, magis quam angelos, aut naturam angelicam: sicque exterior hominū sensus præcipue reficietur, & gaudebit in aspectu humanitatis filij dei: sensus verò interior, ut putat intellectus in visione deitatis ipsius. Tertium gaudium animarum, & hominum electorum speciale & propriū eius est, quod euaserunt pericula tentationū, misérias vitæ præsentis, & iugum totius iniquitatis. Ideo læti cantabunt, Anima nostra sicut passer erepta

Pfal. 122. est, de laqueo venantium. Laqueus con-
I. Cor. 15. tritus est, & nos liberati sumus. Itémque:
 Vbi est, ó mors, victoria tua? Vbi est ó
 mors, stimulus tuus? Et quia etiam electę
 animę post hanc vitam graues sustinent
 purgatorij pœnas, omnibus vitę præsen-
 tis tormentis acerbiores, miserabiliter
 gloriabuntur: cum de tantis suppliciis ad
 ineffabilem peruenerint gloriam perpe-
 tuámque salutem. Opposita nanque iu-
 xta te posita, aut sibi inuicem succedētia,
 clarius innotescūt. Et sicut dulcior est re-
 fectio, post grauem famem, & quies, post
 grandem laborē, consolatio quoque post
 ingentem tristitiam, sic suauissima est ele-
 ctis animabus æternę salutis iucunditas,
 post tantos labores, angustias, & afflictio-
 nes. Idcirco iucundissimē dicent deo: Læ-
 tati sumus, pro diebus quibus nos humi-
 liaſti, annis quibus vidimus mala. O quā
 tum gaudebunt, quod naufragium huius
 seculi euaserunt, in quo tam pauci eua-
 dunt: quod dæmonibus Christo auxilian-
 te præualuerūt, à quibus pene omnes vin-
 centur: & quod amplius peccare non
 poterunt, quia in deo confirmatę, & glo-
 rificatę existunt. Postremò, vt omnia co-
 operentur electis in bonum, sancti etiam

Pfal. 8.

*Paucitas
saluando-
rum.*

Roma. 8.

Gaudium

beatorum

de inferno

triplex.

de inferno gaudium triplex habebunt.
 Primum, quod infernalialia euaserunt sup-
 plicia: ideo dicere poterit vnusquisq; ho-
 minum electorū: Nisi, quia dominus ad
 iuuu me, habitasset vtique in inferno ani-
 ma mea. Secundum, quia aduersarios, &
 persecutores suos videbūt in inferno tor-
 queri: & de hoc gaudebunt zelo iustitię,
 non amore vindictę. Hinc in Apocalypſi
 habetur, Animę interfectorum clamabūt
 voce magna, Vtqueuo domine sanctus,
 & verus non vindicas sanguinem nostrū,
 de his qui habitant in terra? Tertium, quo
 niam omne malum culpę & pœnę, sciēt
 esse perpetuò clausum in inferno, ita q̄
 nullum illorum poterit eis vnquam ap-
 propinquare. Sicque ex omni parte accu-
 mulantur electis gaudia copiosa.

*De iucundissima felicitate sanctorum ex
parte glorioſe societatis eorum.*

ARTICVLVS LXIII.

NVnquid est numerus militum dei? *Iob.* 25.
 & super quem non splendet lumē
 ipsius? Ineffabiliter multam & ma-
 gnam, speciosam, & nobilem, sapientē,

amicabilem, & concordem esse politiam illam caelestem, militiamque supernam, & societatem beatam regis aeterni, exigit in finita maiestas regis illius: cum Salomon dicat, In multitudine ministrorum dignitas regis, in paucitate plebis ignominia principis. Hinc Daniel sanctus testatur est, Millia millium ministrabant ei, & de ceteris millies centena millia absistebat ei. Denique cum nemo in hac vita comprehendere queat numerum angelorum in fini chori, in quo ad minus sunt tot angeli sancti, quot nunc aut unquam uno tempore fuerunt aut erunt homines in toto mundo, cum unicuique homini praesit vnus angelus bonus de infimo choro existens, constat quam incomprehensibilis nobis sit tota multitudo angelicorum spirituum, praesertim cum iuxta doctrinam diui Dionysii, quanto ordo aliquis angelorum sanctorum sublimior est, tanto plures in se continet angelos sanctos. Cum ergo vnum sanctum angelum videre ac plene cognoscere, transcendat omne gaudium mundi, quale gaudium est vniuersos ac singulos angelos gloriosos indefinenter conspicerere, perfecte intelligere, & de omnium eorum societate gaudere? Sic quoque ineffabile gau-

Prov. 14.

Daniel. 7

Angelo
rum ce-
tus inu-
merabilis.

dium est, vniuersos beatos apostolos, prophetas, patriarchas, martyres, confessores, virgines, anachoretas, eremitas, & vtriusque sexus religiosas personas, electos infantulos ac ceteros sanctos clare agnoscere, semper conspicerere, atque de vniuersorum consortio gloriari, omnium quoque beatitudinem participare, singulis congaudere, & de omnibus exultare. Huius enim gloriosissimae ciuitatis communicatio, & participatio est in idipsum, & particeps est quilibet beatorum felicitatis ac gloriae vniuersorum fruuentium deo. Itaque huic tam praclarissimae societati interesse gaudiosum est, desiderabilissimum ac beatum. Primo, propter mutua charitatem societatis istius, de qua certissimum est quod vniuersi seinuicem diligunt dilectione feruentissima, indefinente, sincerissima, indissolubili & perfecta. Et sciunt quod ita seinuicem diligunt, quod nihil charitati contrarium, aut repugnans, vel dissonum vnquam poterit esse in eis. Certè charitatis delictis, hac amorosissima vnione tam suavissima ac certissima mutua dilectione, nihil post beatificam deitatis fruitionem, potest esse iucundius, nihil felicius.

Psal. 127.

Gaudiosa
societas e-
lectorum
propter se
ipsum.

II Secundo gaudiosum, optabile, & beatum est, tam felicissimè interesse societati, propter mutuam eius affectuosam, & liberalissimam communionem. Charitas quippe tam feruida, & perfecta non referuat sibi aliquid proprium: sed quicquid boni habet, copiose communicat suis cõcuiuibus, & proximis, atque confociis. Idcirco in tali, ac tanta societate, gaudia singulorum redundant in singulos, & diuitias gloriæ suæ, vnusquisq; diffundit in suos confortes, sũntque eis cuncta communia & beatitudo vnus est omnium. O quàm gloriosa dicuntur de te, ô ciuitas dei, ô triumphans ecclesia, ô curia celestis Ierusalem, ô patria beatorum. Beati omnes qui diligunt te, qui præordinati sunt ad tuam societatem. Tertio gaudiosum, & appetendum est huic interesse consortio, propter plenam inuiolabilem eius concordiam & pacem dulcissimam. Quemadmodum enim ciues superni in Deo dulcissimè conuiescunt, & in ipso perfectissimam pacem habent, inauertibiliter ac integrè conformati voluntati diuinæ, à qua nunquam in aliquo poterunt dissentire, ita & inter se habent plenam, perpetuam, impetu habilè inque concordiam.

Apo. 4

Psal. 86.
9.

III

diam. Hinc loquitur Augustinus, In ciuitate dei, superna lex est charitas, rex veritas, pax felicitas, vita æternitas. Ibi vera pax erit, vbi nihil aduersi qui patietur, nec à seipso, neque ab alio. Hac pace nihil suauius. Est nanque pax ista serenitas mentis, tranquillitas cordis, vinculũ amoris, confortium charitatis, & imperturbata animi quies, in deo. Merito igitur dixit Psalmista, ad cœlestè Ierusalem: Lauda Ierusalem dominum, qui posuit fines tuos pacem, qui & per Esaïam ait: Ponam visitationem tuam pacem. Quarto gaudiosum, desiderabile, & beatum est huic interesse societati, propter eius multitudinem, de qua iam aliquoties dictum est. Nam de parte quadam societatis illius ait Ioannes apostolus, Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gētibus, tribubus & linguis stantes ante thronum. De multitudine quoque innumerabili, non solum vniuersorum angelicorum spirituum, sed & cuiuslibet ordinis angelorum: iam tactum est: de qua asserit sanctus Thomas, quod sicut corpora cœlestia, quasi incõparabiliter excedunt corpora inferiora, in quantitate, sic multitudo sanctorum angelorũ

Psal. 147
Esaïe. 60

III

Apo. 7.

Opinio excedit multitudinem rerū inferiorum.
Brigite. Sancta quoque Brigita, in suis Reuelationibus dicit, quod quauis omnes homines, qui vnquam in mundo fuerunt, sunt & erunt, essent collecti, adhuc tamē multitudo, & numerus angelorum in tantū excederet eos, quòd cuilibet homini possent ad minus decem angeli deputari: hoc est, quòd decies essent plures angeli sancti quàm homines. Veruntamen de isto, non est euidens certitudo, cum & sanctus Gregorius dicat tot homines esse saluandos, quot manserunt angeli stantes. Quod dictum multi doctores sequuntur. Verba autem Gregorij non sunt parvipendenda, quia & iam, (vt Albertus magnus, & Bonauentura, super quartam sententiarum testantur) spiritus diuinus multa reuelauit Gregorio. O quàm gaudiosum & gloriosum erit, conspicere in æternum totum illum cœlestem exercitum, ex vniuersis angelis sanctis, & electis hominibus congregatum, regem gloriæ cum summa reuerentia assistentem, humillimè inclinatum, promptissimè obsequentem. Quintò gaudiosum est societati huic interesse, propter eius pulchritudinem, & decorem. Vniuersæ enim per

sonæ huius societatis, sunt totaliter pulchra, ita quòd nulla macula est in eis, sed plenitudo virtutum, charitatis perfectio, lumen gloriæ, splendidissima visio deitatis, immediata & consummata cōiunctio, cum fonte totius pulchritudinis & decoris. Quòd si pulchritudo totius mundi sensibilis esset collecta in vnū, comparari non possēt pulchritudini infimi ciuis societatis illius. Idcirco inæstimabiliter delitosum erit, concupiscere tam speciosissimū, splendidissimum sanctissimūq; cōfortium, in quo nihil esse potest, quòd valeat offendere intuetem, nihil quòd possit erubescētiam, aut suspicionem, vel scandalū generare. Sextò gaudiosum est huic interesse societati, propter eius ^{VII.} *Ioan. 14.* ceterissimam ordinationē: dispositionēq; optimam, quia in ea vnusquisq; iuxta suā dignitatem, sanctitatem, meritorūmq; exigentiā collocatur. Vnde ait Saluator In domo patris mei, mansiones multæ sunt. Hoc est diuersitas præmiorum, secundum exigentiā meritorum. Ordo autem est optimū quid in rebus, & maximè inuentem delectat. Septimò gaudiosum est istud, propter nobilitatē totius istius ^{VIII.} societatis. Omnes nāque sunt filij & filie *Roma. 9.*

dei, omnes reges & reginæ, omnes hæredes dei, cohæredésque Christi omnes repleti sunt sapientia & virtute, quod est summa nobilitas, omnes amicabiles, familiarésq; creatori. Congregemus ergo omnia ista, & pensemus pro posse, quàm desiderabile & iucundum sit, interessè & cohabitare societati curiæ cœlestis tam ineffabiliter amorosæ, liberalissimæ, cõcedissimæ, innumerabilissimæ, speciosissimæ, ordinatissimæ, sapientissimæ, potentissimæ: nobilissimæ: cui etiam iucundissimũ est interessè, propter mutam eius humilitatem, quia in ea quantò quis maior est, tantò prorsus humilior est: sicque summi in ea se habèt humillimè, dignatissimè, ac benevolentissimè, ad infimos.

Humilissimas beatissimas beatissimas.

De beatitudine electorum ex parte amenissimi loci eorum.

ARTICVLVS LXIII.

Baruc. 3. Sapient. 3. **O** Israël, quàm magna est domus dei, & ingens locus possessionis eius. Magnus, & non habens finem, excelsus. Sapientia omnipotentis attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter, coaptat loca locatis,

ponitque vnumquodque finaliter, in loco suæ naturæ, aut meritis congruenti. Hinc hominem protoplastum, quem in originali creauit iustitia, collocauit in paradiso terrestri. Cùm ergo beati deo plenè & immediatè fructes, sint incomparabiliter perfectiores, digniores, & magis quietati in deo, quàm erat Adam etiam ante lapsum, conueniens fuit, vt deus ab exordio præpararet eis locũ, & mansionẽ incomparabiliter pulchriorem, altiorem, amœniorem, & quietiorem paradiso terrestri. Et hic locus est paradísus cœlestis, cælum empyreum, patria, regio, & habitaculum beatorum. Quod cælum vocatur empyreum, id est igneum, non à calore, sed à splendore, quod ambit omnes orbes cœlestes, ac cælos volubiles, estque continentia visibilium, & inuisibilium creaturarum. Et quanuis incorporales substantiæ, vt angeli, non indigeant corporeo loco ad sustinendum, ad habitandum, ad contemplandum, tamen congruum fuit vt in loco altissimo, speciosissimo, ac dignissimo constituerentur, cum beatissime sint coniunctæ summo omnium creatori, omni virtutum decore luceq; gloriæ adimpletæ, & Dei hæredes effectæ. Itaque.

Y. iij.

Gene. 2.

Tobi. 13.
 cælum empyreum est situ altissimum,
 quantitate maximum, natura purissimū,
 luce plenissimum, capacitate amplissimū.
 De quo dixit Tobias: Beatus ero, si fue-
 rint reliquæ meæ, ad videndum clari-
 tatem Ierusalem. Hoc cælum est summi
 regis palatium, in quo ipse incōprehen-
 sibilis deus seipsum clarissimè manife-
 stat, in quo excellentius operatur: idcirco
 in eo specialiter habitare asseritur. Hoc
 cælum est totus mundi speciosissimum
 operimentum, quod decentissimè con-
 gruit collocationi, & habitationi corpo-
 rum glorificatorum: & hominum resusci-
 tatorum, ex quibus & ipsum cælum em-
 pyreum resurgentiam sortiatur. Ad cuius
 ingressum suspiravit, qui dixit: Domine,
 dilexi decorem domus tuæ, & locū habi-
 tationis gloriæ tuæ. Et rursus: Beati qui
 habitant in domo tua domine, in seculū
 seculorum laudabunt te. Ibi quippe (ut
 asserit Augustinus) verè & plene vacabi-
 mus, & videbimus, imò experiemur, &
 sentiemus, quā suavis sit deus, quā ma-
 gna sit multitudo dulcedinis eius, quā
 infinita sit magnitudo delectatiōis ac glo-
 riæ eius. Ibi videbimus regem in decore
 ipsius, & amabimus eū amore æternaliter

Psal. 25.
 & 83.

Psal. 38.
 & 30. 6.
Esaiæ 1.

æquè intensio ac feruido, æquè delicioso
 & nunquam fastidioso. Ibi laudabimus
 eum, quem indefinenter laudat totus cæ-
 li exercitus, cum consonantia maxima,
 cum summa lætitia, cum inastimabili re-
 uerentia, ac feruore. Ibi est finis noster.
 Nec enim sufficit nobis finis, nisi cuius
 nullus est finis. Quis est finis, non consu-
 mens sed perficiens: & consumans. Quo
 adepto, nihil vltra appeti potest, quo-
 niā finis ille replet totaliter in bonis de-
 siderium nostrum. Hic est finis noster,
 peruenire ad regnum, cuius salus & glo-
 ria finem non habet. Vnde rectè dixit
 Gregorius: Si cōsideramus quæ & quāta
 sunt quæ nobis promittuntur in cæ-
 lis, vilescunt animo omnia quæ habentur
 in terris. Terrena nanque substantia
 æternæ fœlicitati comparata, pondus est,
 non subsidium. Temporalis vita æternæ
 vitæ comparata, mors est dicenda
 magis quàm vita. Quæ enim lingua
 exprimere, aut quis intellectus cape-
 re potest, illa supernæ ciuitatis quan-
 ta sint gaudia, angelorum choris inter-
 esse, cum beatissimis spiritibus gloriæ cō-
 ditoris assistere, presentem dei vultum
 cernere, incircumscripum lumen videre,

Psal. 10.

nullo mortis metu affici, in corruptionis perpetuæ munere gloriari. Et rursus: Ibi (inquit) hymni dici angelorum chori, ibi societas supernorum ciuium, ibi dulcis solénitas ab peregrinationis huius labore redeuntium. Certè in splendore tanto sapientiæ beatorum, nullus error potest misceri, nulla ignorantia inueniri, nulla opinionum diuersitas exoriri. Postremò, de hac incomprehensibili magnitudine felicitatis & gloriæ electorum legitur anima sancti Hieronymi dissoluta à corpore, dixissè sancto Augustino volèti de gloria beatorum cõpilare tractatù: Augustine Augustine, quid quaris? putásne breui immittere vasculo totum mare? Putásne orbem terrarum breui pugillo includere, aut cælum immobilitate ne solitos exerceat motus? Quæ nullus hominũ oculus videre potuit, tuus videbit? quæ auris nulla per sonum hausit, audiet tuæ. an quæ cor humanum nullatenus intellexit nec cogitauit, æstimas te intelligere posse? Infinitæ rei quis inerit finis? Immensa qua metieris mensura? Potius totum mare in vasculo clauderetur artífisimo, potius orbem terrarum paruus teneret pugillus, potius à motu suo cælum

cessaret, quàm intelligeres minorem particulam gaudiorum & gloriæ quibus beatorum animæ perfruuntur perpetuò: nisi vt ego de his per experientiam docereris. Impossibilia agè ne coneris: imple vitæ tuæ curriculum: & taliter conuersare, vt ea quæ hîc aliquid intelligere cupis, plenariè in æternum possideas.

De variis fructibus & gaudiis æternæ felicitatis.

ARTICVLVS LXV.

FVLgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Tot sunt particularia gaudia beatorum, quot ea solius dei notitia compræhendit, & hî quibus hæc cõferuntur. Tanta est ibi sapientiã vt sapientiã Salomonis esset ibi velut stultitiã: tanta fortitudo, quòd fortitudo Samsonis esset ibi debilitas: tanta dominatio, quòd monarchia Octauiani esset ibi subiectio: tanta opulentiã, quòd diuitiã Croesi esset ibi paupertas: tanta velocitas, quòd velocitas Azaëlis esset ibi tarditas: tanta duratio, quòd lógiturnitas vitæ Matusalem esset ibi vix vnum momentum: tanta sanctitatis perfectio, quòd sanctitas vitæ

Matt. 13.

3. Reg. 4.

Iudit. 16.

presentis esset ibi defectus: tanta iucunditas, quod omnis delectatio vitæ huius esset ibi mœstitia, tanta sc̄licitas, quod omnis beatitudo vitæ istius esset ibi calamitas, tantus feruor diuini amoris, quod omnis feruor huius vitæ esset ibi tepiditas: tanta libertas quod omnis libertas seculi huius esset ibi seruitus atque captiuitas: tanta securitas, quod omnis securitas seculi huius esset ibi timiditas. Ibi iuentus nūquam senescens, eruntque omnes (vt fertur) semper quasi in ætate triginta annorum, aut in ea ætate qua obiit

1p̄he. 4.

Christus: quum dicat Apostolus, Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mēsuram ætatis plenitudinis Christi. Quod tamen non est intelligendum, quod omnes resurgent in sexu virili, sed vnaquæque persona in suo resurget sexu. Ibi sanitas nunquam infirmabilis, ibi satietas omni carens fastidio: imò satiati desiderabimus, ne satietas gignat fastidium, & desiderantes satiabimur, ne desiderio sit annexa penuria siue anxietas. Carnales quippe delitiæ citò in fastidium veruntur, spirituales verò delitiæ desiderium pariunt: quia quod habent & sentiunt, cupiunt semper habere atque

sentire, gustare & experiri. Ibi erit libertas expers totius seruitutis indignæ, pulchritudo naturalis ac moralis & supernaturalis in anima & corpore. Et breuiter, bona quæ ibi sunt & erunt, numerare non possumus, sed mereri. Ibi gaudiū purum, continuum & æternum. Ibi merita nostra, vltra condignum remunerantur. Ibi corpora erunt animabus perfectè subiecta, atque promptissimè obediētia, & vbi voluerit anima, corpus mox erit. Auferētur etenim à corporibus electorum omnia, per quæ nunc impediunt animas, ab exercitiis virtutis continuis, omnis grauedo, obscuritas, indigētia alimenti, indumenti, ac somni. Fulgebuntque iusti, & tanquā scintillæ in arūdinero discurrunt, mutabūt fortitudinem, pro fortitudine naturæ ac vitæ, accipientes fortitudinem sc̄licis innouationis ac gloriæ, assument pœnas, vt aquilæ, volabunt, & non deficient. Eredientur & saliet, quasi vituli de armento, & dicent: Ecce deus

Sapient. 3.

*Malac. 4.
Apo. 11.*

noster iste, expectauimus eum, & saluauit nos. Gratias agimus tibi domine deus noster omnipotēs, qui es & qui eras, qui accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti. Tunc clarissimè cognoscemus, &

eum præcordialissima gratiarum actio-
ne: confitebimur ad dei honorem, quàm
breue fuit omne tempus, quo pro tanta
beatitudine domino maiestatis, serui fui-
mus, quàm modicus labor, pro quo tam
immensa quiete hîc laborauimus, quàm
parua satisfactio, pro peccatis, per quam
ad interminabilem, atq; dulcissimam illâ
æternitatis pacem peruenimus, quàm exi-
gua pugna, per quam ad victoriam secu-
rissimam, nunquam finiendam perducti
sumus, nunc igitur omni excluso torpo-
re, omni pusillanimitate abiecta, omni
spreto fastidio, ad tantam beatitudinem
festinamus, & quia beati mundo corde,
quoniam ipsi deum videbunt, iam puri-
tati cordis feruenter, ac fortiter studea-
mus, omni custodia, custodientes corda
nostra ab omni culpa, quoniam nihil in-
quinatum intrabit in gloriam dei. Nunc
quoque conemur futuram illâ prælibare
dulcedinem, & gustare, quàm dulcis est
dominus, quatenus eius suauitatem ex-
perti carnalia contemnamus, atque vt ad
tam dulcena pertingere mercamur præ-
gustum, ac diuinam experiri suauitatem:
vitemus omnem cōsolationem inanem,
& cunctam delectationem carnalem, ac

*Matth. 5.
Proue. 4.
Sap. 7.*

3. Pet.

in omnipotentis conspectu ambulemus
solicite, proficientes quotidie in omni
gratia & virtute.

*Excitatio cordis ad appetendum incessabi-
liter, ac feruenter beatitudinem æternalem.*

ARTICVLVS. LXVI.

Serui dei seruiant illi, & videbunt fa-
ciem eius, & nomen eius scriptum in
frontibus ipsorum, & regnabunt in secu-
la seculorum. Quare tristis es, ô anima?
spera in deo, quoniam adhuc confitebor
illi, qui est salutare vultus mei, & deus
meus obiectum, causa, & fons totius salu-
tis meæ. Et nunc ô anima mea, quare mee
rore consumeris? Nunquid rex & Salua-
tor, adiutor, & consolator non est tibi?
aut consiliarius tuus periit, quia compræ-
hendit te dolor? Audi dicentem, consu-
lentem, & exhortatē. Inuoca me in die
tribulationis: eruam te, & honorificabis
me. An non credis promittenti, qui ait:
Quoniam in me sperauit liberabo eum,
protegam eum, quoniam cognouit no-
men meum Clamauit ad me, & exaudia-
eum, cum ipso sum in tribulatione, eripia-

*Apo. 22.
Psal. 41.*

*Psal. 42.
Mich. 4.*

Psal. 49.

Matth. 90

eum, & glorificabo eum: lōgitudinē die-
rum replebo eum, & ostendam illi, salu-
tare meum. Nōne summa, & ineffabilis
Luc. II. veritas ait: Omnis qui petit accipit, &
Matt. 6. qui querit inuenit, & pulsanti aperietur.
Ioan. 4. Sed aduerte & imple quod hęc ipsa ve-
ritas iterum loquitur: Oportet semper
orare & non deficere. Et rursus: Ora pa-
trem in abscondito: Itemque: Spiritus
est deus, & eos qui adorant eū in spiritu,
& veritate adorare oportet, Hoc est, cū
interna mentis recollectiōe, ac diligen-
ti attentione atque in vera deuotione,
aut saltē, cum proposito & conatu vitādī
orane peccatum: peccatores enim in-pro-
posito peccandi manētes deus nō audit,
propter quod filius dei dixit: Nō omnis,
qui dicit mihi domine domine, intrabit
Ioan. 9. in regnum cælorum, sed qui facit volun-
Matt. 7. tatem patris mei, qui in cælis est. Non te
conturbet aduersitas, neque tentatio te
contristet: imō omne gaudium existima,
Iaco. I. quum in varias tentationes incideris,
sciens quòd probatio fidei tuę patienti-
am operatur. Hoc est, ad patientiam te
exercet. Patientia autem opus perfectum
habet, vt sit perfecta & integra, in nullo
deficiens. Audi patrem cælestem te dul-

citer consolantem: Ego quos amo arguo, *Apo. 3.*
& castigo, ignoras quòd per multas tri- *Actu. I.*
bulationes oporteat te intrare in regnū
cælorum, & quòd omnes qui volunt piē
viuere in Christo persecutionem patien-
tur? Nōne ipsummet Christum dei fi- *Luc. 24.*
lium oportuit pati, & ita intrare in glo-
riam suam? Nōne hic mundus, & terra
peregrinationis istius, est vallis lachry-
marum, locus exilij, & carcer, non pa-
tria electorum? Nescis quòd beati sunt
qui lugent, v̄ autem ridentibus. Nōne
Matt. 5. offendisti deum in multis, & quotidie
Luc. 6. sepe offendis eum, qui peccata non pati-
Iaco. 3. tur abire multa? Flagella igitur domini
Iob. 24. patienter, gratentēque suscipe, & ea ad
Iudith. 8. tuam emendationem, non ad tuam perdi-
tionem, prouenisse, cum pœnitentia &
humilitate iugiter recognosce. Itaque
communicās passionibus Christi gaude,
quatenus in reuelatione glorię eius, &
I. Pet. I. cum ipso æternaliter glorieris, quoni-
am quod est honoris, & glorię, ac vir-
tutis, super te requiescet si nunc in omni
adueritate patiens fueris. In deo æterna-
liter exultabis, si nunc modicum oporteat
cōtristari, in variis tribulationib⁹, vt
probatio fidei multo preciosior sit auro.

Prou. 29. Qui enim humilis, & patiens fuerit, erit
Thobi. 4. in gloria. Benedic deo, qui secundum mi
1. Pet. 1. sericordiam suam magnam regenerauit
 te in spem viam, vt consequaris: atque
 possideas hæreditatem incorruptibilem,
 incontaminatam, immarcescibilem, tibi
Isaie. 60. in cælo paratam, in qua exultabis lætitia
 inenarrabili. Tunc videbis & afflues, &
 mirabitur, & dilatabitur cor tuum, & præ
Isaie. 61. plenitudine gloriæ te ipsam capere vix
Luc. 1. valebis. Tunc gaudens gaudebis in domi
 no, cum fecerit tibi tam magna deus om
 nipotens, quando induerit te vestimēto
 salutis, & adimpleuerit te iucūditate, cū
 vultu suo. In horum consideratione, &
Isaie. 61. spe, lauda deum tuum, o filia Sion, exulta
Psal. 15. in toto corde tuo filia Ierusalem, quia
Zach. 2. dominus rex in medio tui est, vt saluet
 te in æternum, nec vltra timebis malum.
Sophon. 3. Lætare in his quæ dico tibi, quia in do
Psal. 121. mum domini ibis, & in domum non ma
2. Cor. 5. nufactā, æternā in cælis, in qua id quod
2. Cor. 4. in præsentī est momentaneum, & leuē tri
Psal. 26. bulationis tuæ, operabitur in te æternum
Eccle. 9. pondus gloriæ infinitæ. Idcirco expecta
1. Cor. 15. dominum, viriliter age, & quicquid po
2. Par. 15. test manus tua infatigabiliter age, quoniam

niam labor tuus non erit inanis in domi
 no, eritque merces, & merces copiosissi
 ma finem non habitura operi tuo. Bonorum *Sapient. 3.*
 etenim operū gloriosus est fructus.
 Mēsuram bonā & confertam & coagita
 tam & supereffluentē dabit dominus &
 saluator tuus in sinum tuum. Noli dilige *Luc. 6.*
 re mundū & ea quæ mūdi sunt. Nō enim
 hic habes manentē ciuitatem, sed futurā *1. Ioan. 2.*
 inquiris: de qua ait vir sanctus, Gloriosa *Hebr. 13.*
 dicta sunt de te ciuitas dei: Sicut lætantiu *Psal. 86.*
 omnium habitatio est in te. Expecta igitur *Hebr. 11.*
 ciuitatem fundamenta habentem, cuius *et 12.*
 artifex & conditor deus. Accede mō
 tem Sion, ad ciuitatem dei viuētis Ieru
 salem cælestem, ad multorū millium an
 gelorum frequentiam, ad ecclesiam pri
 mitiuorum, qui cōscripti sunt in cælis à
 iudice omnium deo, cui nūc seruias cum
 metu & reuerentia, quoniam maledictus
 homo qui facit opus altissimi negligenter.
 Hæc est vrbs sacra Ierusalem, de qua
 cecinit Isaias propheta, Surge, illumina
 re Ierusalem, quoniam venit lumen tuū, *Philip. 3.*
 & gloria domini super te orta est. Et in *Iere. 48.*
 te videbitur gloria eius. Non audietur
 iniquitas in terra tua, vastitas & contri
 tio in terminis tuis. Et occupabit salus

muros tuos, & portas tuas laudatio. Insanit Iudæus infœlix, qui ista exponit de terrena Ierusalem, quam in aduentu sui Mesiæ expectat, quem scimus venisse, quia præfatis verbis gloriosus flos prophetarum Isaias subiungit, Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te, sed erit tibi dominus in lucē sempiternam, & deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra Sol tuus, Et luna tua non imminuetur, quia erit tibi dominus in lucem sempiternam. Populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. Hæc est ciuitas de qua Ioannes apostolus in Apocalypsi mysticè loquitur, Erat structura muri eius ex lapide iaspide, ipsa verò ciuitas ex auro mundo, simili vitro mûdo. Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata, & singulæ portæ eius ex singulis margaritis, & plateæ ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum pellucidum. Et templum non vidi in ea, dominus enim deus omnipotens templum illius est & agnus, & ciuitas non eget Sole neque Luna. Nā claritas dei illuminat eā, & lu-

Apo. 21.

cerna eius est agnus. Non intrabit in illū aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ. Ad hanc gloriosissimā ciuitatē indefinenter aspira o anima. Certe funes ceciderūt tibi in præclaris. Sit ergo tibi præclara hæc ciuitas, atq; hæreditas tua, cuius amore contemne carnalia, & æterna. Portio tua in terra viuentium, ibi thesaurus tuus, ibi ppria sunt gloriosissima ac incomparabilia, ac ineffabilia bona, quæ facilius potes mereri ac adipisci, quàm in vita hæc comprehendere, aut effari. Ecce aduentum tuū præstolatur tota politia, tam summæ ac speciosissimæ ciuitatis: iamò rex & dominus eius expectat te, qui te tantò iucundius, tantò benignius celeriusq; suscipiet, quanto in eius amore perfectior fueris: & quod plura & grauiora pro eo pertuleris. Ideo in aduersis quasi in omnibus diuitiis glorieris. Vsq; quo o misera anima, quando marcescis ignauia, nec acceleras ad intransū terram hanc optimam in qua nullius rei penuria est, qui tibi filius suo sanguine cõparauit, in qua mōtes stillant dulcedinem, & colles fluunt lac & mel? Quid tu sopore deprimis? Surge, & inuoca deum tuum,

Psal. 15.]

Psal. 141.

Matt. 6.

Iaco. 1.

Iosue. 18.

- Iselis. 1.* vt deducat te per vias rectas, & ostendat
Iona. 1. tibi regnum suum, & tribuat tibi scientiã
Sapient. 10 ac salutem sanctorum. Si compateris
Roma. 8. Christo, & conregnabis: si socia fueris
2. Cor. 1. tribulationis, socia eris cõsolationis. Ibi
Psal. 45. fluminis imperi, id est, copiosissima infu-
1. Cor. 13. sio diuiciarum spiritus sancti lætificat ci-
 uitatem dei. Videmus nunc deum per spe-
 culum in ænigmate, tunc autem videbi-
 mus eum facie ad faciem. Nũc cognosci-
 mus deum ex parte & imperfecte, tunc
 verò cognoscemus eum perfecte & cla-
 re, sicut cogniti sumus à deo. Reposita sit
Iob. 19. hæc spes in sinu tuo, & crede videre bo-
Psal. 26. na domini in terra viuentium. Atque in
 eius dilectione assidue profice, qui tam
 magnificè egit tecum.

*De effectibus considerationis ac deside-
 rij æternæ felicitatis.*

ARTICVLVS LXVII.

- Psal. 35.*
Matt. 4. **A** Pud te domine est fons vitæ, & in
 lumine tuo videbimus lumen. Do-
 minus & saluator in exordio suæ præ-
 dicationis dicebat, Pœnitentiam agite,
 appropinquabit enim regnum cælorum.
 Ex quo constat, quòd consideratio & af-

fectus regni cælestis inducit hominem
 ad pœnitentiam peragendam. Nempe
 dum quis diligenter perpendit pro posse
 quanta sit gloria regni cælestis, dolet
 se demeruisse gloriam tantam, & de suis
 pœnitet, confitetur ac satisfacit peccatis,
 quatenus amissam fœlicitatem recuperet. **I I.**
 Secundò consideratio regni cælestis facit
 hominem temporalia aspernari, auariti-
 am detestari, & necessariis esse cõten-
 tum: sicut ex verbis Gregorij tactum
 est. Si consideremus quæ & quanta no-
 bis promittuntur in cælis, vilescunt ani-
 mo omnia quæ habentur in terris. Hinc
 dicit Apostolus, Aestimo omnia detri-
 mentum esse propter eminentem scientiam
 domini nostri Iesu Christi, propter
 quod omnia arbitror vt stercore, vt Chri-
 stum lucrifaciam: nulla nanque est com-
 paratio terrenarum & temporalium at-
 que carnalium rerum ad bona diuina, cæ-
 lestia & æterna. Quid ergo tibi ô Chri-
 stiane cum istis sensibilibus & terrenis,
 qui ad bona cælestia inuitaris? Tertiò
 consideratio regni cælestis accendit ho-
 minem ad laborandum fortiter, perseueran-
 ter ac feruide pro gloria tanta iuxta
 illud scripturæ, Vos autem confortami-
 Z iij

Philip. 3.

I I I.

2. *Par. 5.* ni, & non dissoluantur manus vestrae. Erit enim merces operi vestro. Hinc ait Apostolus. Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem vt incorruptam. Sic currite vt comprehendatis. Si enim illi totis sic viribus currunt pro corruptibili brauium, & parua ac breui corona, quanuis sciant non nisi vnū eorum accepturum esse brauium cursus celerioris: quanto magis viam madorū dei currere debemus pro brauium sempiterno, & præmio glorioso, quod certum est vnumquēque currentium esse sumpturū? Et planē prorsus est indignus tanta salute, qui pro ea renuit laborare *vi quisnā indignus.* hoc tempore breui, nec eius amore vult illicitas delectationes vitare. Maxima iniuria datoris huius salutis, est sic parvipendere ipsū, & eius promissā, & vel lēte ac tepidē, aut omnino non quærere gloriā tantam. **IIII.** Quartō, cōsideratio regni cælestis retrahit hominē à cunctis peccatis, in quantum sunt impeditiua tantæ beatitudinis, quam quanto feruentius quis affectat, tanto vehementius amittere eam formidat. O quam multa & horrenda fa-

cinora plurimi vitant, ne temporalia dāna incurrant, præsertim ne occidantur: quanto magis fugere semper debemus vniuersa peccata, quantum fragilitas permittit humana, ne vitam gloriæ amittamus, ne prætiosissimis bonis æternæ fœlicitatis (quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus) priuemur. Hinc hortatur Apostolus, Has ergo habentes promissiones, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore dei. Quintō, consideratio ista animat & confortat nos ad repugnandum viriliter & constanter aduersariis nostræ salutis, mundo, carni, & dæmonibus: quia vt ait Apostolus, Non coronatur, nisi qui legitime certauerit. Cū enim tanta sit merces huius victoriæ, iustissimum est infatigabiliter reluctari tentationibus, & peccatis, & omni hosti salutis. Hinc in libro Sapiētiae legitur de electis, In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam deus tētauit illos, & inuenit illos dignos se. Ideo accipient regnum deorum, & diadema speciei de manu domini. Vnde hortatur Apostolus. Nō fatigemini animis vestris. Nōdum enim vsque

2. *Cor. 7.*

v.

2. *Timo. 2.**Sap. 3.**Heb. 12.*

ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes. Hinc quoque Gregorius, Delectat (inquit) mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certam laborum. Ad magna etenim præmia perueniri nõ potest, nisi per magnos labores. Sextò consideratio gloriæ æternalis parit patientiam in aduersis, facitque hominem omnem tribulationem & persecutionem hilariter ac leuius sustinere, cum tanta sit fructuositas aduersitatis, & tanta merces patientiæ eius. Ideo loquitur Christus, Beati estis cum maledixerint vobis homines & persecuti, vos fuerint; & dixerint omne malum aduersus vos, meatiens, propter me. Gaude te in illa hora & exultare, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Septimò consideratio ista accendit hominem in dei amore, qui seipsum nobis promisit in præmium obiectale, & sui ipsius immediatam & claram visionem in præmium formale: qui se tam infinitè omnibus excellentiorè ac digniorè ex incomprehensibili claritate, pietate, atq; dignatione dignatur pauperibus suis creaturis tam immediatè, & proximè cõiungere. Quæ admodum autè beneficia data, sic & promissa

.VI.

.VII.

Ioan. 14.

præstanda inflammant ad amorem benefactoris ac promissoris. Octauò consideratio ista facit hominem humiliare seipsum, dum ad tam supernaturalem beatitudinem se conditum, & vocatum perperdit, ad quam se ex se omnino indignum, insufficientem & impotentem esse cognoscit: & ita intra se dicit, Vnde hoc tibi o indigna vilisque creatura, ex omni parte defectuosa, vt ad tantam beatitudinem sis creata, ordinata, redempta & inuitata? Facit etiam consideratio hæc hominem esse sollicitum, vt gratus sit deo, nec tantam negligat gratiam eius. Ideo ait Apostolus, Abundatius oportet nos obseruare ea quæ audiimus, ne forte peresfluamus. Quomodo enim effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Et denuo, Videte (ait) ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur, multo magis nos qui de cælo nobis loquentem aduertimus? Vt ergo hi salubres effectus inueniantur in nobis, attendamus assidue & prudenter quanta sit beatitudo, & gloria regni cælestis ad quod conditi sumus & vocati, imò ad quod omni die multipliciter inuitamur.

VIII.

Hebr. 2.

Hebr. 12.

*Exhortatio ad promerendum beatitudinē
aternalem, & qualiter eam cōpendiosius pro-
mereri & adipisci possimus.*

ARTICVLVS. LXVIII.

Colof. 3.

Quæ sursum sunt quærite, vbi Chri-
stus est in dextera dei sedens. Quæ
sursum sunt sapite, non quæ su-
per terram. Duo amatores (vt S. astruit
Augustinus) duas constituunt ciuitates.
Quoniā amor dei crescens vsque ad con-
temptū sui ciuitatem constituit dei, hoc
est, ecclesiam militantem, in dō & trium-
phantem. Porro amor sui crescens vsque
ad contemptum dei, ciuitatem facit dia-
boli, ecclesiam malignantium, regnum
Babylonis & Antichristi. Itaque amor
infusus, purus & spiritalis, quod super om-
nia deum diligimus, & nos ipsos in deo,
origo est merendi, & fons omnis operis
meritorij virtuosi. Amor autem impro-
bus sui, qui est amor priuatus, & ad se
inordinatē reflexus, origo est omnium
vitiolorum. Qui igitur cupit copiosē pro-
ficere, celeriter perfici, & ad regnum cæ-
leste cōpendiosē perducī, studeat se-
ipsum in deo amare, hoc est, omnia illa
optare, quærere & amplecti, quæ sibi ma-

*Amor
infusus
origo om-
nis boni.*

*Amor
priuatus
origo om-
nis mali.*

gis necessaria, aut vtilia sunt ad compla-
cendum deo, & ad optinendum beatifi-
cam visionem ipsius, hoc est, aduersa &
aspera, & quæ afflictiuæ sunt carnis, cor-
ripi & corrigi cupiat, contemni, irride-
ri, ac ferre iniurias non dedignetur, sed
gaudeat. Deo reuerenter ac feruide de-
seruire non cesset, seipsum coram deo,
& proximis humiliet semper, omne tem-
pus suum fructuosē expendere delecte-
tur. Ecce quantō quis istud adimpleue-
rit plenius, tantō mansuetior, patientior,
humilior, feruentior, temperantior erit
in omnib⁹. Improbū ergo & priuatum
amorem, quo carnales deliciæ tempora-
les diuitiæ, propria commoda & tempora-
les honores amantur & expetuntur, fun-
ditus extirpemus de cordib⁹ nostris: quon-
iam falsus & pessimus amor ille est cha-
ritatis venenū, & per ipsum fit homo fer-
uus diaboli, membrum Antichristi, mā-
cipium iniquitatis, cuiusque Babylonis.
Consideremus quā periculosus, vitiō-
sus, infectiuus, nociuus atque dānabilis sit *Amoris
priuati*
amor iste priuatus, qui trahit vsque ad dei *mala.*
contemptum, & ad transgressiones præ-
ceptorum ipsius: sicque amorē istum tan-
quā omnī perditionis causam, & somi-

rem toto corde abhorreamus, & deū indefinenter precemur vt tam maledictum amorem, & omnē carnalem affectum omnino tollat de cordibus nostris, & sua sancta dilectione nos adimplere dignetur, quatenus deum nostrū propter propriā, puram & infinitam bonitatem ipsius sumper omnia toto corde iugiter diligentes, & etiam ideo quoniam ipse prior dilexit nos, & quia præcepit hoc ipsum, ac deum propter beneficia atque promissā ipsius ad beatificam eius visionem recto itinere incessanter tendamus, sicque ex ipso, per ipsum & in ipso, iam viuamus per gratiam, & in futuro per gloriam. Nempe (vt in meditationibus suis sanctus pater Bernardus fatetur) beatitudo nostra ac præmium nostrum est deum videre, cum deo viuere, ex deo, & in deo vitam habere, esse cum deo, & esse in deo, qui erit omnia in omnibus, & vbi est summum bonum, ibi summa felicitas, summa iucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, secunda æternitas. In ipso est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo, omnis beatitudo, ibi pax sempiterna, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, dulcedo, vita perennis, gloria, laus,

Deut. 6.

Matt. 22.

Marc. 12.

Lucæ. 10.

1. Iou. 4.

Beatitudo
nostra que

1. Cerm. 6

requies, amicitia gloriosa, & concordia dulcis. Quæ ergo nos angit & impellit vesania, sitire vitiorum absyntium, sequi huius mundi naufragium, vitæ labentis infortunium pati, impiæ tyrannidis ferredominium, & non potius conuolare ad sanctorum felicitatem, ad angelorum societatem, ac solennitatem supernæ lætitiæ, ad iucunditatem vitæ contemplatiuæ, vt possimus intrare in potentias domini, & videre superabundantes diuitias bonitatis ipsius. Ibi videbimus gloriæ decorem, sanctorum splendorem, & regię potestatis honorem. Cognoscemus patris potentiam, filij sapientiam, spiritus sancti benignissimam prorsus clementiam, sicque habebimus totius benedictæ ac summæ trinitatis notitiam. O quam beatissima videre deum in seipso, videre eum in nobis, & nos in eo. Hæc erit summa felicitas, quoniam intelligetur in suo puro esse sincerissima deitas, comprehenderetur incomprehensibilis trinitas, & patebunt deitatis arcana. Hæc visio ac delectatio totum cor hominis replens & satians, erit tota illius beatitudinis cõsummatio. Vna erit ibi omnium lingua, iubilatio indefensa, vnus affectus, idem affectus, æterna laus, vnus affectus, idem affectus, æterna laus *superna qualis.*

Psal. 7.

Isaiæ. 33.

Societas

datio. Ibi angelorum & hominum vnum est gaudium, vñ colloquium, vnum conuiuium. Illuc festinare debemus, vbi feliciter sine fine viuemus. Si intantum amamus hanc vitam miseram, labilem, incertam, caducam, in qua cum tanto periculo, labore, peccatòque viuimus, multo magis amare debemus vitam illam in qua cum summa securitate, quiete & puritate inæternum viuemus. Qualis putatis erit tunc splendor animarum, quando Solis splendorem habebit lux corporum in regno patris iustorum? Hoc est regnum regnorum, regnum omnium seculorum, patria electorum. De qua in legenda beatissimorum, sanctissimorumque martyrum Epitici presbiteri, & Astionis monachi legitur. Possessio beatorum, paradus vocatur: quorù tabernacula ex lumine sunt constructa: quorum vita, deus est: & conuersatio immortalis existit: in quorum capitibus sunt coronæ ex auro purissimo ac variis gemmis: quorum imperator & rex est deus deorum, cuius ministri sunt angeli lucis, & senatus regis illius preclarus est, cuius media pars sunt prophetae, alia verò apostoli. Porro nomen ciuitatis Christopolis, in qua stat vir quidam

Matt. 13.

Psal. 144

mirificus Dauid, habens Psalterium decem chordarum, qui commorantes in ciuitate illa iugiter excitat ad laudem regis ipsius: dicens. Laudate dominum de caelis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Itaque ad hanc beatissimam celestis paradisi politiam feruidissimè aspiremus: atque vt ad eam feliciter pertingere valeamus, nouissima nostra de quibus hucusque tractatum est, sapienter & assiduè meditemur. Ad laudem & gloriam omnipotentis, qui est super omnia deus sublimis & benedictus,
Amen.

*Psal. 38
& 148.*

D. DIONYSII

CARTHUSIANI COL-
loquium siue dialogus de par-
ticulari iudicio anima-
rum post mortem.

PROOEMIUM.

2. Corin. 3.



Mnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit, siue bonum, siue malum. Inter sapientes (vel potius inter fatuos) seculi

huius fuerunt nonnulli putantes & asserentes deum summum bonum non habere prouidentia actuum humanorum, nec esse hominum prouisorum, imò nec inferiora atque mortalia ista cognoscere: & per consequens non esse iudicem hominum, neque post vitam hanc fieri ultionem culparum uitae praesentis: quorum perfidus ac sceleratissimus error timorem dei profusus excludit, & irrefrenatam praestat peccandi audaciam. Denique tantus error à primo illo

Gene. 4.

illo impiissimo Cain ortum & occasione sumpsisse videtur. Ionathan namque, cuius translatio Chaldaica praecipue est auctoris apud Hebraeos, testatur ipsum Cain dixisse in agro ad fratrem suum, sanctum innocentemque Abel, Non est iustitia neque iudex, nec seculum aliud, nec remuneratio iustis, nec punitio impiis. Cumque Abel renuisset haec omnia, consurrexit Cain & occidit eum. De huius erroris nequissimi execrandis cultoribus fertur in Psalmo, Dixerunt, quomodo scit deus? & si est scientia in excelsis? Apud Ezechielem quoque dicunt. Non videt nos dominus, dereliquit dominus terram. Unde & in libro Iob inquiritur, An cogitas quod deus excelsior caelo sit? nec nostra considerat, & circa cardines caeli perambulat? Cum itaque error iste prauissimus & periculosissimusque consistat, sacra & diuina scriptura ipsum sapientissime atque clarissime reprobat & condemnat in vtriusque testamenti codicibus seriosissime, ac frequentissime clamans quod deus altissimus vniuersorum creator omnipotens cuncta & singula perfectissime intueatur, agnoscat, prouideat, singulariter quoque curam ac prouidentiam habeat rationa-

Psal. 72.

Eze. 8. 9.

Iob. 22.

Itum creaturarum, quibus per temporum
 interualla legem donauit multiplicem:
 primò videlicet naturalem, deinde scri-
 ptam, & terriò euangelicã. Propter quod
Iob. 36. in libro Iob rectè de ipso asseritur: Ecce
Isaie. 35. deus excelsus in fortitudine sua, & nul-
 lus ei similis in legislatoribus, de quo &
 Isaías fatetur, Dominus iudex noster, do-
 minus legifer noster, dominus rex noster,
 ipse veniet & saluabit nos. Hic dominus
 à sanctis prophetis suis promissus, & à
 beatissimis apostolis toti mundo notifi-
 catus est vnigenitus filius dei, verbum
 patris æterni, virtus & sapientia genito-
 ris illius: à quo omnis paternitas, omnis
 fœcunditas, omnisque causalitas in to-
 to vniuerso manauit, nominatur ac da-
 ta est: qui vt Euangelista disseruit, omne
 iudicium dedit filio suo domino nostro
 Iesu Christo, cuius meruendissimo tri-
 bunalì nos omnes præsentari & astare o-
 portet, vt iudicemur ab ipso, sicut & Sa-
Eccle. 12. lomon loquitur: Cuncta quæ sunt ad-
Duplici ducet deus in iudicium, pro omni erra-
iudicio deo to, siue bonum sit, siue malum. Præter-
iudicabit ea docet nos sacra scriptura diuinitus in-
genus hu- spirata, quòd duplici iudicio iudicet deus
manum. gloriofus, & iustus genus humanum, vt-

puta iudicio particulari in obitu singu-
 lorum, & iudicio generali in fine mun-
 di. Porro de generali illo iudicio multa
 pandit scriptura, & de eodem sancti pa-
 tres catholicique doctores copiosè ac cui-
 denter scripserunt, putà de loco eius &
 tempore, de iudicis visibili apparitione,
 de signis quæ eius præcedent aduentum,
 & qualiter cum vniuersis ciuibus regni
 celestis descendet, de multisque aliis. Ve-
 rum de particulari præactò iudicio, nec
 scriptura, neque doctores tam diffusè, &
 clarè inueniuntur locuti, videlicet: qua-
 liter fiat, & quo loco, ac tempore, id est,
 an anima adhuc existente in corpore, an
 in eius egressu, an post egressum: & vbi
 vel qualiter seu per quos iudici præsen-
 teretur, qualiter etiam tot animæ omni pe-
 nè hora iudicètur particulariter ac singu-
 latim à iudice summo, quid item de infi-
 delium iudicio animarum sit sentiendum.
 Hinc de omnibus his quidam religiofus
 frater spiritaliter mihi charus, cupiès edo-
 ceri, paruitatem meam iamdiu ac instau-
 ter precatus est, vt de his pro consolatio-
 ne, & adificatione ipsius aliquid scri-
 bam: cuius tam piæ & humili petitioni,
 quantum donauerit dominus, fatiscacere

opto: presertim cum & ipse in multis mihi assidue, tam charitatiue, ac propterea obsequiosus existat, imò & toti corpori fraternitatis. Sed quoniam ea, quæ per modum scolasticæ inquisitionis, ac responsionis conscribuntur, ac ponuntur, magis consueuerunt oblectare, & clarius informare, propono in isto tractatulo, sub dialogi forma procedere, præfacto fratre querente & opponente, me autem pro viribus respondente. Postremò, ne determinata nominum nostrorum expressio quemquam offenderet, aut temerarij occasione iudicij ministraret, decreueram tam fratrem memoratum, quam me, propriis superscriptis nominibus, per communia quædam designare vocabula. Veruntamen aliunde rationabiliter (vt confido) persuasus, propria me appellatione designabo. De me quidem iam satis vulgatum est, quod plurima scripserim, non obstante pro dolor imperitia mea, imò & conuersatione nimium defectuosa. Vnde & si hic nomen meum proprium exprimat, non ex hoc nouus de me rumor gignetur. Itaque ab inquisitionibus fratris præfacti præsens opusculum inchoetur.

*Questiones fratris circa prologum præin-
ductum, & responsio ad easdem.*

ARTICVLVS. I.

FRATER.

HAnc sponsonem tuam iam tactam, qua polliceris te inquisitionibus meis responsurum pro viribus, cum ingenti gratiarum actione accepto o præclarissime frater. Veruntamen præconiis quæ tetigisti de me, indignum me fateor sed hoc tuæ est bonitatis, bene sentire de aliis. Verum, ne ex non intellectis progrediar ad ea quæ restant, ad dubitationes mihi occurrentes circa prolongum introductum, deprecor mihi responderi in primis. **D I O.** Confidenter interroga, quia hoc ipsum studiositatis est signum. Nam vt ait scriptura, Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiã. Atque vt loquitur Origen. ex eodẽ sapientiæ fonte procedit prudenter interrogare & conuenienter respondere. Iunioribus quoque quantum eruditis, potius conuenit audire & interrogare, quam velle instruere. Ad quod insinuandũ sapientiã Dei patris Christus dominus cum duobus *1. Cor. 1.* decem erat annorum, in medio sedit *Luce. 2.*

ctorum, audiens atque interrogans illos. **F R A T E R.** Cùm iuxta contenta in prologo, duplex existat iudicium, quo homines iudicantur à deo, videlicet particulare in obitu singulorum, & vniuersale in termino seculorum, de quo horum iudiciorum intelligenda sunt verba

2. Cor. 5. Apostol. assumpta pro themate: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi. **D I O N.** Quamuis hæc verba cõmunius exponantur de generali illo iudicio, in quo vniuersi & singuli homines corporaliter ac visibiliter apparebunt ante tribunal Christi, tũc corporaliter ac visibiliter apparituri ac iudicandi, nihilominus possunt hæc verba de iudicio quoque particulari intelligi, quemadmodum & id quod ad Romanos idem

Rom. 14. scribit Apõsto. Omnes (inquiens) stabimus ante tribunal Christi, & item quod

Hebr. 9. ait Hebr. Statutum est omnibus semel mori, post hoc autem iudicium. **F R A.** Cùm tribunal Christi sit, vbi & in quo residet Christus omnium iudex, si in particulari quoque iudicio manifestabimur, & stabimus ante tribunal Christi, ergo in particulari suo iudicio vnusquisque credentium perducetur vsque ad perso-

nalem Christi præsentiam: cumq; ad dexteram patris resideat in summo cæli empyrei loco vnusquisque credentium tempore mortis suæ deducetur ac introibit (saltem quantum ad animam suam) cælum empyreum, seu regnum illud vsque ad Christi conspectũ, cum tamen in Apocalyp. dicatur, Non intrabit in illud aliquid coinquatum. **D I O.** Dominus & saluator Christus, qui in vnitare personę est verus deus & verus homo secundum deitatis suę naturam verè vbique est. Porro secundum suam assumptam humanitatem nunc plenè glorificatam, cõpetit ei esse in cælo empyreo: quauis ex parte proprię quãtitatis dicatur esse ibi dũtaxat, seu vno in loco: tamen ex vi conuersionis panis & vini in corpus & sanguinem eius, etiam realiter est in sacramento altaris: tamen secundum naturam suam assumptam nõ est vbique realiter, quauis per potestatem & iure dictionem sibi concessam possit dici esse vbique, què admodum ait, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Qualiter autem & vbi ac quãdo animæ morientiu Christo iudici manifestentur, præsententur & corã stent, infrã plenius inquiretur cùm

*Apo. 32**Matt. 28*

istud sit principale huius intentum opusculi. Idcirco pro nunc responsione hac esto contentus. *FR.* Interim sic contentor, sed quid per tribunal Christi intelligendum sit, quæso expone. *DI O.* Quem admodum in communi vsu loquendi, per apostolicam sedem designatur pontifex summus seu pontificij eius summa autoritas aut potestas, ita per Christi tribunal datur intelligi Christus omnium iudex, seu iudiciaria eius potestas. Propter quod Haymo ait: Stabimus ante tribunal Christi, id est ante iudicem Christum: & dicitur hoc ipsum à simili. Tribunal enim sedes est iudicium, quæ in sublimi locatur, v: iudex ab omnibus videatur: & iudex ipse ex loco eminenti omnes valeat intueri. Ita & Christus quasi in tribunali sedebit, qui & ab vniuersis videbitur, omniumque conscientias cernet, & causas diiudicabit. *FR.* Cum Christus in quantum homo, sit verè corporalis, corporaliterque in loco, per proprias sui corporis dimensiones, possitne per Christi tribunal corporalis locus materialève solium residentiæ suæ intelligi? *DI O.* De loco Christi corporeo exponitur vno modo id quod ipse testatur in Apoc. Qui vicerit, dabo

Apoc. 3.

ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici & sedi cum patre meo in throno eius: hoc est, in regno cælesti, in cælo empyreo, de quo loquitur in Esaiâ: Cælum mihi sedes est. Apostolus quoque: Ad eam (inquit) cum fiducia ad thronum gratiæ eius. Denique, iuxta hunc sensum, tribunal Christi, posset intelligi locus ille in aëre, vbi sedebit in die nouissimo, ad iudicandum omne hominum genus. *FR.* Allegasti in prologo, quod scriptum est in Euangelio, Pater omne iudicium dedit filio. Quid ergo est quod ipsemet filius in Euangelio protestatur, loquens Iudæis: Vos secundum faciem iudicatis, ego non iudico quenquam, & rursus: Qui audit verba mea, & non custodit ea, ego non iudico eum. Non enim veni ut iudicem mundum, sed ut saluificem mundum. Qui etiam alibi, ita exprimitur: Non mihi sit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. *DI O N.* Harum & consimilium autoritarum est vna solutio. Quæ admodum enim est duplex Christi aduentus, videlicet primus in paupertate & humilitate, & secundus in maiestate & gloria, ita est duplex iudicium. Vnum est

Esaiâ. 66
Heb. 4.

Ioan. 5.

Ioan. 8.
Ioan. 11.

Ioan. 8.

Zach. 9. iudicium discretionis, quo inter bonum & malum, inter verum & falsum, inter electum, & non electum discernitur: Atque aliud retributionis, seu remunerationis, quo vnique iusta merces retribuitur. Itaque Christus in primo suo aduentu non venit vt indicaret iudicio remunerationis, imò magis, vt iudicaretur & patientiss. omnia ferret, sed ad exercendum tale iudicium venit in die extremo. Veruntamen in primo suo aduentu venit exercere iudicium discretionis, quia tunc inter electos reprobosque discernuit, quosdam misericorditer vocando, & conuertendo, alios iuste derelinquendo, impiorum quoque vitia arguendo, & viam instruendo salutis. Propter quod apud Ioannem dixit: Nunc iudicium est mundi, quod quasi exponens, adiecit: Nunc princeps huius mundi eicie tur foras. Ex tunc etenim misso desuper spiritu sancto, cœperunt in toto orbe terrarum innumerabilia millia hominũ conuerti ad dominum Deum, de quorũ cordibus eiciebatur diabolus. FR A. Si Christus filius Dei in primo suo aduentu, non exercuit iudicium remunerationis, quis ergo iudicauit eos, qui obie-

Io an. 13.

runt in seculo isto tẽpore primi aduentus Christi, omniq; tẽpore, quo inter homines, in hoc mundo conuersabatur? DI O. Ille utiq; qui ab exordio mundi vsq; ad primũ Christi aduentũ, iudicauit moriẽtes in mundo hoc, vtputa verus deus, pater, filius & spiritus sanctus, vnus vniuersorũ creator, iudex, ac dominus: quia in tribus supergloriosis, & superbenedictis personis est vna natura, adorandq; trinitatis operationes ad extrã sunt indiuisibilesq; Christus, vt deus semper fuit omnĩ iudex, per remunerationẽ. Porro, prehabita sunt dicta de ipso, secundũ naturã assumptam. FR A. Si vniuersi, ac singuli iudicantur à Christo, dũ moriuntur, quid necesse est ponere aliud futurum generale iudicium, cùm teste Naum propheta, non iudicet dominus in idipsum? DI O. Interim singuli iudicantur quantum ad animã, tunc quo ad corpus & animã. Huius tamen rei sunt aliã rationes, quã ab Alexandro de Hales, sancto Thoma, & aliis assignantur, & infra forsã tãgentur. Sed iam si placet, ab his, & huiuscemodi, quæstionib; cessã, quatenus principale aggrediamur propositum; quo completo, incidentalia, & occurrentia præponantur.

Naum. 1.

ARTICVLVS II.

FRATER.

DE isto potissimè cupio informari, ubi & quando iudicentur à Christo animæ morientiu singulorum. Nā verba sanctorū multorum, visiones quoque & reuelationes, quā plurimum videntur prætere, quò animæ non iudicantur à iudice summo, nisi post egressum earū de corpore, quod & sanctus Papa. Greg. 4. Dialogorum videtur sentire: & item quò angeli boni, ac mali animas Christo representent ad iudicandū, quasi animæ deferrentur in cælum ad cōsistorium dei, vt iudicentur ibidē. **DI O.** De ista materia non nisi valde cautē, & sobriè est loquendū, atque ab omni temeraria assertionē prorsus est præcauendū. Idque in primis pro certo tenendū, quò animarum remuneratio non differtur, vsque ad diem generalis iudicij, prout quidam hæretici, imò & multi Græcorum dicere præsumperunt: quorum errorem doctores super quantum Sententiarum, & specialiter sanctus Thomas, in Summa

contra Græcos, euidenter, & plene reprobant. Hoc ergo errore abiecto, scrutandum an credentium animæ iudicentur à Christo, dum adhuc in corpore sunt, an post egressum de corpore. Quocirca sciē dum quod innocentius Papa tertius, in libro suo de miseria conditionis humane videtur sentire, quò animæ dum adhuc in corpore sunt, iudicantur à domino, ita quò ante egressum de suis corporibus sciūt, quò perget: hoc est, an erūt saluatę, an condemnatę: Ait quippe ibidē Innocent. Papa: Quatuor dolores patiūtur mali in morte: Primus est corporalis angustia, tam grauis & magna, quò in hac vita non est dolor ei æquali. Secundus dolor est, quando corpore iam plene defatigato viribūque exhausto, anima clare, & subito videt omnia sua peccata præterita. Tertius est, quando anima incipit iuste diiudicari, & vniuersa ac singula inferni tormenta suis iniquitatibus debita sibi conspicit imminere. Quartus, dum anima impij adhuc in corpore posita, videt spiritus malignos ad rapiendū se paratos. Insuper clarius loquens ait: Quatuor leguntur aduentus Christi: Primus ad iudicium, secundus in obitu cuiusli-

*Dolores
quatuor
patiūtur
mali in
morte.*

I

II.

III

IIII

V

VI

VII

VIII

IX

X

XI

XII

bet fidelis, tertius in carne, quartus in me-
tem, FRATER. Quid circa hoc sen-
tis? DIO. De tam ardua, & sublimi ma-
teria, nequaquam volo aliquid ex me ip-
so asserere, neque de corde proprio vati-
cinari: quid verò de his, secundum sancto-
rum patrum, & authenticorum docto-
rum traditionem, imò & secundum scri-
pturam canonicam, & iuxta reuelationes,
ac visiones desuper (vt pie creditur) fa-
ctas tenendum sit, diligenter inferius in-
troducā. FRATER. Legistis aliquos
doctores præfatum dominum innocen-
tium, in materia ista sequentes? DION.
Hucusque neminem legi, nisi quidam ve-
nerabilis, & deuotus pater ordinis nostri
frater Ludolphus, in tertio volumine de
vita domini Saluatoris, capit 46. sic scri-
bit: Qualem dominus in morte quemquā
inuenit, talem illum in die iudicij iudi-
cabit, qui etiam in morte iudicium suum
cognoscit. Vnusquisque enim Christianus,
in morte Christum videbit, & tunc
cognoscet, an de electis vel damnatis sit.
Vnde Lotharius, qui postea Innocentius
tertius dictus est, in libro de miseria con-
ditionis humanæ sic ait: Videt tam bo-
nus, quam malus, antequam anima egre-

diatur à corpore, Christum in cruce po-
situm: malus ad suam erubescētiā &
confusionem, vt erubescat se non esse re-
demptū sanguine Christi, sua culpa exi-
gente, vnde de malis dicitur: Videbunt *Zach. 12.*
in quem pupugerunt, quod intelligitur
de aduentu Christi ad iudiciū, & de ad-
uentu eius, ad diem mortis. Bonus verò *Apoc. 1.*
videt ad exultationem. Vnde & Chri-
stus de Ioanne euangelista testatur: Sic
cum volo manere, donec veniam, scili-
cet, obitum eius. Quatuor nanque le-
gantur aduentus Christi ad homines, duo
videlicet visibiles, & duo inuisibiles. Pri-
mus aduentus visibilis, fuit in carne, al-
ter erit in maiestate ad iudicandum. Pri-
mus aduentus inuisibilis fit in mente iu-
sti, per gratiam. Secundus aduentus inui-
sibilis, est in obitu cuiuslibet fidelis. Vn-
de dicitur obitus, quoniam obuiam ve-
nit Christo. Hos quatuor aduentus re-
pæsentat ecclesia in quatuor dominicis
de aduentu, non solum numero dierum,
sed etiam ratione officiorum. Hæc om-
nia sumpsit, & allegat Ludolphus ex præ-
fato Innocentij libro, aliqua tamen omi-
tit. Nam ad probandū quòd Christus in
morte appareat singulis, Innocentius ad-

dit: Et hoc habemus ex verbis Aposto-
 1. Cor. 1. qui ait: Vsq̄ue ad diem aduentus domini
 nostri Iesu Christi, id est, vsq̄ue ad diem
 mortis, quando apparet, tam bonis, quàm
 malis, Christus in cruce positus. FRAT.
 Videtur tibi præallegatę autoritatis scri-
 pturę satis probare propositum? DIO.
 Autoritates istę ab expositoribus catho-
 licis, atque authenticis aliter exponuntur
 ad literam idcirco præacta earum appli-
 catio, non satis probat intentum, prout
 hoc infra in speciali ostendam articulo.
 FRA. Quid sentis de hoc quod innocen-
 tius asserit, & Ludolphus allegat, Chri-
 stū in cruce positum singulis creditibus
 apparere in morte, antequam animę egre-
 dian- tur de corpore? an doctores alij cõ-
 muniter id affirmant? DION. Quid cir-
 ca hoc videatur dicendum, infra diligen-
 ter scrutabitur. In nullo quoque doctore
 alio legi hoc, nisi in deuoto quodam tra-
 ctaculo, de arte moriendi, composito à
 magistro Gerardo Rondelli, doctore
 theologię, decano Leodiensis ecclesię,
 nuper defuncto, qui ex Innocentio, hoc
 ipsum allegat, ac tenet. FRATER. Pre-
 cor prosequere, & describe, quid de pro-
 posita quæstione, atque materia, secun-
 dum

dum doctores authenticos, & famulos,
 potius sit tenendum.

*De particulari iudicio animarum, ex
 dictis beati Thomę.*

ARTICVLVS III.

Super quartum Sententiarum, distin-
 ctione vicesima, mouet sanct. Thomas
 hanc quæstionem: vtrum in extremo
 seu vltimo vitę suę, possit aliquis pœ-
 nitere. In cuius solutione inter cętera di-
 cit: Deus qui dat omnibus affluenter nul-
 li suam denegat gratiam, dummodo fa-
 ciat, quod in se est, se ad gratiam præ-
 parando. Præparatio autem ad gratiam
 fit per motū liberi arbitrij. Idcirco quan-
 diu manet homini vsus liberi arbitrij in
 hac vita, tandiu potest pœnitere & veni-
 am obtinere. Talis autem vsus liberi
 arbitrij manet homini, vsq̄ue ad vlti-
 mum vitę præsentis, quia in ea liberum
 arbitrium, nondum est confirmatum in
 malo: ideo vsq̄ue ad extremum vitę, po-
 test vnusquisq̄ue salubriter pœnitere. In-
 super probat hoc, quia sapientia, & mise-
 ricordia dei, vincit humanam malitiam:
 sed homo potest vsq̄ue ad extremum vi-

*An in
 extremo
 vitę ali-
 quis pœni-
 tere possit
 Iaco. 3.*

Iob. 38.

Iudicium
hominis
duplex
quare.

N. num. I.

tæ suæ peccare, ergo potest vsque tunc, per misericordiam dei veniam consequi. Dicit enim super quartū, distinctione vicefima quinta, quod per vinculum carnis anima detinetur in via: Ideo quādiu hoc vinculum non est solutum, manet in via, & statu merendi, ac demerendi. Hinc eodem libro, distinctione. 47. apertius scribit: Quilibet homo est, & singularis persona, est etiam pars quædam totius generis humani. Ideo duplex iudicium ei debetur, vnum singulare, quod fit de eo post mortem, quando recipiet iuxta ea quæ in corpore gessit, quanuis non totaliter, quia non quo ad corpus, sed quo ad animam tantum. Aliud iudicium debet esse de eo, secundum quod est pars quædam totius generis humani, quemadmodum etiam aliquis iudicari dicitur secundum humanam iustitiam, quando iudicium datur de communitate, cuius ipse est pars. Nec tamē deus his iudicat in idipsum, quoniā pro eodem peccato nō infert dua pœnas, quarum quælibet per se sufficiens sit pro illius punitione peccati: sed pœna quæ ante finale iudicium complete inflicta non fuit, in ultimo iudicio complebitur, quando impij cru-

ciabuntur, quantū ad corpus & animam simul. Amplius, idem sanctus doctor in tertia parte Summæ suæ quaestione 53. ait: Iudicium de re immutabili perfectione, (id est, consummatum & certum iudicium) dari non potest ante consummationem, seu finem rei, sicut iudicium de aliqua actione, qualis sit dari perfecte non potest, antequam sit consummata in se, & in suis effectibus: quoniam multæ actiones videntur vtiles esse, quæ ex suis effectibus inveniuntur nociuæ. Similiter de homine iudicium perfectum dari non potest, quādiu vita eius non terminatur.

Porro vita hominis terminatur per mortem, idcirco post mortem datur de eo singulare iudicium. Hinc dicendum quod post mortem, quantum ad ea, quæ sunt ipsius animæ, homo sortitur quendam immutabilem statum: ideo quantum ad præmium animæ, nō oportet differri iudiciū vltra mortem. Rursus in eadē quaestione. Quāuis pœna, seu præmium corporis dependet ex pœna, seu præmio animæ tamen quoniam anima non est mutabilis, quod ad statum merendi, & nō merendi, nisi per accidens, scilicet propter corpus, ideo anima separata à corpore,

statim habet statum immutabilem, & accipit suum iudicium. **F. R. A. T.** Quantum intelligere valeo ex præhabitis sancti doctoris verbis euidenter consequitur, & habetur, quod particulare animarum iudicium fiat post earum separationem à suis corporibus. Nam vsque ad mortem durat status, ac tempus merendi ac demerendi, ipsaque mors est terminus status, ac temporis huius, ita quod statim post eam sequitur immutabilitas status, in qua anima amplius promereri non potest.

D. I. O. N. Rectè consideras, sed audi quid adhuc idem conscribat doctor. Nempe in summa contra gentiles, libro quarto, Anima (inquit) statim cum à corporibus fuerint separata, immobiles secundum voluntatem redduntur, ut scilicet ultra voluntas hominis mutari non possit, neque de bono in malum, neque de malo in bonum. Quandiu enim anima mutari potest de bono in malum, vel econuerso, est in statu pugnae, atque militiae. Oportet nanque ut sollicitè malo resistat, ne ab ipso vincatur, vel ut conetur, quod liberetur ab ipso. Sed statim dum anima à corpore separatur, non erit in statu militiae aut pugnae, sed in statu recipiendi po-

*Anima se
parata im-
mobiles se-
cundum vo-
luntatem
redduntur.*

nam, aut præmium, pro eo quod legitime aut illegitime certauerit: Propter quod vita hæc comparatur militiae, & diebus mercenarij: iuxta illud Iob, Militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij dies eius. Itaque tota hæc vita est via ad aliam vitam, & ad meritum siue de meritum: propter quod ea finita restat iudicium. Hinc in eodem libro ait, Anima est in statu mutabili quandiu corpori vnitur, hoc est, quandiu manet in corpore, non autem postquam fuerit à corpore separata. Dispositio nanque animæ mouetur seu mutatur per accidens secundum aliquem corporis motum. Quum enim corpus deseruiat animæ ad ipsius animæ operationes, ad hoc naturaliter datum est animæ, ut anima in ipso existens perficiatur, quasi ad perfectionem mota. Quanto ergo erit à corpore separata, non erit in statu, ut moueatur ad finem, sed ut in fine adepto quiescat. Ex quibus verbis elicitur, quod quandiu anima non est à corpore separata, est in statu quo possit moueri, sequè conuertere ad vltimum finem, qui deus est, seu beatifica eius fruitio: idcirco quandiu in corpore est, non cõpetit ei iudicari à deo, sed statim post

*2. Tim. 2.
Iob. 7.*

Spo. 2.

Duplex separationem. Præterea eiusdem libri, *penultimo* ait capitulo, Duplex est retributio pro his quæ homo gerit in vita præfenti, vna secundum, animam quam retributionem percipit homo statim quum anima fuerit à corpore separata: alia verò retributio erit in resurrectione corporū. Et prima quidem retributio singularim fit singulis, secundum quòd diuisim moriuntur: secunda autem retributio simul omnibus fiet, secundum quòd omnes simul resurgent. Omnis autem retributio qua diuersa diuersis redduntur, secundum diuersitatem meritum requirit iudicium: Vnum, quo diuisim singulis, quantum ad animam redditur pœna vel præmium: aliud autem cõmune, quo quantum ad corpus & animam reddetur omnibus simul quod meruerunt. *F. R. A.* Satis diffusè, & euidenter ex dictis sancti Thomæ ostendisti intentum. *DION.* Adhuc vnum ipsius testimonium introducam, id quæ doctor iste super secundum Sententiarum distinctione septima, causam obstinationis, & impœnitentiæ angelorum, qui corruerunt assignas. *Quæ* admodum (inquit) impossibile est à voluntate indeclinabiliter adhærente recto

fini procedere culpam, ita e contrario impossibile est à voluntate adherente incõuertibiliter peruerso fini procedere actū bonum. Peccatum autem voluntatis conuenit dupliciter circa finem: Primò, ex passione abducente rationem ab actuali consideratione recti ac debiti finis, & taliter peccans pœnitens passione cessante. Secundò, ex malitia quæ secundum philosophum septimo Ethicorum, corruptiua est finis. Dicitur namq; ex malitia peccare qui ex electione prauis finis est peccans, eo quod qualis est secundum habitū, talis finis videtur ei conueniens, sicut qui habitualiter luxuriosus est, finem sibi cõstituit in delectatione Venerea. Et cum error circa finem in operabilibus sit, sicut error circa prima principia in speculabilibus, circa quæ errantem non contingit retrahi ac dirigi ex aliis magis notis, oportet quòd si peccans sit impœnitens, ut ibidem ait Philosophus. Igitur de peccato nullus potest pœnitere, nisi vel passione cessante, vel remoto habitu quo finem malum elegit. Remoueri autem habitum non est possibile, nisi in eo qui est in statu viæ & mutabilitatis. Vnde quæcunque aliquis deuenit ad terminum

viæ, non potest deflecti ab eo fine cui in-
 hæsit, siue sit bonus, siue malus. Finis ve-
 rō hominis est mors sua, & finis angeli est
 terminus suæ electionis, quo bono adhæ-
 sit vel malo. Vnde sicut homines post
 mortem confirmantur in bono vel malo,
 ita angeli post auersionem vel conuersio-
 nem: Hæc Thomas. Ex cuius verbis sic
 argui potest, Deus particulari suo iudicio
 non iudicat animam morientis, quousq;
 ipsa finaliter & indeclinabiliter fixerit se
 in bono aut in malo, hoc est, in auersio-
 ne à deo vel in conuersione ad ipsum.
 Indeclinabilitatem autem seu immuta-
 bilitatem suæ conuersionis aut auersio-
 nis non consequitur, nisi via completa,
 id est, post mortem: idcirco nec iudica-
 tur nisi post mortem. FRAT. Quauis
 hæc rationabiliter dicta videantur, attam-
 en circa præallegata verba Thomæ du-
 bitatio mihi occurrit. Quomodo enim
 affirmat peccatum voluntatis dupliciter
 contingere, scilicet ex passione & mali-
 tia, quum dicatur communiter quod cō-
 tingat tripliciter, vtpote ex ignorantia,
 infirmitate seu passione, & ex malitia?
 D I O. Duo illa tangendo, tertium non
 excludit. FRAT. Qualiter ergo stabit

quod dixit, De peccato nullus potest pœ-
 nitere nisi vel passione cessante, vel habi-
 tu malo remoto, quum is qui ex ignoran-
 tia peccat, cessare queat à culpa, ignoran-
 tia sua per eruditionem ablata? D I O. Di-
 ci potest quod Thomas distinguit & lo-
 quitur quantum ad propositum sufficit:
 vel quod tertium illud ad aliquod horū
 reducatur duorū. FRAT. Ex aliis quoq; do-
 ctoribus præinducta (si placet) declara.

*Ex dictis domini Bonaurentura, Alexan-
 drides Hales, & aliorum doctorum de eadem
 materia, & præsertim de modo, forma, ac du-
 ratione particularis iudicij.*

ARTICVLVS. IIII.

DIONYSIVS.

DEuotus doctor Bonaurentura super
 quartum Sententiarum, distinctione
 viceßima: Credendum est, ait, q
 in egressu animæ à corpore assistunt spi-
 ritus bonus & spiritus malus, vel vnus
 vel plures, & tunc secundum veritatem
 ferri sententiam: & si bona est anima per
 ministerium angeli boni adduci eam in
 cælum aut in purgatoriū, quousque pur-
 gata per eius ministeriū educatur: si vero

fit mala, per ministerium angeli mali dicitur ad infernum. Hoc inquam magis probabile, magis est concedendum, quavis in hac parte nihil sit timere asserendum. **F R A.** Ex his apparet quod anima iudicetur in eius ingressu à corpore non post egressum: cum dicat, tunc. **D I O N.** Quod ait tunc, intelligendum videtur, i. tempore illo, vtpote mox post egressum. Nam vltimū instans quo anima est in corpore, pertinere sensetur ad tempus quo in corpore mansit, tanquam illius temporis finis. Denique, iuxta hunc sensum idē doctor asserit super quartum distinctione 21. Sicut contingit regnum dupliciter obtineri, videlicet integrè & perfectè siue in toto, & alio modo secundū partem. siue in anima, sic duplex est iudicium & duplex sententia. Nam sicut homo glorificatur, secundum partem, ita particulariter iudicatur, & de eo sententia fertur quando anima de corpore egreditur. Iudicium autem vniuersale erit, quādo homo erit glorificandus secundum corpus & animam. Præterea his concordant quæ irrefragabilis doctor Alexander de Hailes scribit in Summa sua & super secundum Sententiarum, & item quæ Thomas

de Erfordia de hac ipsa scripsit materia. **F R A.** Ex præallegatis Bonauenturæ verbis manifestè sequi videtur quod animæ morientium præsentantur iudici summo non in cælo, sed infra in medio loco, qui inter cælum & infernum ac purgatorium medijs perhibetur. Ait enim, quod data sententia si anima fuerit bona, deducitur ab angelo sancto ad purgatorium vel ad cælum: si mala, deducitur per dæmonem ad infernum. Ad iudicem: etenim impertinet diffinire quo deducenda sit anima, & quantum ac qualiter punianda. **D I O N.** Bene consideras, nihilominus obseruandum quod docet Bonauentura, vt scilicet de his nihil temerè asseratur. **F R A T.** Qualiter anima iudicij præsentatur? **D I O N.** Cum anima sit inuisibilis & incorporalis substantia, cõstat quod inuisibiliter præsentetur, tamè verè realiter. Iudex autem secundū suam deitatem verè vbiq; est. **F R A.** Qualiter profert sententiā? **D I O.** Quum anima relicto corpore nō vtatur auditu corporeo, non profertur de ea iudicialis sententia verbis vocalibus, sed intellectuāli locutione, qua animæ notificatur spiritaliterq; exprimitur, & intus ostēditur, quid

promeruit, quo ducetur, quid pro merce-
de suscipiet. F. R. A. Quid de duratione
huius iudicii sentis? D. I. O. In momento
peragitur & completur, præsertim cum
diuinæ, omnipotentis infinitæque potesta-
ti cōueniat agere in instāti. F. R. A. Quo-
modo possunt præsentatio, accusatio, dis-
ceptatio atque sententiæ prolatio, quæ in
particularibus quoque iudiciis fieri suo
modo creduntur, instantaneè fieri & cō-
pleri? D. I. O. Quid hoc miraris de par-
ticulari iudicio cum de generali quoque
iudicio dicant doctores quàm plures su-
per quartum Sententiarum, quòd in mo-
mento complebitur? ad quod allegant
quod ipsemet iudex apud Lucam prote-
stat: Sicut fulgetrum coruscans de sub
cælo in ea quæ sub cælo sunt fulget, ita
erit filius hominis in die suo. Quod in
Mar. 24. Matth. ita exprimitur: Sicut fulgur exit
Matt. 14 ab oriente, & apparet vsque in occiden-
tem, sic erit aduentus filij hominis. Hinc
Thomas super quartum sententiârū di-
stinctione quadragésima septima loqui-
tur: Probabilis æstimatur quòd totum
illud iudicium & quò ad discussionem &
quò ad accusationem malorum ac com-
mendationem bonorum, & quò ad sen-

tentiâ de vtrisque mentaliter percipitur, *Liber vi-*
& per consequens in momēto fieri pos-*ta quid.*
sit. Hinc vicefimo de Ciuitate dei loqui-
tur beatus Augustinus: Liber vitæ de quo
in Apocalipsi habetur, intelligenda est
vis quædam diuina, qua fit vt vniciue
opera sua bona aut mala ad memoriâ re-
uocentur: & mentis intuitu mira celeri-
tate cernantur, vt accuset vel excuset sci-
entia conscientiam, atque sic simul omnes
& singuli iudicentur. Porro si vocaliter
singulorum facta narrarentur, inæstima-
bilis magnitudo temporis ad hoc exige-
retur. F. R. A. Video mihi esse responsum,
sed quum frequenter vna hora tot millia
hominum moriantur, & quasi in eodem
modo, quod in magnis solet præliis eue-
nire, quomodo possunt tot animæ simul
eodem iudicari momento? D. I. O. N. Iam
ad hoc data est responsio, quoniam in cir-
cumscribibilis atque omnipotens iudex
ita faciliter iudicat eodem momento mi-
le animas sicut vnam. Nūquid difficilius
ei est, multas animas eodē momento aut
instante iudicare quàm creare? Ex his eti-
am innotescit, quàm mendosum & fatuū
sit, quod impiissimus Saracenum de-
ceptor Mahumetus affirmat dicendo q̄
*Ineptie
& man-
datum.
Mahu.*

finale illud generale iudicium durabit per quinquaginta millia annorum. Omnino enim irrationabile esset, iniustum & indecens, deum iustum, sapientem ac omnipotentem, sanctos & electos tam diu differre à mercede & gloria, aut occupari tam diuturnè ad iudicandū genus humanum, qui in principio solo imperio cōdidit mundum. **F. R. A.** Ex autoritate illa & verbis Christi, quæ ex Luca & Matthæo iam allegasti, videtur necessario scē, qui, quod finale illud iudicium instar fulguris instantaneum momentaneūve cōsistet. **D. I. O. N.** Hoc planè consequeretur, nisi verba illa possent & aliter accipi & exponi. **F. R. A.** Qualiter exponuntur & aliter? **D. I. O.** Hi qui putant finale iudiciū per tempus notabile duraturum, dicunt quod Christus præ al' e rata protulit verba non insinuandum illius iudicij momentaneam durationem, sed ad designandum sui aduentus clarā & omnibus visibilem manifestationem.

Confirmatio eorum que dicta sunt de loco & tempore particularis iudicij, ex verbis sanctorum patrum & precipuorum doctorum.

*Gene. 1.
Luc. 17.
Matt. 24*

ARTICVLVS V. DION.

Quam periculosum sit pœnitentiam vsque ad finem differre, & tamē in fine posse hominem pœnitere, testatur beatus Augustinus Periculosum est, inquit, pœnitentiam vsque ad finem vitæ differre, si tamen tunc vera, habetur pœnitentia, hominem liberat, & spiritualiter mortuo vitam gratiæ impetrat: non tamen sic, vt nullam sentiat pœnam, nisi fortè tanta sit vehementia contritionis & gemitus, quæ sufficiat ad punitionem iniquitati. Licet ergo difficile sit vt tunc vera sit pœnitentia, quando venit tam sera, dum cruciatus membra ligat & dolor opprimit sensum, ita vt homo vix valeat aliud aliquid cogitare, melior tamen est pœnitentia sera quàm nulla. Pœnitentia nanque si in extremo vitæ hiatus aduenerit, sanat ac liberat. Hinc Magister sententiarum asserit quarto libro: Sciendum quod pœnitentiæ tempus est vsque ad extremū articularum vitæ. Ideo ait & Leo papa: Nemo est desperandus dum adhuc in corpore est constitutus, qui nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur. Ex quibus fatis

*Psal. 38.
& 148.*

sequi videtur, quòd anima non iudicatur antequam de corpore egrediatur. Denique, ad hoc probandum allegat Climachus quod ait scriptura: In quo inueni- ro te, iudicabo te, dicit dominus. Hinc

Ezech. 7. Damascenus libri secūdi capitulo tertio contestatur: Quod angelis est ruina, hoc hominibus est mors: quia nec angelus post ruinam, nec homo post mortem est pœnitentiæ susceptiuus. Omnes autem

Eccle. 11. istiusmodi autoritates fundantur in scri- ptura canonica. Nā & in Ecclesiaste scri- ptum est: Si ceciderit lignum ad austrum vel ad aquilonem, in quocunque loco ce- ciderit, ibi erit. In quibus verbis per li- gnū intelligitur homo, per casum mors, per austrum fors seu societas electorum, aut feruor charitatis seu splendor virtu- tum, per aquilonem frigus vitiorum seu consortium reproborum. Itaque sensus est, quòd in ea affectione & dispositione mētis, qua anima recedit à corpore, per- manet in æternū, ita quòd ad electorum numerum pertinebit, si in charitate dis- cesserit: ad reprobos verò, si igne dile- ctionis carnis in torpore pigritiæ & pec- cato abierit. Vnde & per Ezechielem do- minus secundum antiquam translationē

asseruit.

asseruit: In quacūq; hora ingemuerit pec- cator, omnium iniquitatum eius amplius non recordabor. Præterea, dominus An- tiodorēsis scribit in tertia parte Summæ suæ, & idem fatetur Alexander de Ha- les, quòd quauis deus omnipotēs sit, nō tamen posset homini absoluta assertionē prædicere quòd sit dānandus quia sic ho- mo teneretur desperare. Si autē anima iu- dicaretur à deo antequā egrederetur de corpore, desperare mox teneretur adhuc in corpore manēs, quod opinari nō licet.

Obiectiones contra præhabita, & respon- sio ad easdem.

ARTICVLVS VI.

FRATER.

Copiosè probasti, quòd homo vsque ad vltimum instans vitæ præsentis inclusiue, possit salubriter pœnitere. Quid ergo est, quod sanctus Gregorius in homiliis suis & alibi de quibusdā mo- riantibus recitat, quòd in extremis agē- tes viderunt teterrimos spiritus in spe- ciebus Aethiopum aut draconum ad se venientes, propter quod fuerunt valde

Cc

perterriti atque inducias petierunt, in quibus utique pœnitere proposuerunt, & tamen affirmat S. Gregor. quod totū illud illis profuit, nec propter corū emēdationē, sed ob nostram admonitionem talia demonstrāem sunt ipsis. Ex eisdem recitationibus videtur, quod illi iudicati fuerint à deo antequam migrauerunt à corpore. Nam & vnus eorum astantibus dixit, Draconi ad deuorandum datus sum. Insuper Climach⁹ refert de quodam magno anachoreta nomine Stephano, qualiter ante migrationem suam à corpore in ecstasi mentis positus, apertis oculis intendebat ad dexteram lectuli ac sinistram: & quasi ad reddendam rationem à quibusdam exactus, cunctis qui aderant audientibus, dixit interdum sic: utique verum est sed cōfessus sum, & tãto tempore ieiunavi pro isto. Quandoq; sic: Nequaquam, sed mentimini, illud nō feci. Aliquando verò: Verum est quod hoc feci, sed ploraui & domino ministraui. Atque nōnunquam: Hoc feci, nec respōdere possum, sed deus misericors est. Eratque horribile & horrendum executionum inuisibile illud rationis exacta, & hic tantus ita sub rationis reddēdę ex-

actione positus, recessit à corpore. Ecce ex hac narratione videtur, quod anima ante recessum à corpore iudici presentetur, & rationē reddere exigatur & accusetur, Ampli⁹ in epist. ad Hebr. ait. Apo. *Heb. 12.* quod Esau nō inuenit pœnitentię locum, quāquā cū lachrymis inquisisset eū. Conformiter de Antiocho fertur, quod orauit scelestus dominum à quo nō erat misericordiā cōsequutus, qui tamē valde pœnituisse videtur. Nam & inter cetera sua promissa vouit se Iudæū futurum, & totam terrā sanctam peragraturū ac predicaturum dei potentiā, ac templū eñe se ornaturum optimis donis. Postremò in Prouer. loquitur increata sapiētū de iniquis adhuc in corpore cōstitutis, quia vocaui & renuistis, despexistis omne consiliū meū, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro gaudebo: & subsannabo, cū vobis quod timebatis aduenerit, cū irruerit repētina calamitas, Tūc inuocabūt me, & nō exaudiaū: mane cōsurgēt ad me, & nō inueniēt me. At verò per Moſen de⁹ dixit ad Pharaonē: Quia in hoc ipsū excitauit te vt ostēdā *Exo. 10.* in te fortitudinē meā, &c. p. q̄ verba pronūciauit ei suā reprobationē. Adhuc autē *Rom. 9.* *Mat. 26.*

Luc. 22. ipse Saluator apertissimè dixit de Iuda:
Mar. 14. Vx homini per quem filius hominis tra-
Isidem. detur. Bonum ei esset si natus non esset.
 Et hoc Iudas intellexit proferri de se. Pe-
 tro quoque prædixit: In hac nocte ter me
 negabis, non tamen ob hoc Petrus despe-
 rauit, desperare debuit se posse euade-
 re trinam illam negationem. Postremò
Ioan. 3. apud Ioan. legitur: Qui non credit, iam
 iudicatus est, quia non credit in nomine
 vnigeniti filij dei. Infideles ergo iam an-
 te obitum suum sunt iudicati. Iterum mul-
 ti sanctorum suscitauerunt defunctos, e-
 tiam eos qui in mortalibus obierunt pec-
 caris, qui non fuerunt iudicati in morte,
 imò doctor ille Parisiësis, cuius damna-
 tionis occasione sancto ordo noster sum-
 psit exordium, primo die post obitum suum
 miraculose se erigens perhibuit esse se ac-
 cusatum, secundo die dixit se iudicatum,
 tertio condemnatum. Nō ergo videtur,
 statim post mortem suam iudicatus & cō-
 demnatus fuisse. Cū similia multa possem
 obicere, sed ex horum (vt reor) solutio-
 ne patebit ad illa responsio.

*Instantio-
 nis ordinis.
 Carthun-
 siensis ex-
 ordii &
 origo.*

Solutio instantiarum istarum.

ARTIC. VII. DION.

EX charitatiua & modesta disputatio-
 ne veritas clarius innotescit. Ideo
 tua obiecta sunt diligenter soluenda:
 & quoniam ea quæ ex verbis beati Grego-
 rij obiecisti, duplicem includunt impu-
 gnationem, videlicet quòd multi in fine
 vitæ suæ nequibant veniam obtinere, &
 item quòd tales videntur ante suum obi-
 tum iudicati: Idcirco ad primum respon-
 deo: quòd tanta est pietas dei, quòd nul-
 li facienti quod in se est, veniam negat
 aut gratiam, sed ipse cordium est inspe-
 ctor, nec humanæ astutiæ verbis ex repē-
 tino aut vehementi timore prolatis deci-
 pi potest. Porro, vt Bonauentura super
 quartum fatetur, tunc dicitur homo face-
 re quod in se est, quando toto posse suo
 detestatur peccata, in quantum peccata
 sunt, vtputa foeda & vilia, & cōtra iusti-
 tiam, offensiuæque dei: & hoc est detesta-
 ri ac vitare peccata ex zelo quodam iu-
 stitiæ & quodam dei amore, & vltra hæc
 inuocat dei auxilium, ac ea quæ deus re-
 quirat ab ipso, proponit implere. Qui au-
 tem ex solo, seruili timore detestatur pec-
 cata, & pœnitet, emendationem que spon-
 det, is quantum in se est adhuc amat ini-

*Timor ser-
 uilis sine
 merito.*

quitatem, nec ad bonum honestum afficitur, neque ad deum, sed solo horrore incommodi proprii incitatur ad poenitendum: quod non est meritorium apud infallibilem iudicem, quoniam ex amore proprio & priuato procedit. Nec dubites quin tales fuerunt de quibus ex Gregorio obiecisti. Ad aliud dico, quod illi non fuerunt ante suum obitum iudicati, quanuis quaedam signa suae instantis diiudicationis, vel ob eorum commonitionem, vel ad nostram praemouitionem apparuerunt eis. Is quoque qui dixit: Draconi datus sum ad deuorandum, ita putauit, non tamen sic fuit. Nam & paulo post verè poenituit. Ad id quod ex Ioanne Climacho obiecisti, ab irror respondendum, quod secreta dispensatione omnipotentis, & ex specialibus causis altissimo notis, anachoreta ille ante obitum suum sic fuit exactus reddere rationem, & accusantibus eum daemonebus, ita respondit, vt etiam sancti viri humiliant se, & vt agnoscamus quam metuenda, & districta sint dei iudicia in obitu singulorum. Climachus tamè non refert, quod anachoreta ille accepit diuini

nam sententiam ante animae suae de corpore, egressionem: & dato quod ante egressionem acceperit. eam, hoc tamè praedictis non obuiat: quia intelligenda sic sunt, quod de lege communi fertur iudicium post animarum egressionem. Omnipotens autem & superbeatissimus deus, nulla lege arètur. Certum est etiam quod multis electis & sanctis reuelata fuit diuinitus futura eorum saluatio, antequam exierunt de corpore, quod fuit ex gratia speciali. Nam & diuino ac sancto Dionysio in carcere clauso, apparuit Christus. Dànscue electo illi proprium corpus: Accipe, inquit, hoc o chare meus, qui a merces tua apud me magna est nimis. Deniq, scilicet Mart. astanti, dixit diabolo, Recede à me funeste, nihil in me reperies. Abrahà me finus suscipiet. Cõformiter sanctus pater noster Hugo Lincolnienfis episcopus, positus in extremis disseruit, Non erit iudicij, sed refrigerij dies, cum defunctus fuero ego. Ad illud quod de Esau obiecisti, dicendum quod verba Apostoli intelliguntur ad literam, quantum ad hoc quod Esau non inuenit poenitentiae locum, ita vt posset recuperare ius primogeniturae, quam vendidit fratri suo: si tamen

Hebr. 12.

post ea pœnituit verè de suis peccatis, ve-
niam est adeptus. Communiter tamen te-
netur, quòd ad finalem pœnitentiam nõ
peruenit, lachrymæ quoque ipsius non
fluxerunt ex vera contritione, sed magis
ex impatientia, & indignatione aduersus
Iacob, vt Haymo scribit, vel ex dolore a-
misionis paternæ benedictionis, quantũ
ad temporalem prosperitatem, quam ma-
gis, quàm æternam felicitatem amauit.

1. Mac. 9.

Similiter ad instantiam illam de Antio-
cho factam, dicendum quòd calidissimus,
ac sceleratissimus ille ex præfenti dolore
sibi infligto, & timore maioris supplicij,

Prover. 1.

atque ex desiderio recuperandæ incolu-
mitatis, non aliquo iustitiæ zelo, aut vir-
tutum amore pœnituit. Idem dicendum
ad verba Salomonis, quæ tetigisti. Ad ea
quæ de prænuntiatione facta Pharaoni
adducta sunt, respondet Gulielmus An-
tiofiodorensis, in secunda parte Summæ
sue, quòd dum deus alicui prædicat suam
culpam, aut condemnationem, intelligen-
dum est dictum hoc esse sub conditione,
videlicet nisi pœnituerit, aut cauerit sibi.
Nec deus hoc prædicat ad certificandum
aliquem de sua culpa, aut cõdemnatione,
quia sic ei præcluderet viam salutis. Per

quod patet responsio ad obiecta de sacra *Matt. 26.*
tissimo Petro, & nequissimo Iuda. Ad id *Mat. 14.*
quod tactum est, quòd non credètes iam *Ioa. 3.*
iudicati sunt: responderetur, verba illa sic
esse intelligenda, quòd sententia de eis
in communi, nunc data est & sub condi-
tione, videlicet nisi conuertantur ad fi-
dem: & quoniam habent in se manifestam
causam damnationis, quum sint absque
fidei fundamento, nec aliquod boni me-
ritorij habeant sibi admixtum: vnde nec
iudicio disceptationis sunt iudicandi. Ve-
runtamen loquendo de iudicio retribu-
tionis, iudicantur singulatim in morte,
quantum ad animam: generaliter quo-
que in die nouissimo, quo ad corpus &
animam. Nam & deus iustus, ac sanctus
præfigit eis mensuram pœnarum iuxta
mensuram exigentiãque culparum.
Non enim omnes æquè iniqui sunt. Ita-
que & eis ad memoriã reuocantur, ac
desuper ostenduntur vniuersa eorum pec-
cata, vt sciant se iustè damnati, nec ratio-
nabiliter conqueri queant. Præterea, ad
id quod obiecisti de resuscitatis, concor-
diter dicunt doctores quòd in mortali
culpa defuncti & resuscitatis non fuerũt
à iudice summo omnia præsciente finali

sententia condemnati, sed præcius futuro-
rum omnipotens, ob id quod sciunt futu-
rum suspendit ac distulit eorum finale &
absolurum iudicium, interim tamen fue-
runt adiudicati tormentis ad tempus. Ad
vltimum respondendum, quod quanuis
ille defunctus vicibus interpolatis appa-
ruit, & narrauit se esse accusatum, iudica-
tum, & condemnatum, tamen omnia illa
potuerunt, simul esse peracta. Tribus quip-
pe apparuit vicibus, vt plures conflerent,
& miraculum tãto celebrius redderetur,
ac fructus copiosior sequeretur. Vel deus
dispensatione speciali, ac rationabili sus-
spedit damnationis illius iudiciale senten-
tiam, ob causas præactas. Quanuis enim
de lege communi fiat singulorum
particulare iudicium, statim (vt dictum
est) post animarum à corpore exitum, ni-
hilominus certis ex causis potest omnipo-
tens aliter agere de quibusdam, differen-
do de eis sententiam. **F R A T E R.** Non so-
lùm ad obiecta lucidè ac rationabiliter
respondisti, sed etiam ex iam præactis
aduerto, quid de infidelium generali, ac
particulari iudicio sit tenendum. Attamè
opto agnoscere, an etiam angeli sancti
stant in fidelium animabus, dum iudicã-

tur: & videtur quod non, quoniam anime
illæ nihil boni deferunt secum, nec pos-
sunt iuari. Nam & Apostol. loquitur,
Omne quod nõ est ex fide, peccatum est.
D 10. Apud Danielem legitur, quemad-
modum Gabriel angelus dixit ad Danie-
lem. Princeps Persarum restitit mihi vi-
ginti & vno diebus. Quod sanctus Gre-
gorius & Thomas ac alij multi exponunt
de angelo sancto, qui præfuit toti genti
Persarum, qui angelus fuit de tertio ordi-
ne, vtputa Principatum choro, sicut &
Michael, qui præfuit tunc synagoge. Què-
admodum ergo angelus ille coram deo
descendit pro posse causam plebis Persa-
rum sibi commissæ, quanuis gens illa fuit
idololatra: sic forsàn quis opinari potest
quod angeli sancti custodes infidelium sin-
gulorum comitentur animas sibi commis-
sas vsq; ad dei iudicium, quatenus à dæ-
monum accusatione eas quatum queant,
releuent vel excusent: & bona ex gene-
re quæ egerunt in corpore pro ipsis
allegent. Quanuis etenim infideles ni-
hil meritorij operentur, agunt tamen
aliqua bona ex genere, præsertim qui v-
nius veri dei, qualescunque sunt cultor-
es, vt subuenièdo pauperibus, honoran-

*Rom. 14.
Danic. 10*

Danic. 12

do parentes, deum laudando, & illi fer-
 san velēt eis ex infinita misericordia dei,
 ad suarum minorationem, aut mitigatio-
 nem precarum. Veruntamen quicquid
 agunt propter finem, quem in sua perfid-
 ia præstolantur, peccatum censetur, ut
 si Saracenus eleemosinam largiatur, qua-
 tenus tandem in paradiso terrestri, carnis
 voluptatibus perfruatur, prout in Alcho-
 rano promittitur. Hinc quod ait Aposto-
 lus, *Rom. 14.* Omne quod non est ex fide, pecca-
 tum est, ita exponitur: Omne quod est
 contrarium fidei, culpa est. *F. R. A.* Verbum
 illud ex Daniele, iam allegatum, Prin-
 ceptis Persarum restitit mihi, putabam de
 angelo malo, seu demone intelligendū.
Dent. 10. Quomodo enim inter sanctos angelos
 potest pugna, aut resistentia esse cum
 scriptum sit, Potestas & terror, apud deū
 est qui facit concordiam in sublimibus
 suis? *D. I. O.* Quamuis questio ista non mul-
 tum sit speculationis præsentis, tamē bre-
 uiter respondebo. Atque id fateor, quod
 & sanctus Hieronymus super *Daniclem*,
 auctoritatem illam exponit de angelo ma-
 lo, opinatiuē tamen, & sobriē, non asser-
 tiuē. Aptius tamen videtur exponenda
 de angelo bono, quoniam angelus ille

non potuisset tot diebus resistere Gabrie-
 li, nisi iustam causam aliquam habuisset:
 & si iustam habuit causam, potuit resi-
 stētia illa fieri per angelum bonum. Ita-
 que iuxta expositionem Gregorij, cum
 imperscrutabilia sint diuina iudicia, eo-
 rum profunditatem non intelligunt an-
 geli sancti, nisi in quantum eis diuinitus
 reuelatur: idcirco non semper agnoscunt
 quid unicuique plebi aut homini debeat-
 ur, secundum dispositionem atque iudi-
 cium dei, quousque eis desuper reuele-
 tur. In diuersis autem gentibus sæpe sunt
 diuersa merita & demerita, propter quæ
 vna debeat alteri subdi, vel ab eius domi-
 nio liberari. Quilibet verò angelus me-
 rita plebis deputatæ suæ custodiæ ad di-
 uinæ iustitiæ examen ac iudicium referri:
 sicque angelorum sanctorum mutua pu-
 gna nihil aliud est, nisi reuelationes & al-
 legationes contrariorum meritorum ple-
 bium eis creditarum, dum vnus angelus
 sanctus allegat pro plebe sua aliqua bo-
 na & angelus alius pro Gente sibi com-
 missa, allegat meliora quæ potest. Nihil-
 ominus inter angelos sanctos vera con-
 cordia est, nulla dissensio, quoniam dei
 sententiam vnanimiter præstolantur: &

Rom. 11.

quicquid iudicauerit deus, concorditer volunt & approbant. FRATER. An sicut quilibet homo habet duos angelos, unum in custodem, alium in tētatorem, sic quilibet gens habeat angelum unum bonū, pro communi custode, & alium malum, pro generali impugnatore? D I O. Hoc ex verbis Hierony. Bedæ, Alberti, Thomæ & aliorum manifestè habetur, non sed nimum euagemur.

Responsio ad auctoritates quibus aliqui probare conati sunt, quòd anima iudicetur à Christo antequam egrediantur à corpore.

ARTICVLVS. VIII.

FRATER.

Quia hucusque probasti, quòd animæ iudicatur finita hac vita, restat vt ad auctoritates alteri⁹ positionis respondeas. D I O N Y S. Ad primam illam auctoritatem: videbunt in quem pupugerunt, dicendum quòd ad literam loquitur de Iudeis qui Christi crucifixionem procurauerunt, & de Pilato, ac eius ministris, qui impleuerunt. Vnde ad hunc

sensum allegatur ista auctoritas à Ioanne, qui dicit, Videbunt in quem transfixerūt. Similiter in Apocalypsi, vbi legitur, Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Sicque Augustinus, Beda, Albertus, & alij eam exponunt. Loquitur quoque auctoritas ista ad literam de finali & generali iudicio. Siquidem in Apocalypsi immediatè ante hæc verba pramittitur. Et ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & hoc dicunt ibi expositores. Sumpta est quoque ista auctoritas ex Zacharia propheta, vbi legitur, Aspicient ad me, quem confixerunt. Secunda auctoritas vtputa, vsque ad diem aduentus domini nostri Iesu Christi, habetur in prima Thesalonicenses, & in Glossa exponitur, vsque ad finem vitæ presentis. Sic etiam Gorra exponit. Veruntamen confidendum est, quòd Christus veniat ad quemlibet morientem, non quòd ad singulos personaliter veniat, & descendat, sed per effectum suæ pietatis, seu æquitatis venire asseritur, visitando, atque iudicium exercendo, quemadmodum in Apocalypsi comminatur quibusdam: Alioquin veniam ad te, tanquam fur, & veniam tibi cito.

Ioan. 21.

Sic etiam potest exponi quod dicit dominus de Ioanne, Sic cum volo manere, id est, in hac vita expectare, ac perseuerare, & in vita contemplatiua quiescere, donec veniam tempore mortis suae, eum ad me gratiosè vocando, & assumèdo. Denique quauis Christus visibiliter apparuerit Ioanni apostolo, & eum de beatitudine sua assecurauerit ante obitum eius, ex hoc non sequitur, quòd aliis omnibus ita appareat: quia vt sanctus Augustin⁹ exponit, quòd Christus voluit Ioannè ita manere donec veniret, fuit priuilegium speciale. Priuilegium autè dicitur quasi lex priuata, vt Gratianus fatetur. Idcirco ex hoc non sequitur lex communis.

Declaratio ex Reuelationibus sanctae Brigittae viduae, quòd anima iudicantur post egressum a suis corporibus.

ARTICVLVS. IX.

Exempla ex Reuel. sanct. Brigittae.

Libri quarti, capitulo septimo caelestium reuelationum Brigittae sanctae narratur qualiter in imaginaria apparitione videbatur ipsi Brigittae, in oratione vigilantis, non dormienti, quòd daem

mon clamauit ad iudicem summū de anima cuiusdam peccatoris, adhuc in corpore existentis, & protinus exituræ: O iudex ad iudica mihi hanc animam, & audi opera eius. Modicum enim restat de vita ipsius in corpore. Permitte etiam mihi punire corpus cum anima, donec ab inuicem separentur. Ad quod angelus bonus animæ custos respòdit, Misericordia dei, quamlibet anima sequitur vsque ad mortem, & vsque ad vltimum punctum vitæ, & postea fit iudicium. In isto autè adhuc coniuncta sunt corpus & anima, & manet discretio. Deinde in visione illa describitur qualiter anima illa precibus virginis gloriosæ, & amicorum dei, accepit à deo gratiam veræ còtritionis ante suam à corpore egressionem. Propter quod angelus sanctus dixit ad Brigittam, Tu prius audisti quòd propter preces amicorum dei illa obtinuit veram contritionem ex charitate modicum ante mortem, quæ contritio separauit eam ab inferno. Ideo post mortem iudicauit iustitia quòd ardere debeat in purgatorio. Multa alia in visione hac describuntur, sed ex his patet propositum. Præterea in alia visione, in eodè legitur libro, quemadmodum de anima

Alind exemplum.

coram deo, grauissimè accusata, angelus eius dixit, Audi ò iudex qui omnia nosti, audi vltimam cogitationem & affectionem quam anima ista habebat in corpore. Ipsa quippe in vltimo puncto sic cogitauit, O si deus vellet mihi dare spacium vitæ, vellem vtique libenter emendare mea peccata, omnique tempore vitæ meæ deo seruire, nec eum vnquam offendere. Memento etiam domine iudex quod persona ista non vixit tandiu, quod obtinere; plenè intelligibilem conscientiam. Ideo iuuentutem eius attende, & facito misericordiam. Tunc responsum est de libro iustitiæ. Talibus cogitationibus in fine non debetur infernus. Et ait tunc iudex, propter passionem meam aperietur huic animæ cælum, cum fuerit sufficienter purgata. Insuper septimo libro Reuelationum beatae Brigittæ recitatur diffusè qualiter beatissima virgo animam Caroli militis, filij sancti. Brigittæ de corpore exeuntem defendit, atque ad obtinendum æternam felicitatem adiuuat, in qua visione misericordissimæ virgo inter cætera ait, Statim dum egressa fuit à corpore anima, accepi eam in meam custodiam. Deinde dixit ad Brigittam. Qualiter post mortem ipseus

Aliud.

Caroli filij tui factum est iudicium animæ eius, ostenditur tibi cum mihi placuerit. Porro diabolus aduersus sacratissimam virginem exclamauit, Ego ò iudex coram te conqueror quod mulier ista, quæ est mater tua, fecit mihi in iustitiam de anima ista. Nam ego secundum iustitiam, postquam egressa fuit de corpore, debui mihi eam assumere, & antequam iudicium præsentare. Amplius sexto Reuelationum illarum libro, describitur qualiter dæmon animam cuiusdam defuncti coram deo, accerrimè accusauit, quia putauit eam in mortali peccato emigrasse de corpore suo. Virgo autem dulcissima gratiosè accedens, atque subueniens, dixit iniquo, Præcipio tibi diabole, vt mihi respondeas, quoniam domina tua sum: Dic mihi, scis tu vniuersas hominis cogitationes? Et respondete illo quod non benignissima virgo ostendit quod anima illa in fine vitæ suæ vehemèter penituit, quod itè nullus est tam immundus peccator, aut tam auersus à deo, quod nõ posset penitere, & veniam consequi quando viuat in mundo. Ex quibus omnibus multisque aliis visionibus, verbis ac reuelationibus in præallegato libro

Aliud.

descriptis, monstratur quod animæ post recessum à corpore iudicatur, & quod iudicia talia fiant inuisibiliter in momēto, quanuis per corporalia prolixè ac similitudinariè exprimantur & reuelētur, quoniam aliter ab hominib⁹ in carne de gentibus nequeunt comprehendi.

Confirmatio predictorum ex his que in libro de obitu sancti Hieronymi recitantur.

ARTICVLVS. X.

DIONYSIVS.

*Exemplum
ex Cyril.
episcopo.*

Refert (vt creditur) sanctus Cyrillus Ierosolimitanus episcopus quemadmodū defuncto glorioso Hieronymo, quædam inter Græcos orta sit hæresis negans purgatorium esse, & asserens animas sanctorum ac electorum ante futuram generalem resurrectionem nō potui resuscitari se ad beatificam deitatis pertingere visionem, nec animas impiorum interim sentire Hie. sibilem pati pœnam. Ad cuius impiissimæ hæresis extinctionem sanctus Hiero. defuncto. tūc defunctus, procurauit à Christo tres mortuos suscitari: quæ resuscitati retulerunt vniuersis qui aderant, supplicia purgatorij ac inferni, atq; sanctarum gaudia.

*Tres mor-
tui resusci-
tati, interce-
dēte Hie.
defuncto.*

animarum. Cūque beatus Cyrillus ad vnum trium illorum acerbissimè & inconsolabiliter lachrymātem venisset, interrogauit eundem obnixè, vt sibi referret quid circa se gestū esset in hora mortis. At ille, Adueniēte (inquit) exitus mei hora tanta immundorum spirituum affuit multitudo in loco quo iacui, vt præ multitudine dinumerari nō possent: quorum forma fuerat talis, quòd ea nihil pœnalius, nihil formidabilius potest excogitari. Potius nanque quilibet hominum flammis ardentibus exponeret se arsurū, quàm istu oculi potiretur visione formæ eorum. Tandem apparente glorioso Hieronymo aufugerunt, & iubente eodem anima mea recessit à corpore tam graui-ter & acerbè, quòd certè quantæ fuerint illæ angustix & pressuræ non caperet humana mens, nisi, vt ego, per experientiam didicisset. Itaque anima mea cum tam ineffabilibus pœnis atque doloribus separata subito in istu oculi fuit ante dei iudicantis præsentiam ineffabiliter deportata, sed qualiter, non agnosco. Nec inde mireris, quia nunc carnis aggrauor mole, tunc autem anima fuit sine carne. Vniuersa & singula peccata nostra iudici clarif-

simè patuerunt, imò & cunctis astantibus dæmonum quoque astitit multitudo accusans: locum, modum, tēpus, numerumque mearum declarans culparum, & contradicere non valebam. Heu quid dicam, qualem præstolabor sententiā? Cum igitur nihil restaret nisi damnationis sententiam promulgari, gloriosus Hieronymus impetrauit à iudice nostram differri sententiam. Deinde me & duos mecum resuscitatos assumens, ostendit nobis locum & beatitudinem animarum sanctarum: deinde ad infernum & purgatorium nos deducens, non solum quæ ibi gerebantur, ostendit sed etiam voluit ut ea experiremur. Quibus peractis iussit ut rediremus ad corpora, & ea quæ vidimus ac sustinimus aliis denuntiarem: sicque animæ nostræ nostris corporibus subito sunt coniunctæ. Insuper inter miracula sancti Hieronymi legitur quòd quidam Andreas nomine cardinalis, cum esset defunctus, & iudici præsentatus, fuerat æternis suppliciis deputandus ob suam in vestimentis & cibis ac potibus superfluitatem, nisi gloriosus Hieronymus subuenisset, qui meritis suis ac precibus impetrauit à iudice animam illius restitui

*Miraculū
ex vita.
Hierony.*

corpori, sicque anima illa fuit in ictu oculi corpori restituta. Præterea in vita sancti narratur Martini, qualiter ipse magnus sanctus Martinus. quendam qui se ipsum suspenderat laqueo, suscitavit à mortuis, & alium quendam cathecumenum, qui nondum consecutus fuit baptismum. Qui retulit qualiter anima sua à corpore separata fuit à iudice locis tenebrosis adiudicata, quòd cum à malignis duceretur spiritibus, duo angeli iudici suggererunt hunc esse pro quo sanctus oraret Martinus. quo audito, precibus tanti pontificis, reddita est anima illa ad corpus. Amplius in vita Christianæ mirabilis, quam descripsit venerabilis vir qui & librum Apum composuit, ipsamet admirabilis virgo Christina narravit qualiter anima sua exuta à corpore ac iudici præsentata, fuit ab eo benignè recepta. Cùmque & poenas inferni purgatorisque vidisset, data est op-
*Exemplū
ex vita
Christina
mirabilis.*

portio ei manere cum Christo, vel redire ad corpus & diuersa pati supplicia pro deliberatione animarum in purgatorio detentorum, quæ cum ex ardentissima charitate, & pietate petiisset ad corpus reuerti, repente reuixit. Et breuiter, huiusmodi quasi innumerabilia leguntur miracula.

in quibus resuscitati testati sunt se post recessum à corpore, fuisse iudici præsentatos ac iudicatos. Nec recolo me de aliquo resuscitato legisse quòd dixerit se iudicatum, anima sua adhuc in corpore existente. **F. R. A.** Sufficenter (vt recor) istud per exempla monstratum est. Precor autem vt exprimas quid æstimas sentiendū de hoc, quod (vt præactum est) Innocentius scribit in libro de miseria conditionis humanæ, Christum in cruce positum vnicuique fidelium apparere ante exitum animæ suæ de corpore, bonis ad consolationem, malis ad confusionem.

An Christus quasi in cruce positus appareat singulis ante mortem.

ARTICVLVS. XI.

DIGNYSIVS.

De incertis nihil temerè diffiniendum.

Quid necesse est incautè & temerè diffinire, quod absque periculo ignoratur? tamè quoniam prouidè siccitaris quid æstimem, non quid affirmem super hoc sentiendum, seu potius opinendum, & tangã breuiter quod occurrit. Porro quæ fidei sunt, & naturalem rationem prorsus transcendunt, pro-

bari possunt vel per miracula aut per scripturas, seu per determinationem ecclesiæ, deinde etiã per autores authenticos, præsertim si communiter atque concorditer dicunt quid tale. Autoritates verò ad huius dicti probationem idoneæ, satis solutæ suprã articulo 7. quo patuit quod autoritates illæ à doctoribus ad literam aliter exponuntur communiter. Dicitur est quoque quòd doctores & sancti patres non videntur concurrere in huius rei assertionem seu opinionem. Insuper, cum multi valde sint resuscitati à morte, qui & exposuerunt viuentibus quæ eis in morte, & antè, postea contingerunt, non tamen recolo me legisse aut audisse de aliquo tali resuscitato, quòd dixerit se habuisse talem Christi apparitionem tempore mortis. Sed non est ambigendum quia multi sancti vtriusque sexus, tam martyres, quàm confessores ex speciali beneficio pietatis diuinæ & propter merita sua Christum ante suum obitum conspexerunt de quibus tamen non legitur, quòd apparuerit eis tanquam in cruce distentus. Denique à sequentibus illam Innocentij positionem esset, querendum, quales visionem videant omnes Christum ante

obitum suū , an scilicet visione corporali & exteriori, an visione imaginaria, an solum intellectuāli, & circa hoc multa occurrerent inquirenda, an etiam Christus in propria persona illis appareat & qualiter species illa crucifixi existat in ipso, an ministerio angeli formetur in vi imaginatiua huiusmodi forma Christi taliter representatiua. Verūm de ista materia tutius arbitror pertransire, quā pro incertis certa inferere. F R A. Quia iam satis locutus es de particulari singulorum iudicio, & ubi ac qualiter fiat, iam cupio, ut respondere non abnuas ad dubitationes & quæstiones, quæ mihi circa præactam occurrunt materiam. D I O. Quantum domino concedente potero respondebo.

Vtrum horum iudiciorum duorum videatur magis horribile ac timendum, particulare ac generale.

ARTICVLVS XII.

Heb. 10. **D**E vtroque verificatur quod scribit apostolus, Horrendum est incidere in manus dei viuentis. Porro, particulare iudicium, quantum ad

aliqua potest horribilius reputari, tum quia propinquius imminet. Vnde & Iacobus ait apostolus. Ecce iudex ante ianuam assisit, tum quia pericula singularia ac propria solent amplius formidari, quā generalia atque communia: tū quoniam qui in particulari suo iudicio sententiam damnationis euaserit, in iudicio illo generali erit securus. Veruntamen absolute loquendo videtur generale istud iudicium formidabilius esse ob multa quæ *Iudicium* quisque faciliter potest perpendere, quo *generale* nam corā vniuersis rationalibus ac intellectualibus creaturis agetur, singulorū *ribilius* que vitia singulis innotescunt: & tam iudicio *quære hor* quā angeli tunc visibiliter apparent, *particu-* stabitque mūdus in igne conflagram. *lari.* tionis, & probi qui nunc quantum ad animā inferno adiudicantur: tunc quoad corpus & animam damnabuntur, tartareum quoque chaos patebit. Hinc sancti patres de terribilitate illius iudicij & copiosius sunt loquuti. Vtrunque tamen *Iudicium* ineffabiliter est terribile ac pauendum: *utrunque* Primò, ex parte iudicis summi cuius omnipotentia nullus potest resistere, *pauendum* *ratione* ius sapientiam nihil valet latere, *quintuplè* ius iustitia tunc flecti nequit, qui & *ci.*

I reprobis iratus ac terribilissimus appare-
 .II. bit. Secundò, ex parte iudicandorum, qui
 comparatione iudicis tanti, nullius sunt
 momenti, neque tunc poterunt appellare,
 nec vllò se modo poterunt excusare: imò
 .III. & accusabuntur acerrimè. Tertio, ex par-
 te sententiæ, quæ impiis acutissima & pœ-
 .III. nosisima erit. Quarto, ex parte retribu-
 tionis quæ in generali iudicio erit vel in
 fernali damnatio, aut sempiterna salua-
 .V. tio. Quintò, ex parte circumstantium ip-
 sum iudicium, quoniam particulare iudi-
 cium in præsentia fit multorum, genera-
 le autem in conspectu vniuersorum ele-
 mentis ardentibus, circumstantibus ange-
 lis, imò & omnibus sanctis. Si metuen-
 dum est iudicium creaturæ mortalis, quã
 expauendum est iudicium dei omnipotẽ-
 tis? Si sententia temporalis mortis est for-
 midanda, quã formidolosã est æternæ
 damnationis sententia? Si confusibile est
 & pœnale, coram paucis hominibus in-
 crepari, & secretorum vitiorum denuda-
 tionem audire, quã confusibilissimum
 pœnalisimũque consistet, coram vni-
 uersis & singulis angelis sanctis ciuibũs-
 que supernis atq; dæmonibus ac cunctis
 hominibus manifestari de omni peccato.

quantumlibet paruo & magno, fœdo &
 turpi, enormi ac erubescendo. FRA. Mi-
 rum quòd ista nõ magis veremur. DIO.
 Si ea debite & circumstantialiter ac fre-
 quenter consideremus, ea vtrique pene-
 tratiuo horrore metuerem?. Affectiones
 nanque, vt timor, amor, spes, desiderium
 ex præuia aliqua apprehensione cogniti-
 ua nascuntur, quum obiectum appetitus
 sit bonum cognitum. FRA. De terribi-
 litate vtriusque iudicij plenius aliquid
 tange si placet. DION. De terribilitate
 finalis iudicij alibi satis multa legisti ac
 plurima aliunde audisti. Porrò de horribi-
 litate particularis iudicij, de quo in isto
 opusculo principalis ac specialis est men-
 tio, aliqua tangam. FRAT. Nihilominus
 aliquid precor tange & de generalis ter-
 roris iudicij, vt ea tantò tenacius commẽ-
 dem memoriæ, quãtò specialius propter
 me aut mei occasione commemorantur.
 DIO. Præter & vltra præacta quæ illud
 iudicium tam metuendissimum reddunt,
 id quoque nos debet inducere ad inten-
 tissimum eius timorẽ, quòd viri eximie
 sanctitatis, vt diuinissimus Diony. glorio-
 sus Hierony. illuminatus Grego. alique
 innumerabiles viri virtutum, illud tam

formidolose atq; assidue expauerunt. At quippe Hieronymus: Quoties diem illum confidero, toto corpore contremisco. Siue etenim comedo, siue bibo siue aliud aliquid facio, semper videtur mihi tuba illa terribilis insonare auribus meis, Surgite mortui venite ad iudicium. Iudicatio equidem domino lugubre mundus immugiet, & tribus ad tribum peccato ra feriet. Hinc quoque Gregorius, Præfentis (inquit) temporis ita est agenda latentia vt nunquam amaritudo sequētis iudicij recedat à memoria: Sic nanque omnipotens deus vias nostras cōsiderat, & cunctos gressus nostros dinumerat, vt nec minimæ cogitationes, nec minutissima verba, quæ apud nos viluerunt, in eius iudicio indiscussa permanerent. Tūc planè, vt deuotus & subtilis ille Anselmus ait, à dextris erunt peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonū turba, subtus horrendum chaos inferni, superius iudex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia vrens, Ibi vix iustus saluabitur. Heu miser peccator sic deprehensus quod fugiet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Insuper sanctus dei propheta Dani. cū angelum in forma quadam visi-

Iob, 13.

1. Pet. 4.

bili conspexisset, vt ipsemet scribit: dixit, Domine in visione tua dissolutæ sunt cōpages meæ, & nihil in me remansit viriū sed & halitus meus intercluditur, & emarcui. Si tantum perterritus, consternatus, deiectus fuit vir iustus ex vnus intuitu angeli apparentis in forma terribili, qualiter in die nouissimo terrebutur & affligentur reprobi & iniquitatem innumerabilia angelorum millia intuendo quæ eis in forma præmetuenda tunc apparebunt: Tunc etenim non solum orbis terrarum, sed & pollitia tota cælorum. Pugnabit pro suo creatore contra insensatos & reprobos. **R R A.** Nō inutiliter postulauit hæc tangi, quorum aliqua nondū considerauit: nempe si tam metuendus & afflictius erit iniquis angelorum aspectus, quam intolerabile ipsis erit iudicem ipsum cui tam ingrati fuerunt, conspiceret? sed & dæmonū, qui tunc (vt credo) visibiliter apparebunt, aspectus erit impiis inæstimabiliter grauis. Sed cū Ioan. dicat apostolus, Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem: quomodo verum est quod viri in charitate tam eminenter perfecti, ea tenus illud timuerunt iudicium. **D I O N.**

Sapient. 5.

Quemadmodum perfecta charitas foras mittit & expellit timorem seruilem, sic parit timorem filialem. F R A. Timor filialis directe respicit malum culpæ, quæ admodum timor seruilis malum pœnæ. Timor autem iudicij est timor mali pœnalis, non mali culpabilis: filiali ergo timore non timuerunt illud iudicium.

D I O N. Sicut timor seruilis directe & immediate concernit malum pœnale, id est, supplicium, atque ex consequente & secundario malum culpæ, hoc est, peccatū, in quātum pro peccato infligitur pœna, sic timor filialis directe & immediate cernit malum culpæ, quam fugit & abominabitur ex diuino amore, ne separetur à deo: ex consequente autem & secundario potest, respicere malum pœnæ, secundum quod pœna culpam concomitatur: nec simul cum plena dilectione fruitiua & amorosa presentia stare potest. Et quid miraris si viri perfecti in isto exilio illud formident iudicium, cum & tunc cælorum virtutes atque angelicæ potestates moue dæ sint motu vtiq̄ reuerentialis timoris & admirationis cuiusdā ingentis. Merito igitur vnus sanctorum locutus est patrum. Si possibile esset animas exire de corpore

corpore præ timore, in dei aduentu omnis mundus moreretur præ formidine & horrore. Quale enim est cælos scissos videre & deum reuelatum cum ira & indignatione, atque innumerabile: angelorum milicias, & totum simul genus humanum intendere? Propter quod viuere sic debemus, tanquā de singulis motibus, nostris ratione daturi. F R A. Copiosè de isto disseruisti, tamen si non grauat expone qualiter cæli tūc scissi erunt. D I O. Non necesse est opinari, quod cæli qui eminent elementis substantialiter tunc scindentur, sed secundum apparentiam quandā, ita quod hiatus quidam & velut apertiones apparebūt in eis ex fulgureis quibusdam luminibus seu coruscationibus quæ erunt in cælo aëreo, quæ admodum & tēpore fulgurationis aliquantulum cernimus. Nam & in euangelio cæli leguntur domino baptizato aperti. F R A. Iam iuxta promissum, de terribilitate particularis iudicij placeat loqui.

Ioan. 1.

Lucæ. 3.

Matth. 3.

Marc. 1.

Quam metendum sit particulare iudicium.

E e

Sicut iam tactum est, particulare vnius. Sciusque iudiciū ex multis causis red- ditur metuendum, sicut & vniuersale iudicium: & præsertim quoniam si in particulari iudicio fuerimus deprehensi in peccato mortali, non solum tunc quantum ad animam adiudicabimus pœnis æternis, sed in finali quoque iudicio quoad corpus & animam condemnabimur in æternam. Hinc sancti patres ex consideratione sui particularis iudicij proximè imminentis valde pertimuerunt. Vnde & sanctus abbas Elias, Ego inquit, tres res timeo: Vnam, quando egressura est anima mea de corpore: secundam, quando occursum sum deo: tertiam, quando de me proferetur sententia. Alius quoque senex locutus est fratri. Vade & cogita sicut cogitant rei incarcerati. Ipsi enim interrogant homines, Vbi est iudex? quando veniet? & suarum expectatione pœnarum luget. Sic monachus debet semper sollicitus esse & animam suam obiurgare, dicendo: Vt mihi, quemodo habeo stare ante tribunal Christi & actum meorum reddere rationem? Et alius: In omni, inquit, re incre-

*Tres res
timeo.*

pet homo animam suam dicendo ad eam: Memor esto quia oportet te occurrere deo. Sed & alius senex dixit: Flere semper debemus. Cū enim senex quidam obiisset, atque post longam horam rediisset ad se, interrogauimus eum. Quid vidisti ibi patris? Respondit cū lachrymis: Audiui ibi lugubre vocem incessanter dicentem: Vt mihi, vt mihi. Sic & nos dicere semper debemus. Præterea Clymachus refert de quodam sancto anachoreta, quod ex intēta atque assidua mortis meditatione frequenter patiebatur mentis excessum viri bātq; deficiens & ferē absq; flatu existēs, reportabatur à fratribus qui eū inueniebant. F R A. Cū dicat Apost. Cupio dissolui & esse cum Christo. Itēque: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Psal. 141. quōque Sitiuit anima mea ad deū fontem viuum, quando veniā & apparebo ante faciē deī? & denuo: Hēu mihi quia incolatus meus prolongatus est, &c. Educ domine de carcere animam meam ad confitendam nominis tui: constar quod peccatorū sit mortem potius desiderare quam formidare. Quomodo igitur sancti viri mortē taliter timuerunt? D I O. Nature est homini

*Philip. 1.
Roma. 7.
1. sal. 41.
119. 141.*

mortem timere, quemadmodum natura-
le est vitam diligere : sed vigor gratiæ
charitatisque feruor ac futuræ præliba-
tio felicitatis sic possunt augeri ac præ-
dominari in homine, vt mortem tan quã
huius miseræ defectuosæque vitæ termi-
num atque futuræ beatitudinis ianuam
optet. Verum vt loquitur Paulus aposto.
Vnusquisque suum donum habet à do-
mino. Et vnus electorum magis in hac,
alter magis in illa abundat virtute & gra-
tia. Propter quod de vnoquoque sancto
cantatur: Non est inuētus similis illi. Qui
dam ergo electi, qui elegerunt corã deo
iugiter esse solliciti, timorati, custoditi,
mortem quamplurimum timuerunt, non
propter ipsam corporalem mortem prin-
cipaliter aut duntaxat, sed maximè, pro-
pter particulare dei iudicium morti sta-
tim annexum, & propter pœnalia, quæ
concomitantur, & quoniam certi non e-
rant, an amore digni inuenirentur, & an
cursum suum felicitè terminarent, &
quia circa mortis articulum contingere
solent tentationes grauissimæ. Næpe &
si, teste Philosopho, omnium terribiliũ ter-
ribilissimum est mors, loquendo de ma-
lis pœnalibus, vitæ præsentis, nihilomin⁹

Eccle, 44

Eccle, 9.

præacta horribilia morti annexa, & eam
cocomitãtia, omni morte corporali sunt
ineffabiliter terribiliora. Vnde & multi
ex eo quòd talia vel viderent in spiritu
& excessu, aut sustinuerunt ad tempus, re-
uersi ad se seu ad pristinam vitam, pœni-
tentiã egerunt mirabilem, & rigorosissi-
mè, ac timoratisimè deinceps vixerunt.
FR A. De hoc aliqua refert exēpla, quia
exemplaris narratio magis solet ædifica-
re, compungere, atque accendere. n o.
Recitat Climachus de solitario quodam
eremita, qui iuxta montem Sinai, longo
tempore negligētissimè vixit: qui quo-
dam tempore infirmatus extremè, mi-
grauit perfectè à corpore, quasi per inte-
gram horam, deinde reuersus ad se, ro-
gauit omnes qui astabant recedere. Quo
facto, ianuam cellulæ suæ obstruens, man-
sit intus per annos duodecim, cū nullo
penitus colloquium habens: nec aliud
quàm panem gustans, & aquam, sed sit
pens ad ea quæ vidit in ecclasi, morem
suum de cætero nunquam mutans, & cal-
idas lachrymas iugiter fundens. A quo
cùm migraturus erat, hoc solùm audiui-
mus: Indulgete mihi fratres. Nemo ha-
bens mortis memoriã poterit peccare.

Ecce quàm horribilia vidit in spiritu, qui repète tam extremè mutatus est. Insuper legitur de quodam ordinis Cisterciensis conuerso, in quodam magno peccato defuncto, & precib⁹ gloriosissimè virginis, ad corpus reducto: qui resuscitatus, narrauit se grauitè corà iudice accusatum: & orante pro eo dulcissima virgine, iudicem cum aliquibus cõtulisse secreta, quasi tractando, quid de ipso esset agendum, seque interim tã vehementissimè timuisse, quòd si anima sua fuisset mons æreus, defluxisset, & liquefactus fuisset, præ immentitate sui terroris. Postremò, de beatissimis patribus Arsenio, & Agathone, in Vita patrũ describitur, quòd in extremis positi, valde extimuerunt occulta, & iusta dei iudicia. Dixitque vnus: Non præsumo quod vereor, quoniam alia sunt iudicia dei, & alia iudicia hominum Arsenius quoque, à discipulis inquisitus: In veritate, & tu ò pater formidas? respòdit: Timor qui nunc in me est, semper fuit in me ab ea hora, qua monachus factus sum, & timeo valde. FRATER. Si tales ac tanti sic timuerunt, quid restat nobis agendum? Sed precor, vt de suppliciis animarum post vitã hãc paulisper loqua-

ris. D I O. De pœnis purgatorii & inferni, tot alibi sepe legisti, vt opus non sit hinc in isto tractare dialogo. F R A. Et specialii causã istud desidero. Intèdo equidem adhuc interrogare qualiter intelligenda sunt quædam, quæ in diuersis visionibus, reuelationibus & libellis, imò & libris de huiusmodi pœnis leguntur, ad quorũ ordinatã, & fructuosam inquisitionẽ ex tuis responsonibus & doctrinis cupio peruenire.

De pœnis purgatorij.

ARTICVLVS. XIII.

DIONYSIVS.

AD tractandum vtcunq; de suppliciis purgatorii, priuò commemoro, quod magister Sententiarum libro quarto, ex verbis allegat Augustini dicentis: Prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis. Hinc autem ignis, etsi æternus non sit, tamen miro modo est grauis. Excellit enim omnem pœnam, quam vnquam passus est aliquis in hac vita. Nunquam in carne inuenta est tanta pœna, licet mirabilia passi sint tormenta

*Aug. de
vera &
falsa pœ-
nitent. cap.
18.*

E c iij

*Duplicem
esse in purgatorio
penam.*

martyres sancti, & multi nequiter magna nimis sustinuerunt supplicia. Præterea de purgatorij pœnis scribit Thomas, super quartum: In purgatorio, inquit, erit duplex pœna: videlicet damni, in quantum retardantur à visione diuina: alia sensus, in quantum ab igne corporali puniuntur. Et quantum ad vtrumque, minima pœna purgatorij excedit maximam vitæ præsentis pœnam. Quâto enim aliquid plus desideratur, tantò eius absentia est molestior: & quia affectus, quo desideratur summum bonum, post hanc vitam in animabus sanctis est intensior, quoniam corporis mole non retardatur, & etiam quoniâ tempus, seu terminus fruendi summo bono iam aduenisset, nisi aliquid impediret, ideò de tardatione maximè dolent. Similiter cum dolor non sit læsio, sed læsionis sensus, siue perceptio, tantò plus aliquis dolet de aliquo læsuo, quantò est magis læsuum, seu sensituum. Propter quod

Vtræque læsiones, quæ sunt in locis maximè sententiam purgatorij sibi libibus, maximum causant dolorem. Et quoniam corporis totus sensus fluide omnè it ab anima, ideò si in ipsam agat animam aliquid læsiuè, oportet de necessitate, quòd maximè affligatur. Hinc vtra-

que pœna purgatorij omnem excedit pœnam vitæ præsentis. *FR A.* Circa hæc oritur mihi timor, & quæstio multiplex. *D I O.* Timor iste est vtilis, sed quæstiones curiosæ compunctionem non fouet. Ideò idiotæ, & simplices ex suo salubri timore frequenter magis proficiunt, quàm qui circa singula quæstionibus implicantur. Sed quoniam quæstiones tuæ, non ex curiositate, sed ex charitate nascuntur, dubia tua (si placet) propone. *FR A.* Scientiam ad charitatem esse ordinandam noui ex eo, quod in euangelio Ioannis ait Saluator, loquens ad patrem: Notum feci eis nomen tuum, vt dilectio tua in eis sit. Fateor tamen, quòd circa quæstiones superflue occupari, deuotionis sit im-peditiuum. Curiositas verò humana quæstionibus immoderate inuoluitur, sicut & Salomon contestatur. Deus fecit hominem ab initio rectum, & ipse se immiscuit quæstionibus infinitis. Quòd si huic superfluitati vacauero, tuum erit me charitatiuè dirigere. *D I O.* Audenter quicquid te mouet propone. *FR A.* Primò oritur quæstio, circa id quod asserit conscius secretorum dei vnicuique Augustinus, pœnam purgatorij, omnem vitæ præsen-

Ioan. 17.

Eccle. 7.

Deut. 17.

tis pœnam excedere. Cùm enim sint multa peccata, quibus in hac vita debetur minor pœna, quàm sunt quædam pœnæ vitæ præsentis, cur in purgatorio debetur eis pœna, tam grandis, omni pœna seculi huius intensior? Hoc nãque videtur diuinæ contrariari iustitiæ, cùm in Deuteronomio scriptum sit: Secundum modum dilecti erit, & mensura plagarum. Præterea capere nequeo, qualiter desyderium illud fruendi summo bono, propter dilationem & retardationem fruitionis illius, pariat dolorem omni pœna, seu dolore præsentis vitæ maiorem. Cùm enim in anima in purgatorio detenta maneat virtus patientiæ, potest de necessitate facere virtutem, & dilationem illam æquanimiter ferre, nec tãtum affligere semetipsam desyderando, quod ante tempus statutum adipisci non valet. Deinde apparet, quod immaterialis, incorporalisque spiritus, scilicet anima à corpore separata, tam dirè pati, & affligi non possit, ab igne illo corporeo, à quo (ni fallor) nec calefieri potest, nec corporaliter trãsmutari, cùm iuxta philosophorum & theologorum doctrinam, quicquid in aliquo recipitur, in eo recipiatur, secundum mo-

dum ipsius recipientis. Ideo quicquid talis spiritus ab igne recipit, immaterialiter, ac spiritualiter videtur recipere. Insuper, in anima separata non est, nec remanet tactus, nec aliquis sensus corporeus, quæst potètia organica. Quomodo ergo à corporalibus rebus poterit lædi, affligi, sentire, aut læsionem percipere? Non videtur quòd aliter, quàm spiritualiter, & immaterialiter, quod nõ esset dolorosius, omni doloroso seculi huius, aut vitæ præsentis. Amplius, si anima separata ideò magis affligitur ab igne, quàm aliquis in hoc mûdo, ob hoc quòd ignis ille agit in animam ipsam, à qua profluunt omnes corporis sensus, cõsequens erit, quòd animæ in purgatorio existètes grauius affliguntur ab illo, quàm animæ in inferno post resurrectionem futuram: quia tunc animæ condénatæ, erunt corporibus reunitæ, sicq; ignis ille nõ ager in animam immediate. Amplius nõ videtur quòd minima pœna purgatorii, loquendo de pœna sensus, maior sit omni pœna vitæ præsentis, cum multæ sint minutissimæ culpæ, quibus non videtur, tã intèsa pœna deberi: & itè quia secundum hoc maiores purgatorii pœnæ quæ pro grauissimis sceleribus cõtritis, sed per

satisfactionem non deletis infliguntur, essent inestimabiliter duræ, & afflictivæ: & etiam quoniam pœnæ purgatorij, paulatim (vt creditur) remittuntur ac minuuntur. D I O. Obiectiones istæ, charissime frater difficiles sunt, & partim à doctoribus, super quartum Sententiarum mouentur. Ideò in sequenti articulo ad eas pro viribus respondebo.

Solutio obiectionum præcedentis articuli.

ARTICVLVS XV.
DIONYS.

AD id quod allegasti, & secundum mensuram delicti, erit & plagarum modus, dicendum quòd verum est, in eodem statu, & cæteris paribus. Status autem animarum in purgatorio, & inferno: est alius à statu vitæ præsentis. Ideo peccata ibi grauius puniuntur, quàm hic, præsertim quoniam in punitione culpæ, deus magis aspicit voluntatem patiens, quàm pœnâ in se. Qui autè in hac vita, pro suis peccatis pœnam assument, ac sustinent, sponte & liberè eas assument, & sufferunt. Non sic in purgatorio. Huc super quartum Sententiarum

distinctione secunda, ait Bonauentura, & cõcordat dominus Alexander de Hales, in Summa: Duplex est pœna, videlicet ^{Pœna duplex.} assumpta & inflicta. In pœna assumpta, non solum complacet deo ordinatio pœnæ ad culpam, sed etiam ordo, & restitudo voluntatis, pœnam assumentis. In pœna verò inflicta placet deo ordo pœnæ ad culpam. Quoniam ergo pœna pœnitentium in præsentis est pœna assumpta, pœna autem existentium in purgatorio est pœna inflicta, quia in eis est tempus recipiendi, nõ promerendi, ideo modica pœna in præsentis plus satisfacit, & de ea magis contenta est diuina iustitia, quàm de magna in futuro. Hinc quasi improporcionabiliter maiorem exigit pœnâ deus in purgatorio, quàm in seculo isto, vt suæ satisfaciat iustitiæ, cuius exemplum accipi potest in materialibus debitis. Creditor nanque magis acceptat vnâ marcâ aurum, quàm decem marcas argenti. Pœna autem hic sponte assumpta, plus preciosior est pœna purgatorij, quàm aurum argenti. R. R. A. Placet responsio, & veritas eius delectat, sed dubitatio oriens auget, & incitat ad querendum. Videtur quippe ex ista responsiõne, quòd pœna purgatorij nõ

fit voluntaria, sed coacta, & per consequens, deo non placita, nec satisfactoria. Queritur ergo an sit voluntaria, & videtur quod imo, quoniam existentes in purgatorio sine huiusmodi poena nequeunt beatitudinem adipisci: & rursus, quia in charitate consistunt, & iusti nec deo rebelles. Idcirco quod deus eis iuste infligit voluntarie non inuoluntarie patiuntur. Porro quod inuoluntaria sit, hinc apparet, quoniam cupiunt & precantur liberari ab ea. D I O N. Ex præhabita responsione magis accendi debemus ad faciendum poenitentiam in hac vita condigna & plenè satisfactoriam, quam ad querendum non necessaria ad salutem. Veruntamè questio tua est utilis ad quã breuiter dico, quod poena purgatorij dicitur voluntaria, non absolute sed conditionate, quoniam aliter saluari non valët quemadmodum æger vult incidì aut vri. Vnde secundum Alexandrum & idè tangit Bonauentura super quartũ, Poena dicitur voluntaria tribus modis. Primò quia à voluntate imperante assumitur, & talis est poena poenitentialis. Secundò, quia à voluntate acceptante æquanimiter toleratur, vt est martyrum poena, quæ in-

Pœna voluntaria dicitur tribus modis.

tantum placuit eis, quod ab ea erui non luerunt. Tertio, quia à voluntate tolerante suffertur, sicut dum cupientes sanitatem infirmatur, sustinet quidem infirmitatem tanquam poenam diuinitus inflictam, & tamen ab ea liberari procurat: & talis est purgatorij poena, talisque poena min⁹ habet de ratione voluntarij quam prædicta. FRAT. Bona solutio, responde ad alia. D I O. Ad id quod dicis comprehendere te non possè qualiter desiderium, seu dilatio beatificæ fruitionis gignat maiorem poenã in animabus purgatorio deputatis, quam sit aliqua poena seculi huius, respondeo tibi per verba Bonauenturæ dicentis, quod cum magister in litera, & multi sancti affirmant poenam purgatorij esse omni poena huius vitæ maiorem, oportet nos ita tenere, etiam si non appareat nobis ratio ad hoc. In huiusmodi enim magis est adhærendum authoritati quam rationi, quoniam totum illud est potiu. supra naturam & rationem, quam secundum naturam & rationem. Veruntamen præallegatis verbis Thomæ dicentis quod desiderium illud, propter dilationem, atque carentiam beatificæ fruitionis inlucet tam grauem dolorem

& pœnam, doctores aliqui contradicunt quemadmodum & ipse dominus Bonauri, qui super quartū, distinctione vicefima scribit: Aliqui voluerunt assignare rationem, partim naturalem, & partim supernaturalem de acerbitate pœnæ purgatorij. Dixerunt nāque quod animæ exurgunt habent potentia: suas expeditas, habentque naturale desiderium pertingendi ad summum bonum, ad quod creatæ sunt: & ultra hoc gratia est in eis, quæ istud desiderium magis inclinat. Idcirco cum sciunt hoc vltimum bonum, & retrahantur ab eo quasi in carcere positi, modica pœna sensibilis cum ista tristitia est maxima eis, & pro tanto dicunt purgatorij pœnā maximā esse. Nam sicut delectationes spirituales sunt multum intensæ, & corporales excedunt, sic tristitia de absentia summi boni, omnem corporalem dolorem. His verbis addit Bonaventura sed certè nec ista ratio bene manuducit si quis bene aspiciat. Primò, quoniam desiderium summi boni necessariò habet adiunctam fruitionem quandam, & aliquam boni illius possessionem. Ideo facit gaudium. Vnde qui magis desiderat summum bonum magis delectatur in eo: quia

Tristitia de absentia summi boni, omnem corporalem excedit dolorem.

quia in hoc differt desiderium corporaliū ac temporalium à desiderio spiritualium rerum, vt Augustinus ostēdit in libro octoginta trium quæstionū: & hoc veritatem maximè habet, cum deus per charitatem inhabitat animam: imò secundum istam rationem pœna lymbi maxima fuisset in patribus sanctis, in quo tamè creditur fuisse requies sancta, nō pœnalis. F. R. A. Quid tibi circa ista probabilius esse videtur? D. I. O. N. Inter tantos iudicare doctores non est meæ iam paruitatis: tamen quia interrogas quid mihi probabilius videatur, sine incauta assertionē, respondeo quod positio Thomæ præfacta rationabilior esse appareat, quonia & sacra scriptura in Prouerbiis protestatur: Spes quæ differtur, affligit animā. Lignū vitæ desiderium veniens. Et experientia docet dilationem boni optati, & eius carentiam tantò esse pœnaliore, quanto bonum illud magis amatur. Inter ceteros quoque charitatis effectus sunt, vulneratum & languidum facere diligentem. Concedendum est etiam, quod in purgatorio existētes aliquo modo habeant summū bonū, vtputa in spe. Vnde & aliquam habent consolationē inquantū.

Eph. 3.

Prouer. 33.

certam spem obtinēdi habent bonum tā infinitum. An tamen fruuntur aliquo modo hoc bono per spem, fruendōque gaudeant actualiter in eodem, certū non reor. Forsitam enim magnitudo supplicij ita absorbet in eis rationē & voluntatem quōd a tali aliquantula fruitione & gaudio impediuntur, nisi fortassis aliquando habeant aliqua lucida interualla. F. R. A. Si summi boni carētia & dilatio beatificæ fruitionis tātō plus affligit, quātō bonum illud magis diligitur, sequi videbitur quōd animæ in purgatorio existētes habeant pœnam damni tātō dolorosiorē, quātō sunt magis perfectæ in charitate, sicque animæ meliores ibi plus affliguntur. D I O N. Quantum est ex parte dilationis atque carētiæ & ex charitatis radice, possēt sic esse: sed aliūde creditur fieri recompensatio doloris que huius mitigationis in animabus in charitate perfectioribus: putā ex maiori fiducia cito obtinēdæ scēlicitatis, imō & scēlicitatis maioris, & forsan interdum ex qualicūque fruitione boni summē amati, aliquantūque gaudij consequentis. F. R. A. Quid dicis de animabus patrum sanctorum in ly mbo? an carētia beatificæ fruitionis

fuit in eis pœnosa? D I O. Communiter dicunt doctores, quōd in ly mbo patrū ante Christi descensum ad illud, non erat pœna sensus, sed pœna duntaxat damni ex dilatione atque carētia gloriæ. Vnde in tertiā parte Sūmæ suæ quæstione 47. loquitur Thomas: Christus ad ly mbum patrum descēdendo contulit eis quantū ad gloriæ adeptionem, & per consequēs soluit eorum dolorem, quem patiebatur ex dilatione gloriæ, ex cuius tamen spe gaudium magnum habebant. Deniq; Bo nauētura super quartum distinctione 45. Sancti, inquit, patres quia in superiori parte inferni erant, & dei visionem expectabant, non solū in ly mbo, sed etiam in sinu Abrahæ dicūtur fuisse. Ille igitur patrum dicebatur infernus, & quia inferior, & quia aliquo modo fuit locus miseriar. Dicebatur etiam ly mbus, quoniam erat ibi pœna carētiæ: sed sinus Abrahæ vocabatur, quoniā ibi erat expectatio gloriæ. His concordant scripta Petri de Tharantasia Richardi de media villa & Thomæ de Erfordia. F. R. A. T. Prædictis obuiare videtur, quod in Zacharia fertur de Christo: tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vincēs tuos

*Loci in
quo patri-
archa de-
tenti fue-
runt no-
mina.*

de lacu, in quo nō erat aqua. Quod de
 eductione patrū ex lybo tu ipse super
 Zachariā exposuisti, vbi & per aquæ re-
 frigerium designatur. Nō ergo erat ibi
 gaudiū aliquod D I O N. Glossa ibidem.
 aliquid plus inducit: Tu inquit liberasti
 eos qui tenebantur vincti carceribus,
 vbi nulla misericordia eos refrigerabat.
 Verū ad hæc & similia est vna secun-
 dū sanctū Thomam solutio, quia intelli-
 guntur quantum ad refrigerium perfe-
 ctæ liberationis, quam ante descensum
 Christi ad eos consequi non valebant.
 Porrō vestes seu carceres, quibus sancti
 patres detinebātur inclusi, intelliguntur
 impedimenta quibus prohibebantur exi-
 re reatu originalis peccati. F R A. Cupio
 edoceri an pœna damni erat animabus
 patrum sanctorū in lybo tam pœnalis,
 vt existentibus in purgatorio, in quibus
 secundum beatum Thomam excedit om-
 nem præsentis vitæ dolorem. Et videtur
 quod sic, imō apparet quod fuit maior
 in patribus sanctis: tum quoniam magis
 dispositi erant ad gloriam quam in pur-
 gatorio existentes: tum quoniam clarius
 considerauerunt quantum bonum esset
 beatifica illa fruitio, & quitum damnata,

ex eis dilatione incurrebant. D I O. Non
 puto quod dilatio gloriæ fuit eis ita pœ-
 nosa, vt existentibus in purgatorio pœna
 damni: quia non sustinebant dilationem
 gloriæ pro personali & propria culpa, sed
 reatu originalis peccati. Porrō ad argu-
 menta tua reor dicendum sicut tactum est
 paulō antè, quod quauis illa dilatio po-
 tuerit sanctis patribus esse valde pœno-
 sa, quantum fuit ex parte carentiæ ac di-
 lationis atque ex radice charitatis, tamē
 aliundē reuelatio & recompensatio fuit
 ex cōsolatione & gaudio spei certissimæ
 liberationis. Et quoniā deum per fidem
 formatam, & per donum sapiētiae aliquo
 modo cōtemplabantur, imō & per cha-
 ritatem aliquo modo fruebantur. Omnipoten-
 tens, quoque iustus & pius deus pœnam
 damni in diuersis diuersimodè modera-
 batur, secundum quod diuersimodè erāt
 dispositi per merita siue demerita. Et
 enim aliter erat & est pœna damni in cō-
 demnatis, aliter in paruulis in solo origi-
 nali peccato defunctis, aliter in purgato-
 rio, tunc aliter in patrum sanctorum
 lybo. F R A. Istud optare mihi clarius
 explanari, sed vereor te nimis fatigari.
 Nempe cum existentes in inferno nulla

*Pœna pœ-
 nā in lybo
 quales
 fuerit.*

tenus diligāt deū, sed maximè odiāt, non video quòd carētia visionis diuinę sit eis molesta: quia non cupiunt deo vniri nec eo frui, sed rebus caducis, in quarum affectione migrauerunt à corpore. **D I O N.** Su-
 brilliter tangis, sed breuiter dico, quòd quanuis non cupiant gloriam electorum per respectum ad dei honorem eiusque laudem, attamen in quantum gloria illa esset eis accommoda, atq; à tantis miseriis ereptiua, sic glorię huius carentia est eis pœnosa: & ita non cupiunt deo frui, sed vti, quęadmodū & hi qui diligūt deum, solum propter beneficia sua: qui vtique plus amāt seipfos, quàm deū, cupiuntque seipsis & rebus transitoriis frui & per cōsequēs deo vti, quod est merè præposterum ac summa peruersitas. **F R A.** Placet responsio. Idcirco si placet ad residua responde obiecta. **D I O.** Sequentium obiectorum solutio præcipuē stat in hoc, vt ostendatur qualiter animę à corporibus separatę, & etiam dæmones pati valeant & affligi ab igne corporali: & quia de hoc est præcipua difficultas quę paucis verbis expediri nō potest, idcirco obiectorum residuorum solutio in sequenti ponetur articulo.

Qualiter animę separata ac demones possint affligi & torqueri ab igne corporeo.

ARTICVLVS XVI.

DE hac difficultate scribit magister Sentent. libr. quarto, distinctione 44. Et eadē distinctione super hac re multa scripserunt doctores, & longum est omnia recitare, Porro Thomas recitat ibi diuersas aliorum opiniones. Quidam nanque dixerunt, quòd hoc sit animę separatę affligi ab igne, quòd videt ignem: quòd reprobatur, quoniam visio illa animę separatę est intellectualis, quę vt talis, non est ita afflictiva. Ideo alij posuerunt, quòd anima talis patitur atq; affliguntur a b igne corporeo, in quantum apprehendit illum vt sibi nociuum, sicque ex tali apprehensione afficitur timore & dolore vt impleatur in animabus damnatis seu in purgatorio constitutis, quod scriptū est: Illic trepidauerūt timore vbi nō erat timor. Istud rursus improbat Thomas: Quoniā, sic nō pateretur anima separata ab igne sed à similitudine ignis quā concipit. Nec probabile est quòd animę ac demones ingenij subtilitate pollētes,

Ff iiii

Psal. 13.
52.

putarent ignem illum esse eis nocivum, nisi sic esset in veritate, & nisi veraciter grauarētur ab eo. Hinc alii dicunt, quod ignis ille agit in spiritus incorporeales, videlicet in animas atque dæmonia, non vt res naturæ, sed vt instrumentum diuinæ iustitiæ. Istud quoque asserit Thomas, vñ esse sufficienter probatum, quoniam agens instrumentale non agit in aliquid, nisi in quo habet etiam aliquā naturalem & propriam actionem, quemadmodū sera secando lignum, introducit formā artificialem. Idcirco assignari oportet igni aliquam naturalem actionē in anima ad hoc quod agat in eam tanquā instrumentum diuinæ iustitiæ. Consequēter ponit hic doctor modum sibi placentem dicēdo: corpus in spiritum naturaliter agere nō potest; nec ei aliquo modo obesse, nec ipsum grauare, nisi secundum quod corpori aliquo modo vnitur. Spiritus autem corpori vnitur dupliciter: Primò vt forma materia, vt ex eis fit vnus simpliciter, & hoc modo anima & dæmon non vniuntur corporeo igni. Secundò sicut mouēs mobili, vel sicut locatum loco, eo modo quo incorporalia sunt in loco. Incorporei enim spiritus sunt in loco dif-

*Spiritus corpori vni-
tur dupli-
citer.*

I.

II.

finitiuē, quoniam ita sunt in loco vno, & non in alio: quauis autem res corporea ex sua natura habeat quod spiritū incorporeum loco diffiniat, non tamen ex sua natura. Hoc superadditur, quod spiritum incorporeum loco diffinitum detineat vt ita illi loco alligetur quod ad alia diuertere nequeat, cum spiritus nō sit naturaliter ita in loco vt loco subdatur. Sed hoc superadditur igni incorporeo in quātum est instrumentū diuinæ iustitiæ, quod sic detinet spiritum, & ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab executione proprię voluntatis, ne scilicet possit operari, vbi vult & secundum quod vult. Hæc Thomas, qui etiam in Summa contra Gentes lib. 4 ponit hunc modum. Sed contra hunc modum multa obici possunt. Primò, quoniam iuxta istam positionem nequaquā videtur, quod pœna sensus animarum separatarū in purgatorio vel inferne existentium, excedat omnem pœnam vitæ præsentis. Nam spiritum detineri ab igne, & ei esse alligatum, multò minor est pœna, quā verè corporaliter cremari in medio ignis. Nam & ignis ratione sui caloris ver. simè perhibetur esse maxime actiuus & afflictiuus. Denique quan-

*Contra Thomam
Aqui. obie-
ctiones
quorundā.*

I.

II.

uis regis filio esset valde graue detineri in carcere, nō tamen detentio illa esset ei ita pœnosa, vt alteri cuiunq; cremari & cōburi in medio æstuantissimi ignis mūdani. Amplius, crimina dæmonū saltem pœiorum nō sunt minora criminibus hominum: idcirco supplicia dæmonum etiā post diem iudicij non erunt minora supplicijs hominum reproborum, qui tunc in corpore & anima puniuntur ab igne: sed si tunc dæmones solum puniuntur ab igne tartareo per allegationē & detentionem præfatam, multo minor esset tūc pœna eorum quā hominum, qui tunc infernali incendio per caloris impressionem ineffabiliter torquebūtur. Præterea secundum istam opinionē spiritus incorporei multo grauius punirentur, si alligerentur ac detinerentur infimo elemēto, vtpota terræ, & præferim terræ lutosæ, fœtenti, ac sordidæ: quoniā talis res corporalis & huiuscemodi locus esset eorū naturæ ac dignitati specificæ multo magis contrarius. Vnde vt refert Gulielmus Parisiensis in libro de vniuerso, quidam dixerunt dæmones quosdam nunc detineri cloacis & huiuscemodi impurissimis locis. Insuper ista positio non vide-

tur consonare diuersis ac plurimis visionibus ac reuelationibus hominum deutorum atque sanctorum, qui dixerunt atque scripserunt se vidisse pœnas purgatorij ac inferni, & animas ibi verè realiter immutari, pati, affligi vehementissimo ignis calore: imò multi à morte resuscitati, testati sunt se ita esse expertos, & quidam in spiritu multa talia se vidisse passōsque esse asseruerunt. Infra quoque probabitur, quòd ista positio non satis concordare videtur cum positione sanctorum Augustini, Gregorij ac plurium aliorum. Adhuc autem si non affligerentur animæ separatæ ac dæmones ab igne, nisi per præfatam detentionem, possent ex assuetudine & diuturnitate pœnam huiuscemodi maximè mitigare, faciendo de necessitate voluntatem quandam patientiāque coactam. Quemadmodum incarcerati scientes se non posse euadere, assument sibi patientiam quandam. Postremò quòd Thomas affirmat, agens *Thomas se* instrumentale non agere aliquid virtute *verborū* superioris agentis, nisi habeat aliquam *intio.* naturalem & propriam actionē in illud quauis in naturalibus communiter ita sit, nō tamen oportet sic esse in effectib.

qui sunt supra naturam, quales sunt punitiones spirituum ab igne materiali: imò deus altissimus, qui est super omnem legem naturæ & super omnem ordinem vniuersi, interdum ad ostendendam superliberrimam & illuminatissimam suam agit aliqua per ea quæ minimè per naturam possunt cooperari ad illa, imò per ea quæ ex sua natura habent operari cõtrarium.

Isaia. 38. Vnde super illud Isaia: Iussit Isaia: ut tollerent massam de ficis, & cataplasma rent super vulnus. Ezechia, & sanaretur: dicunt communiter expositores, quòd applicatio illa ficorum naturaliter erat contraria curationi vulnere Ezechia. Ideo deus per Isaiam iussit apponi tale emplastrum quatenus curatio Ezech. miraculosior monstraretur: nempe ut ait Hierony. per vulnus Ezech. Theodotio, Symmachus & cap. 38. Aquila intellexerunt regium morbum, alij apostema quorum vtrique contrariatur applicatio dulcium. Vnde secundum Hierony. ut sanatio Ezech. ostenderetur diuinior, per res noxias atq; aduersas fertur collata. Itaque ad indagandum qualiter spiritus illi patiantur ab igne corporeo, non expedit nimis inniti naturali investigationi, quemadmodum nec in alijs

Hic lib. 2 super Isa. cap. 38. In spiritalibus indagandis non est naturaliter procedendum.

multis quæ credimus. F R A. Ut mihi apparet ad deuotionis & compunctionis profectum, plus confert in his simpliciter credere, quàm ea quæ fidei sunt, per rationem discutere: tamen quia materiam istam ingressi sumus, opto audire quid alij quocunque doctores de hac ipsa scribât materia.

De alia quorundam doctorum positione circa modum quo incorporei spiritus affliguntur ab igne materiali.

ARTICVLVS XVII.

DE hac re super 4. distinctione 44. Describit Bonauentu. Aliqui sumere voluerunt modum actionis istius ex parte naturæ ipsius animæ, & sumplerunt istud ex verbis Augusti. 12. super Genesim, vbi ostendit quòd anima pati potest corpore non patiente, etiam acerbissimæ passionis, quemadmodum probat ibi per exempla in somnis & in ægritudine quadam vexationibusque quibusdam. Si ergo anima secum trahit affectiones & imagines corporales, & in illis atque per illas potuit pati in corpore non patiente etiam ad ignis absentiam, multo plus quàm

Aug. li. 12. super Gene. ca. 17.

separata fuerit à corpore poterit pati per illas & in illis, igne purgatorij seu inferni præsentè. Quoniam quanuis nõ sit ibi passio corporalis, est tamen passio ibi animalis, seu spiritalis, quæ vera est passio & vera afflictio. His verbis addit Bonauen. Sed istud non videtur animæ fideli sufficere, quoniam credimus etiam dæmones qui carèt huiusmodi imaginationibus & affectionibus à corpore tractis, pati ab illo igne. Credimus etiam quòd poena illa infernalis & etiam purgatorij sit per veram ignis actionem, non per phantasticam imaginationem. Amplius, si substantia spiritalis separata, certum est quòd ab igne lædi non potest, ergo imaginatio illa ignis non generat in ea terrorem, nisi aliud occurrat quàm ipse animæ natura aut dispositio ex corpore cõtracta: Et ideo cum non possit sufficiens ratio sumi ex parte diuinæ iustitiæ, quæ rationem nostram quietet, nec ex parte solius animæ quæ fidei per omnia concordet: Ideo ratio sumi potest aspiciendo ad vtrunque. Inter plures autè modos persuadendi iste videtur probabilior esse: nam secundum Augustinum 14. de Ciuitate, Dolor siue tristitia est desensus ab his rebus quæ no-

bis nolentibus accidunt. Ad hoc igitur quòd dolor generetur in anima ab alio quo, duo concurrunt ex parte animæ patientis, videlicet perceptio ex parte cognitionis, & detestatio ex parte affectionis: Similiter duo requiruntur ex parte agentis: Vnũ est quod immutet animæ perceptionem: aliud, quod violenter & inseparabiliter adhæreat contra repugnantiam voluntatis. Ex his quatuor duo sunt secundum ordinem naturæ, & duo secundum ordinem diuinæ iustitiæ. Quòd enim ignis immutet cognitionem animæ, & anima percipiat actionem & calorem ignis, hoc est de naturali potentia vtriusque quod patet sic: Quia dum ignis agit in compositum ex anima & corpore duplex ibi est passio: vna naturalis, quæ est calefactio corporis: alia animalis, & hæc est immutatio sensus: & prima est vera naturalis passio, quoniam est ab igne tanquã à naturali agente: secunda passio est ab anima seipsam mouente, & ab igne occasionem præbente, vt dixit Augustinus sexto Musica: Quemadmodum ergo postquam separata est anima à corpore suo, corpus potest pati ab igne passione naturali, quoniam potest calefieri & inflammari,

*Aut dolo
ris genera
tionè duo
cõcurrunt.*

*Ignis quã
do in compo-
situm agit
duplex ori-
sur passio.*

*Aug. li. 6.
de Musica
cap. 5^a*

& hoc per naturalem potētiā vtriusque sic spiritus separatus potest pati ab igne passione animali, & ab igne presenti immutari, naturali potentia ignis & animæ. Duo ergo sunt ibi per ordinem naturæ, & alia duo per ordinem diuinæ iustitiæ. Quod enim ignis animæ indissolubiliter alligetur, & anima in eo recludatur tanquam in carcere, hoc est diuinæ iustitiæ, ad quam spectat malefactorem includere carceri. Quod item anima refugiat ignis calorem, qui ei per naturam nocere non potest, & trepidet timore vbi non est timor, hoc est diuinæ iustitiæ, quæ facit trepidare peccatores immittendo timorem & horrorem huius rei, qua secundum naturam sunt superiores: & quæuis istud sit opus diuinæ iustitiæ, non tamen est contra ordinem naturæ, vel spiritum trepidare quod trepidendum non est, vel spiritum corpori alligari. Hæc Bonauentu. Cuius positio partim cōcordat cum præinducta Thomæ positione, & partim ab ea discordare videtur, Nempe cum Thoma dicit spiritus illos igni alligari, & detineri in igne velut in carcere. Quod verò subiungit eos trepidare, vbi trepidendum non est, recedit à Thoma. Multaque
alia

Thomæ.
& Bonauentu. discrepantia.

illa in ista opinione tanguntur, quæ impugnationibus patent. Nam quod ait animam mouere seipsam ad sentiendum, & ignem præbere occasionem, sic videtur sonare quasi sensatio fieret non recipiendo sed extrā mittendo, & quasi sensus sit actiua non passiua potentia, quod Platonium est. Item quod dicit animam separatam pati ab igne passione animali, qua sensus immutatur à suo subiecto: nō enim manent in anima separata vires organice, aut sensus exteriores. Conformiter quod ait spiritus illos trepidare vbi non est timor, non apparet: nisi deus intellectum illorum spirituum taliter habebat & obscurer, vt naturam, proprietatem & vim ignis ignorent, qui multa valde altiora & subtiliora intelligunt. Denique iuxta istam opinionem non videtur posse defendi, quod etiam post resurrectionem communem demones punirentur tam grauius, vt homines reprobis, vt præcedenti tangebatur articulo: nā & ibi obiecta contra hanc quoque positionem militare videntur. Tantis tamen doctoribus non est irreuerenter, aut temere contradicendum. FRATER.

Quid de ista materia verius putas? DIONYSI.

Ad hoc sine aliorū præiudicio in sequenti respondebo articulo.

Quid verius videatur de modo, quo animæ separata ac dæmones affliguntur ab igne materiali.

ARTICVLVS. XVIII.

DIONYSIVS.

Dio. cart. cēſura circa iam dicta.
EGo firmissimè atque simpliciter credo, teneo & affirmo, quod ignis ille purgatorij & inferni verè realiter ac pœnalisimè influat, agat & imprimat in animas separatas ac dæmones immutando, & affligendo eosdem suo calore ineffabiliter acrius ac pœnali⁹, quàm aliquis in hoc mundo affligi & immutari queat ab ignis calore. Veruntamen modum, & qualitatem immutationis illius arbitror comprehendi non posse ab homine viatore, quoniam ignis ille non agit, vt agēs naturale: sed vt instrumentum diuinæ omnipotentis iustitiæ, & sicut omnipotens deus supernaturaliter contulit materialibus ac sensibilibus rebus, vtputa sacramentis, vt aquæ seu tinctioni in aqua, & vñctioni, ac sacramentalibus verbis, vir-

tutem agendi salubriter in incorporeas animas adhuc in corpore existentes: sic supernaturaliter cruciat, affligit, immutat & vrit animas separatas ac dæmones. Rursus quemadmodum creator benedictus, & gloriosus dedit inuisibilibus creaturis, vt angelis sanctis, imò & dæmonibus virtutem naturaliter influendi ac imprimendi creaturis corporeis, & mouendi, transmutandi, puniendi easdem: sic corporalibus ac sensibilibus rebus supernaturaliter dedit virtutem hanc immutandi affligendique animas separatas, quod & iusto ac decentissimò egit iudicio. Ex quo enim animæ prauæ ac dæmones peccando fecerunt seipsos sensibilibus, corporalibus inanimatisque entibus viliores per culpam, iustum est vt rebus huiusmodi subiciantur per pœnā, detentionem & immutationem maximè afflictiuam. Nam & huiusmodi afflictionibus ac passionibus vult iudex omnipotens spiritus prauos subdi & affici, quantum ineffabili modo aliter sint in eis quæ in rebus huius mundi corporeis. **FRA.**
 Hæc omnia, vt mihi videtur, catholicè sonant, sed authoritatibus sanctorū, & exemplis ea corroborata **DIONYS.** Quoniam
 Gg ij

diuersi diuersimodè, imò & truncatè ac incompletè verba allegant sancti Gregorij, volo verba eius integrè commemorare, vt clarius pateat mens ipsius. Itaque. 4. Dialogorum libro differuit, Si viuentis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem igne teneatur igne corporeo? Ad quod Petrus (cum quo disputauit sicut & ego tecum) respòdit, In viuente quolibet idcirco incorporeus spiritus tenetur in corpore, quia viuificat corpus. Ad quod Gregorius, Si incorporeus spiritus in hoc teneri potest, quia viuificat, cur non & ibi pœnaliter teneatur vbi mortificatur? Teneri autem spiritum per ignem dicimus, vt in tormento ignis sit viuendo ac sentiendo: ignem nanq; eo ipsum patitur quo videt: & quia concremari se aspicit, concrematur: sicque fit vt res corporea incorpoream rem exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor inuisibilis trahitur, vt per ignem corporeum, mens incorporea flamma crucietur. Quauis colligere ex dictis euangelicis valeamus, quòd incendium anima non solùm viuendo, sed etiã experiendo patiatur: veritatis etenim voce Diues mortuus dicitur in inferno se-

*Spiritus
igne quo-
modo te-
neantur.*

pultus: qui deprecatus est Abraham, dicens, Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquã, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Denique veritas in fine reprobis dicit, *Luc. 16.*
Ite maledicti in ignem aternũ, qui praparratus est diabolo & angelis eius. Si ergo diabolus eiusque angeli cùm sint incorporei, corporeo igne sunt cruciandi, quid mirum si & animæ antequam recipiant corpora, corporea torméta sentire cogantur? Ad hæc Petrus ille respondit, Placet ratio, nec debet animus de hac quæstione vltèrius dubitare. F R A. Quomodo ignis ille corporeus dicitur, cum aliqui sancti videantur ambigere, an corporeus incorporeusve existat: quemadmodum te legisse ac melius scire nõ dubito? D I O N Y S. Fateor doctorem egregium beatissimum. Augustinum de his interdum inquisitiuè & quasi dubitatiuè locutum. Nam & super Genesim ait, Spiritualem arbitror ignem illum. Et iterum dicit, Cuiusmodi sit ignis ille aternus arbitror scire neminem posse, nisi cui spiritus diuinus ostendit. In libris quoq; de Ciuitate dei, & super verba illa Apostoli, Alij ædificant lignum, scænum & stipulam: loqui- *1. Cor. 3.*

atur de his dubitatiuè. Et rursus duodeci-
mo super Genesim, Spiritualem, inquir,
arbitror esse locum in quem anima defer-
tur post mortem. Insuper Damascenus
quarto libro, In fine, inquit, tradetur dia-
bolus & dæmones, & homo eius, videli-
cet Antichristus, & impij in ignem æter-
num, non materialem, qualis est, qui apud
nos est, sed qualem nouit eum deus. Ve-
rùm vt Bonauentura fatetur, Ipse beatus
Augustinus in suis sermonibus manifestè
testatur ignem illum esse corporeum. Da-
mascenus quoque non negat ignem illū
esse materialem, sed dicit quòd non sit ta-
liter materialis vt ignis qui apud nos est:
vel dicit eum esse immaterialem quātum
ad suas proprietates. Verùm vt rursus scri-
bit Bonauentura, Talem dubitationem de
igne purgatorij ac inferni abstulerūt no-
bis posteriores sancti doctores, vt Gre-
gorius, cui spiritus sanctus multa reuela-
uit: atque Isidorus in libro de ordine crea-
turarū, ac alij sancti, qui euidenter testa-
ti sunt ignem illum esse corporeū. F R A.
Cū diues in inferno sepultus non ha-
buerit ibi linguam corpoream, nec Laza-
rus in lyngo patrum digitorum corporale,
videtur quòd totum illud, de flamma in-

tinctioneque digiti, & refrigeratione lin-
guæ, sit spiritualiter intelligendum. P R O.
Verum est verba illa de lingua & eius re-
frigeratione, intinctioneque extrema-
tis digiti in aquam esse spiritualiter acci-
pienda, prout super Lucam poteris inue-
nire. Flāma tamen corporalis ibidem est,
quæ qualiter agit in spiritum, iam audisti.
F R A. Proposui quæere quid spiritualiter
per diuitis cōdenati, seu potius suę anime
linguam, & quid per digitum extrema-
tēque digiti animæ Lazari, quid etiam
per intinctionem eius in aquam sit intel-
ligendum: sed quia ad expositores super
Lucam me remisisti, nunc ista interroga-
re non audeo: Nam & super Lucam te
ista exposuisse non ambigo. Se d pre-
cor, vt ex aliorum quoque sanctorum pa-
trum doctrinis elucides, qualiter in corpo-
rei spiritus affligantur ab igne corporeo.

*Prosecutio declarationis qualiter animæ
ac dæmones possint tam dirè affligi
à corporeo igne.*

ARTICVLVS XIX.

Gg iij

AD huius rei veritatem declarandam primò affirmo quòd sanctus asserit Augusti. in quodam sermone, Ignis ille purgatorij durior est, quàm quicquid pœnarum, in seculo isto videre, sentire, aut cogitare quis poterit. Deinde quòd quarto Sententiarum Magister ex verbis sapientissimi Augustini allegat dicentis, Quisque profiteri renuit animam posse habere similitudinem corporis, corporaliùque membrorum potest negare animam esse quæ videt in somnis se ambulare, sedere, vel huc illucque ferri volatu aut gressu: quòd sine quadam corporis similitudine non fit. Proinde si hanc similitudinem & apud inferos gerit, non corporalem, sed corpori similem, potest & ibi sic pati. Insuper ad idem probandum inducit Magister verba Iuliani episcopi, qui verba Gregorij præcedenti capite introducta, allegat in forma & sequitur ea. Addit quoque Magister, In Casiani etiã voluminibus legitur, quòd animæ separatae non sint otiosæ, neque nihil non sentiant, cum diues ille in inferno flamma cruciari se clamet: vnde probatur animas defunctorum non solùm suis sensibus non

Lucæ. 16.

Anime defunctorum sensibus non privantur.

priuari, sed nec istis affectibus, scilicet spe, gaudio, tristitia, metu carere: Hæc Magister FRA. Ex his non satis intelligo qualiter animæ separatae ac demones affligantur ab igne corporeo, nisi fortè ex quadam phantastica ignis apprehensione, & imaginatione rei læsiuæ: à quæ tamen nequeunt immutari: & magis à similitudine ignis, quàm ab igne. DIO. Ea quæ fidei sunt rationem & comprehensionem transcendunt, nihilominus per ea quæ naturaliter fiunt, aliquo modo declarantur. Si ergo anima adhuc existens in corpore potest absque corporis passione tam horribiliter affligi in somno ex sola imaginatione & similitudine corporaliù rerum, quòd magis per omnipotentiã dei possunt animæ separatae ac demones nunquam dormientes affligi & immutari, ineffabiliterque puniri igne corporeo ex ignis illius apprehensione, præsentia, impressione, per similitudines, species ac diuinationes ipsius: ita quòd sicut spiritus illi vitiosi ac turpiter in rebus caducis sunt delectati, sic iuste & innaturaliter, violente & supernaturaliter compellantur rerum corporearum ac vilium impressionibus, atque punitiõibus subia-

tere & affici. Insuper, non obstante omni animæ rationalis simplicitate & incorporeitate anima naturaliter efficitur intrinseca corporis forma substans, efficiens, essentians atque viuificans illud: & ex consequenti passionibus, afflictionibusq; corporalibus comunicans, subiaccens & formata. Nonne ergo omnipotens iudex potest tam animas separatas, quàm demones taliter alligare & vnire corporeo igni vt vere subiaceant afficiantur & torqueantur impressionibus eius? **F R A T.** Cùm nec in demonibus, nec in animabus separatis consistant sensus interiores, qui sunt vires organice, inter quas sunt vis imaginatiua ac memoratiua, quomodo poterit in illis spiritibus esse imaginatiua apprehensio, seu imaginaria cognitio ignis & corporaliū rerum? **D I O.** Nonne supersimplicissim⁹ & immaterialissimus deus cognoscit hæc vniuersa corporalia: deinde & angeli sancti, in quibus nequaquam est sensus interior, aut imaginatiua potentia? Nonne etiã anima diuitis cõdemnata posita in tormentis recordabatur fratrum suorum? Porro an & qualiter potentia sensitivæ exteriores & interiores maneant & consistant in anima separata, & quali-

Inc. 16.

ter non, specialis est difficultas, quæ à doctoribus super 4 Sententiarum determinatur: & circa hoc aliter senserunt Platonicus, quos in hac parte Augustini & alij quidã catholici sequi videntur: aliterque Peripatetici, quos doctores nostri cõmuniter sunt secuti. Certum est autem quòd potentia sensitivæ ad minus radicaliter & originaliter manet in anima separata. Veruntamẽ August. in lib. de spiritu & anima dicit, Recedit anima à corpore secũ trahens sensum, imaginationem, rationẽ, intellectum, concupiscibilitatẽ & irascibilitatem: & rursus, Anima (inquit) recedens à corpore ex his, putã ex imaginatione, concupiscibilitate, irascibilitate secundum merita aut demerita afficitur ad delectationẽ vel ad dolorem: imò super Genesim 12. ait, Neque enim video cur habeat anima similitudinem corporis sui dum iacete sine sensu corpore, non tamẽ penitus mortuo, videt talia, qualia multi ex tali seductione ad se reuersi, alijs narrauerunt, & non habeat similitudinem hæc dum perfecta morte penitus de corpore exierit. **F R A T.** Cùm ista sint satis difficulta mihi, cupio de ista materia plenius per exempla certificari.

D. DIONYSII CARTH.

Demonstratio per exempla, quàm acerbissimè patientur animæ defunctorum ab igne purgatorij & inferni.

ARTICVLVS XX.

DIONYSIVS.

*Reparati
visiones.*

DE hac re receit multa exempla Gregorius Papa quartò Dialogorum, quæ te puto legisse: videlicet qualiter vir nomine Reparatus, eductus de corpore vidit rogam ingentem paratum, cui super impositus fuit Tiburtius presbyter lubricus, & igne supposito est crematus, eadèque hora obiit ille Tiburtius, cuius anima fuit incendio deputata. Alium quoque vidit rogam parari, cuius cacumen videbatur à terra vsque ad cælum extendi. Vidit autem rogos parari, non quòd in inferno ignis construatur ex lignis, sed per ea ex quibus apud nos ignis nutritur, ostensa sunt ei supplicia impiorum, vt ea viuētibus, per solita aptius recitaret. Insuper, refert de quodam curiali repente defuncto, eo quòd puellam quam de fonte leuauit baptismatis, violauit: de cuius sepulchro, cunctis cernentibus, diu flamma erupit, quousque omnia eius combusit, imò & totum eius se-

COL. DE IVD. ANI. 225

pulchrum consumpsit: quod, vt ait Gregorius, ideo fecit omnipotens deus vt ostenderet quid anima eius pertulit in occulto, cuius corpus sic combustum est in sepulchro: atq; vt hinc pensemus quid anima viuens ac sentiens pro suo patiatur excessu, cuius insensibilia ossa, tantò sunt concremèta supplicio. Amplius scribit de eremita monacho nomine Petro, qui antequam eremiticam vitam assumpsit, defunctus fuit, sed corpori protinus restitutus, testabatur se vidisse inferni supplicia, atque innumera loca pœnarum, quosdam quoque seculi huius potentes, in eisdè flammis suspensos: cumq; & ipse iam demergendus esset in ignem, angelus mox apparès eripuit eum & dixit, Egredere & qualiter tibi deinceps viuendum sit, attède cautiè: Qui resuscitatus, tãtis deinde vigiliis se ieiunijsque còstrinxit, vt cum inferni tormenta vidisse ac timuisse còuersatio loqueretur, etiam si id lingua non fateretur. Præterea recitat de milite nomine Stephano, qui defunctus iacuit inhumatus vsque ad diem sequentem & tunc resuscitatus, perhibuit se vidisse inferni supplicia quæ non credidit prius audita. Refert quoq; de alio milite

*Stephano
militis vi
sto.*

edicto de corpore, qui reductus ad corpus reulit se pontem vidisse, sub quo ponte decurrebat niger caliginosusque fluvius, nebulam intolerabilis fœtoris exhalans. Transacto autem ponte, erant amœna atque virentia prata, odoriferis herbarum floribus decorata, in quibus dealbatorum hominum conuenticula videbatur: & tãtus erat ibi odor suauitatis, quod vniuersos illic habitantes, ambulantesq; sanauit: ibi mansiones diuersorum singule multitudine lucis fuerunt plenæ: ibi quoque ædificabatur domus miræ potentis, quæ aureis videbantur laterculis cõstrui: sed cuius erat, nequiuit agnosci. Erant etiam super ripam prædicti fluminis nonnulla habitacula, quorum aliqua ab exurgente fœtoris nebula tangebantur, alia verò exurgens fœtor non tetigit. Porro hæc erat in ponte illo probatio, vt quisque iniustorum vellet per eã procedere, in tenebrorum & fœtidũ flumen delaberetur: iusti verò quibus culpa non obstitit, securo per eum ac libero gressu ad prata amœna pertingerent. Ibi quoque vidisse se dixit Petrum quandam maiorem, ante 4. annos defunctũ, deorum in locis illis tererrimis positum, magno

pondere ferri relegatum atque depresso, quoniam reos magis ex crudelitate, quàm ex obedientia & equitate puniuit. Afferuit item se vidisse in ponte illo Stephanum quendam, quo volente transire per pontem lapsus est pes ipsius, atque ex media corporis parte fuit extra pontem deiectus, & à quibusdam viris tererrimis ex flumine surgentibus per coxas deorsum, & à quibusdam albatis ac speciosissimis viris cœpit trahi per brachia sursum: per quod dabatur intelligi, quod in Stephano illo erant elemosynarum largitio, & carnis lasciuia. **F R A T.** Diu te de his recitantem libenter audiui: & quauis circa narrata multæ mihi dubitationes & quæstiones occurrerent, has tamen proponere distuli: quia perpensi ex tua relatione mihi dari occasionem diligentissimè inquirendi, quod diu ac sæpe inquirere concupiui, vtputa quid æstimes sentiendum de visionibus reuelationibusque nonnullis, quibus quidam modicam adhibent fidẽ, quæ tamen ex præinducta magni Gregorij reuelatione roborari videntur, atque credibiles fieri. **D I O.** Quæ nam sunt visiones, reuelationesque illæ? **F R A T.** Visio Tondali, visio cuiusdam

monachi, quæ Anglicana vocatur, visio facta est de purgatorio Patritij, & visio Christianæ mirabilis. D I O. Quid tibi in visionibus illis videtur amplius inquirendum, & mirum seu magis ambiguum?

Quid sentiendum videatur de visione Tondali militis, & an visio illa facta sit anima Tondali existente in corpore, an eo veraciter mortuo.

ARTICVLVS XXI.

FRATER.

DE visione Tondali, proximum est cuncta referre, & longa narratione molestare te vereor, cum in omnibus studeas breuitati, Verum aliqua cōpēdio sius quod potero enarrabo. Itaque sicut is qui visionē illā descripsit, testatur, Tōdalius miles Hiberniæ post visionē suā redūcta ad corpus, dixit, Cūm anima mea corpus exueret, & illud mortuū esse cognosceret, cōscia sibi de malo, cœpit timere, voluitq; ad corp⁹ redire, nec poterat illud intrare: sicq; miserima cōsidebat in sola dei misericordia. Tandem vidit venire ad se tantam multitudinē immundorū spirituum

rituum, vt non solum domum, sed & omnes vias ac plateas viderentur implere, qui dentibus suis stridebant in eam, & vnguibus propriis præ nimio furore laniabant genas teterrimas. Post hæc misit deus angelum in occursum ipsius, quem vidēs anima mea à longe venientem, indefinenter eum aspexit, qui dixit: Esto securus, quia non deerit tibi misericordia dei, quia patieris pauca de pluribus quæ pati promeruisti: sequere me, & quæcunque monstrauero tibi, memoriter retine, quia debes iterum ad corpus redire. Cūmque longius pergerent simul, tandē venerunt ad vallem valde terribilem, tenebrosā, profundam, ardentibus carbonibus plenam, habentem operculum ferreum sex cubitorum, quod nimio ardens calore, superabat carbones, cuius fœtor animā præ omnibus (quas sustinuit hucusque pœnis afflixit: descendebat autem super ferream laminam illa multitudo miserimarum animarum, & illic cremabantur donec omnino liquecerēt, instar cremij in sartagine concremati: & quod grauius est per illam laminā colabantur, sicut colari solent cera per pannū, sicque in carbonibus ignis ardentibus renouabā

*Bestia in-
credibilis
magnitudi-
nis.*

tur ad pœnas. Deinde anima cum angelo venit ad quandam incredibilis magnitudinis bestiam, cuius os videbatur posse capere nouem millia hominum armatorum intra quam erant multa millia viro- rum ac mulierum, dira tormēta luentiū, tunc angelo disparente, dæmones traxerunt animam in bestia ventrem vbi inef- fabilia tolerauit tormenta, ferocitatē canum, vrsorum, leonum, serpentium, & in numerabilium aliorum animalium mon- stroforum, dæmonum ictus, ardorem i- gnis, asperitatem frigoris, foctorem sul- phuris, caliginem oculorum, fluxum la- chrymarum, dentiūmque stridorem, ita quod proprias genas præ dolore potuit lacerare. Post hæc miro quo nescio mo- do eruta de bestia, cum longius debilis iaceret, aperiens oculos, vidit angelum prope se stantem, qui eam confortans, du- xit ad stagnū amplum & tempestuosum, in quo erant terribiles bestia mugientes nec aliud postulantes, nisi animas deuo- rare. Porro per lacum eius erat pons lon- gitudinis duorum milliarium, & laritudi- nis palmæ vnus, cui inserta erat tabala clauis ferreis acutissimis plena, omnēsq; bestia conueniebant ad pontem sumere

escas, vtpote anima; pertransire non va- lentes, dixitque angelus animæ. Oportet te pontem istum transire, nec vacua ibis: sed vaccam indomitā (quam, dum in cor- pore eras cōpatri tuo furata fuisi) opor- tet tecum ducere, & illāsam mihi vltra pontem exhibere. Tunc anima ait: Quo- modo ego miserrima potero transduce- re vaccam in tali periculo, vbi stare non possum omnino? Videns autem anima quod oporteret eam sic facere, cœpit re- luctantem trahere vaccam, & cum ea ire per pontem, & cum staret anima, cade- bat vacca: cum staret vacca, corruit ani- ma: sicque viceuersa, modò stabant, mo- dò cadebat, quousque venerunt ad me- dium pontis, vbi obuiant eis quidem fu- ratos manipulos, super se portans, sicque anima iste rogabant seinuicem, ne vna alteram à suo impediret itinere, & plan- tarum suarum sanguine pontem cruen- tabant, tandem (nescientes qualiter) sen- serunt, quod à vna aliā pertransisset. Cū- que anima pontem transisset, vidit ange- lum suum, ostenditque ei pedes suos cru- entatos. Post hæc angelus duxit eam ad domum ignibus plenam, de qua exibat flama, per mille passus comburens omnes

animas quas inuenit. Vidit autem anima ante domus portā stantes carnifices cum securibus, cultris, sarmentis, falcibusque acutis, cum dolabris, tenebris, vāgis fossoriis, cum quibus poterant animas excoriare, decolare, scindere, detrūcare: & sub manibus illorum carnificum viderunt animas innumerabiles hæc omnia sustinētes, tunc (angelo permittente) dæmones animam rapuerunt, & præfatis instrumentis dissipauerunt, & dissipatā ac fractam tradiderunt incēdio. Doloribus vendorum maximè torquebantur luxuriosi. Consequenter duxit angelus animam ad loca atq; tormenta prædictis horribiliora, monstrauitque ei infernum, & principem tenebrarum in horribilissima. Tandē cum anima vidisset & experta esset huiuscemodi pœnas, processit cū angelo, & vidit murum excelsum, intra quem erat plurima multitudo virorum ac mulierum, ventum ac pluuiam, famem ac sitim sustentium, & erant valde tristes: & interrogante anima qui essent, angelus dixit, Isti sunt mali, sed non valde mali, qui in mundo se habuerunt honestè, sed bona temporalia non communicauerunt pauperibus quemadmodum

Luxuriosorum pœnarum generi in inferno.

Locus nō valde malorum.

debuerunt: ideo patiuntur has pœnas per aliquot annos, & tunc deducuntur ad requiem bonā. Post hæc angelus & anima venerunt ad portam, quam ingressi viderunt campum pulcherrimum, odoriferū, floribus confitum, lucidum & amœnum in quo erat multitudo innumerabilis animarum virorum ac mulierum, & nox ibi non erat, nec sol occumbebat, & erat ibi fons aquæ viuæ. Interroganteque anima, quarum animarum est requies ista? Angelus ait: Hic habitant boni, non valde boni, qui de suppliciis liberati, nondū merentur sanctis coniungi: & inde procedens anima, vidit laicos sibi notos. Cūque angelus & anima processissent, viderunt murum nimis sublimem & præclarum: & ingressis eis ibidem vidit choros angelorum deum laudantiū, viros ac mulieres lætantes pulcherrimè vestitos, & suauissimus odor fuit ibi, dixitque angelus: ista sunt præmia coniugalium, qui fidem coniugalem seruantes, & suam familiam bene regentes, temporalia sua communicauerunt pauperibus & peregrinis atque ecclesiis. Cū ergo angelus & anima sic plurimos pertrāsissent, apparuit eis murus tā altus vt primus de auro purissi-

mo, quo pertransito, apparuerunt sedilia de auro & gemmis constructa, preciosissimis sericis cooperta, in quibus sedebat seniores viri & sceminae, vestiti sericis, & stolis albis, & tyaris, & vniuersis ornatibus, & splenduit facies vniuscuiusque sicut sol in meridie, cecineruntque deo dulcissimè Alleluia. Et angelus dixit: Isti sunt cōtinentes, qui per aliquod tempus carnis debitum persoluentes, reliquū vitæ in seruitio dei duxerunt, vel martyrium patientes pro Christo, vel seipsum cum vitis & concupiscentiis crucifigentes. Verùm dum anima curiosius conspiceret, vidit castra & papiliones ex purpura, bysso, argento, auro & serico mira varietate constructos, in quibus audiuit quàm plurimos omni musicorum genere suauissimè concinentes, quorum beatitudo & gloria omnium præcedentium gloriam transcendebat. Dixitque angelus: Isti sunt monachi & moniales, qui verè regulariter sub obedientia sancta vixerunt. Post hæc viderūt mutū altitudine, pulchritudine & splendore dissimilè aliis ex omni lapide pretioso constructū, qui pro cæmento habuit aurum, erantque in muro omnes lapides pretiosi. Conscen-

Apo. 19.

Galas.

so itaque muro viderunt nouem ordines angelorū, & audierunt inenarrabilia verba, quæ nec potuerunt, nec licet hominibus loqui. Ab illo igitur loco (mirabile dictu) viderunt omnem gloriam antè visam, & totum mūdum quasi sub vno radio solis, stantes enim nec se gyrates, cunctos ex eodem loco, & antè & retro postos cernebant. Non solū autem visus, sed & scientia accessit insolita animæ illi, ut iam non egeret interrogatione, sed omnia nosceret integrè, qua exultante & ibi manere sperante angelus blandè locutus est ei: Vidisti hæc omnia: ideo quæ vidisti memoriter retine, quoniā te ad corpus redire oportet: iuste & sobriè amodovivue, Argue, obsecra, increpa peruersos & lasciuè viuentes. Hoc audito ingemuit anima, & corpus reinducere horruit, atra-
 1. Tim. 4.
 men eodē momento quo in cælo loquebatur cum angelo, sensit se in terris induere corpus suum, & debiles aperiens oculos circumstantes aspexit, & cuncta quæ vidit, narrauit. Ista prout breuius potui ex visione præfata perstrinxit. ¶ 10. Satis succinctim hæc (multis omiſſis) narraſti, nunc si tibi placet, propone dubia, quæ tibi circa hæc oriuntur.

D. DIONYSII CARTH.

*Introductio dubiorum qua circa
hac oriuntur.*

ARTICVLVS. XXII.

FRATER.

*Qualis
fuerit Tō
dalis visio.*

Primò me mouet, an anima Tondali ista videndo fuerit realiter in corpore illud viuificando, an separata à corpore & substantialiter extra illud, ita q̄ corpus verè mortuum fuerit, & quidem visionis huius descriptor manifestè testatur, & asserit quòd Tondalus per triduum quo anima eius conspexit hæc, erat defunctus. Sed oppositum huius videtur ex multis; nam animæ separata non competit videre dæmones in forma corporali sensibili, neque localiter ambulare, nec pedes corporales qui sanguine cruententur, habere. Nec realiter in inferno aut purgatorio sunt bestiae, nec animabus separatis cōpetere potest excoriari, decollari, scindi, liqueferi, aut secari. Nec in illis tormentis sunt canes, vrsi, leones, serpentes, & similes ferae. Nec rursus anima separata potuit sic ducere realiter indomitam vaccam per pontem. Nec videtur quòd ista possint animæ separatae per formas imaginarias aut per similitudines cor-

COL. DE IVD. ANI. 231

porales ostēdere: cūm in ea non maneat nisi potētiae intellectuales, propter quod omnia iam prætacta aptius ostenderentur ei per intelligibiles species. Præterea secundum sanctorum patrum doctrinam, omnes animæ sanctæ separate à corpore & sufficienter purgatæ in purgatorij igne, mox euolant in regnum caeleste & quanuis in inferno diuersa genera sint poenarum, in purgatorio tamen non est nisi supplicium ignis, loquendo de poena sensus. Dicunt item doctores, quòd animæ in purgatorio non puniuntur per dæmones, quomodo ergo quidam defuncti, non sustinebant nisi ventum & pluias, quod non videtur omnem huius vitæ excedere poenā: & quomodo anima ista vidit defunctos puniri per dæmones antequam ad inferni loca peruenit? Insuper secundum fidei veritatem, omnes beati sunt in vno paradiso caelesti, non in pratis virentibus, nec in regno caelesti, aut mansionibus beatorum sunt muri aurei siue argentei, nec castra aut papiliones, ergo nullum horum ostensum est animæ huic secundum veritatem seu existentiam rei, sed solūm per imaginariam representationem, & ita vi-

*Ecclesia
triumphans
unde con-
stet.*

detur in tota hac visione fuisse in corpore, & rapta fuisse in spiritu, ac alienata prorsus ab omni actu atque officio exteriorum sensuum ac membrorum. Postremo quanuis angelici spiritus sint altioris naturæ & dignioris speciei, quam animæ separatæ aut homines, nihilominus ex electis, & sanctis animabus ac angelis gloriosis constat vna triumphans ecclesia, ita quòd ad singulos ordines angelorum aliquæ animæ sanctæ perueniunt, quemadmodum & ex singulis angelorû ordinibus aliqui corruisse creduntur. Quando ergo hæc omnia vidit in loco altissimo, infra aureum murum nouè choros angelorum, quasi ibi sint vniuersi angeli gloriosi, & ibi duntaxat. Porro si anima ista videndo hæc omnia fuit realiter separata à corpore, atque localiter ducebatur, & vniuersa præacta veraciter vidit, precor vt mihi exponas, quo & quali visu ac qualiter vidit hæc, & qualiter à dæmonibus trahebatur in bestię ventre, & qualiter iuit per pontem, an etiam in re fuerunt, aut sunt talia prata, castra, papiliones, muri ac musica instrumenta: & si non sunt, qualiter ostensa sunt animæ separatæ. D I O. Multa ardua & profunda

compendiosè sententiôsèque tetigisti, sed quia hæc cadem circa alios quoque visiones, de quibus dixisti te velle inquirere, possunt moueri & obiici, idcirco si placet de aliis etiam visionibus tange quæ mouent te, vt ad omnia simul respondeatur.

*De quibusdam in visione monachi
Anglicani contentis.*

ARTICVLVS XXIII.

FRATER.

Visio & reuelatio illa anglicana de multiplici pœna purgatorij & inferni, videtur mihi per omnia visioni Tôdoli consonare. Nam & in visione hac Anglicana inter cætera continetur, quemadmodum frater deuotissimus cui reuelatio illa est facta, dixit sibi apparuisse sanctû & venerabilem senem, videlicet beatissimum Nicolaum, qui apprehensa dextera fratris ait: Sequere me, statimq; frater fuit in ecstasi mentis, in qua à nocte cœnæ domini vsque ad vespèras sabbati paschæ permansit, omnium exteriorum sensuû ac membrorum orbatus officio, & reuersus ad se in die paschæ post prandium,

*visio hor-
renda.*

ad importunam affectuosam, humilimam fratrum instantiam dixit: Ibanus senex ille & ego simul quousque peruenimus in regionem spatiosam, horrendam: in qua vidimus multitudinem infinitam variorum & inenarrabilium immanitatum suppliciorum expositam, & tamen omnes in spe futurae liberationis aequaliter respirabant, quia non erant damnati. Gementes, flebant, & poenis urgentibus eiulabant, quorum quidam repente exilire conantes, mox ab emergente flamma inuoluebantur, ac dire conflagrati occurrentibus, & resistentibus tortoribus, cum flagris atque tridentibus ac vario suppliciorum apparatu relabebantur in poenas. Nihilominus sic exusti, caesi, discerpti, sic frigore glaciali contracti, paulatim ad tolerabiliora pergebant tormenta. Infinitae erant ibi species tormentorum, hi ad ignem torrebantur, his in sartagine frangebantur, hos ignei vngues usque ad ossa & solutionem compagum radendo sulcabant, alios balnea confecta ex pice & sulphure, aere & plumbo resolutis, calore cum foetore excoquebant horrendo, alios vermes monstrofi cum dentibus venenosissimis rodebant. Multos mihi olim in

*Tormento
rū speci-
as varie.*

seculo agnitos & familiares ibi aspexi. Porro clericos & monachos, laicos & feminas tam seculares, quam sanctimoniales eò minoribus cruciatibus vidi addictos, quò in vita sua minoribus fuerunt honorum seu officiorum priuilegijs fulti. In veritate dico, quò speciali acerbitate supplicij vniuersos affligi aspexi in linguis suis, quos aliorum iudices aut praelatos fuisse cognoui temporibus nostris. Nulla tamen hominis lingua sufficienter valet exprimere leuissima regionis illius supplicia, nec aestimatio potest cōcipere varietatem ac multipliciter, quia vicissim alternantibus poenis subditur, nec aliquis posset ea dinumerare. Testis mihi est deus, quia si viderem aliquem hominem (qui me & omnes charos meos afflixisset omnibus poenis atque iniuriis quæ possunt homini in vita hac irrogari, aut etiam occidisset) deputari supplicij, quæ vidi ibidem, milesies (si fieri possit) pro eius ereptione mortem appeterem, intantum cuncta quæ vidi ibi excedunt mensuram & modum doloris & angustiae, amaritudinis atque miseriae. Post hæc venimus ad locum aliū tormentorū, videlicet ad tenebrosissimam ac pro-

Locus. 2.

fundissimam vallem in qua erat teterrimus fluuius, nebulam ineffabilis foetoris exhalans, rogas quoque vsque ad celum succensus. Tanta etiam immanitas frigoris, fauicibus procellis niuis & grandinis, vt putarē me nihil pœnalius illo conspexisse algore. Tanta fuit ibi multitudo animarum, vt solent aluearia apū multitudine abūdare: animabus illis fuit hoc generale supplicium, quod nunc in omnē foetidum, nūc inde crumpentes ignibus immergebantur. Tormenta huius loci erant grauiora supplicii loci prædicti.

Locus. 3. Tandem venimus ad tertium purgatorij locum, ad campum horribili chaos optertum vbi erat sulphureus fumus foetoris immanis, planicies campi ita scatebat multitudine vermium, vt solet pavimentum domus iuncis cooperiri, & hi vermes vltra omnem estimationem horrendi, monstrosi, deformes, terribiles, rictu, & igne spirantes, inexplebili voracitate miseris lacerabant, quos & daemones frustatim per membra singula igneis ferramenti truncabant. Deum testor, parum est, imò tanquā nihil, quicquid dicerem nititur de pœnis loci illius. In breuifimo enim temporis spacio intuebar eos

centum vel amplius pœnarū diuersitatibus annulari, mōxque restaurari & rursus quasi in nihilum redigi, & harū vicissitudinū nullus erat finis. Tam edax fuit incendium ignis illius, vt quasi reperi crederes, quicquid ī mūdo feruere aut exurere solet: vermos dirupti ac mortui, ac per frustra cōminuti sub infelicibus cōgebantur, qui foetore execranda putredinis adeo vniuersa replebant vt feculētia illa omnem prædictarū pœnarū excederet cruciatum. Deniq; visis tot cruciamētis, cœpit procedētibus nobis lumē gratissimū apparere, hinc fragrantia odoris dulcissimi, atq; amœnitas cāpi multimoda florū iucūditate vernētis incredibile nobis præstitit voluptatem. In hoc cāpo inuenim⁹ infinita milia hominū, seu potius animarū, scēlici quiete post expleta tormēta gaudētium: quos in prima illius campi parte inuenimus, vtebantur vestibus albis, sed non satis nitentibus, nihil tamen nigredinis aut maculae erat in eis, minori tamē gratia cādoris pollebāt. Vidi ibi quādem venerabilē Abbatissam, quæ magnæ fuit virtutis in vita hac, & nuper de tormentis euaserat, quæ in campo hoc vestibus immaculatis, sed non satis

eandentibus utebatur: hæc marcida specie, & tali habitudine videbatur, quasi lōga ægritudine confecta, & ex balneis nuper fuisset egressa. Vidi ibi & quendam priorem, beata quiete cum spiritibus iustorum foelicem, certa expectatione visionis diuinæ, qua erat remunerandus, in comparabiliter lætorem. Post hæc ad interiora huius campi progressi, vidimus in medio spirituum beatorum, quorum ibi infinita millia circumstabant, crucis mysterium adorari. Videbatur Saluator quasi in stipite crucis suspensus ad quod vitale spectaculum cum ineffabili alacritate vndique concurrebatur: mira intuitium deuotio, magna pro tātis beneficiis gratiarum actio, Quis nō admiretur tantam in Salvatore nostro clementiam, vt quod semel pro nobis in carne passibili pertulit in hoc mundo, hoc impassibilis nunc existens, ob nimium humanarū animarum amorum, ad earum gaudium & deuotionem ampliandam, imaginatiter representare dignetur in paradiso? Deinde post horam non modicam visio ipsa disparuit, & singuli ad proprias sedes cū gaudio redierunt. Post hæc vidi eminens quasi murū chrysalinum, cuius nec alti-

tudo,

tudo, nec longitudo poterat peruideri, per cuius lucidissimam portam intrauimus, ibi deliciosissimus splendor. Porro ad altiora prospiciēs, vidi dominum Saluatorem in throno gloriæ residentem. Veruntamen locus iste non fuit, vbi videtur deus facie ad faciem, sed inde iam remota omni difficultate, & omni dilatione, ascenditur in cælum illud æternæ deitatis visione beatum. His visis & auditis, sanctus Nicolaus ductor meus me breuiter salubriterque admonuit: dicens, Iam tibi ad tuos est redeundum: Hæc pauca ex visione iam perstrinxi. D I O. Magistraliter perstrinxisti, ideo dubia quæ tibi circa hæc occurrunt, propone. F R A. Pendē omnia quæ præcedenti articulo tetigi, hîc quoque poterunt tangi, quæ nūc repetendā non sunt. Specialiter verō me mouet qualiter verum sit, quod animæ in purgatorio emūdatæ, dicuntur in hac visione venire ad paradysum terrestrē antequam ad cælestem perueniant paradysum: præsertim quoniam inter receptacula animarum post vitam hanc non computatur paradysus terrestris, sicut tu melius nosti. Denique cū animæ post hæc vitam non sint amplius in statu merēdi,

I i

cur eis in paradiso fieret talis representatio dominicæ passionis? D I O. Sapienter interrogas, & rationabiliter dubitas. Veruntamen antequam ad solutionem omnium horum procedam, adhuc tange de aliis visionibus aliqua, quæ maiorem tibi pariunt dubitationem.

Depurgatorio sancti Patritij.

ARTICVLVS XXIIII.

Descriptio purgatorij Patritij.

Qualiter sanctus Patritius impetrauerit sibi à domino demonstrari quendam purgatorij locum sub terra, vulgare est satis: qualiter etiã inter multos, qui locum huiusmodi intrauerunt, quidam miles introierit atque exierit & quæ ibi conspexit de suppliciis peccatorum, gaudiisque iustorum, reuersus retulit, cõmuniter legitur in libello, qui de Purgatorio sancti Patritij intitulatur. Retulit, quippe quòd fossam profundam ingressus primò deuenit in campum & aulam, in qua venerunt ad eum quadringenti & quindecim viri sancti, admonentes eum de futuris periculis, & de constantia obseruanda. Post quorum disparitionem apparuerunt ei visibiles

dæmones multi in formis horrendis cum strepitu magno, quorum dum verba cõtemneret, ab eisdem proiectus est in magni rogi incendij, de quo Christi inuocando, repente ereptus est: quo facto dæmones eum traxerunt ad cãpum quendam longissimum, plenũ hominibus nudis vtriusque sexus, qui ventre humo hærebant, & clauis ferreis atque candentibus terræ affixi extendebantur. Deinde, traxerunt eum ad alium campum maioribus plenũ miseris, in quo homines diuersæ ætatis & sexus resupini iacebãt fixi in terram, super quos iacebant dracones igniti, quasi comedentes ac lacerantes subiectos. Aliorum capita vel brachia aut totum corpus circumcinxerunt serpentes, & capita sua pectoribus miserorum imprimentes, ignitũ ac venenosum cruris aculeum illorũ cordibus infigebãt. Bufones quoq; miræ magnitudinis, & quasi ignei, super quorũdam pectora cõsistebãt, quibus sua rostra deformia infigebãt, ipsorũ corda quasi extrahere nitentur: super quos etiã dæmones discurrebãt, flagris cruciantes eosdem. Inde traxerunt eum in tertium campum, miseris plenũ hominibus, qui à summitate capitis vs-

IIII.

que ad digitos pedū ita erant clavis transfixi, quōd in eorum membris locus vacuus non videbatur: insuper vento frigidō ac vrente, flagrisque dæmonum cruciabantur. Deinceps traxerūt eū in quartum campū, multis ignibus, & omni tormentorum genere plenum, in quo catenis igneis suspendebātur, alij per pedes, alij per membra, capitibus ad ima versis, atque sulphureę flammę immerfis: alij in fornacibus sulphureis cremabantur: alij super sartagine vrebantur. Omnia genera tormentorum quę excogitari possunt, erant ibidem. Ibi vidit hic miles aliquos sibi notos. Eiulatus & clamores vniuersorum quos ibi audiuit, nec lingua exprimere, nec sensus mortalium sufficit excogitare. Post hæc traxerunt eum in domum permaximā incēdiis repletam, rotundis & profundissimis fossis plenam, quę erant plenę liquefactis metallis feruentibus, in quibus plurimī torquebantur. Deinde traxerunt eum ad flumen magnum ac fœtidum, totaliter coopertum sulphurei flamma incendij: super quod flumen à ripa in ripam pons lubricissimus ac strictissimus tendebatur, qui in tantam altitudinem paulatim fuit extēsus,

*Domus
incendiss
plena.*

*Flumen
fœtidum.*

quōd horribile erat videre, per quem hunc militem oportuit ire: qui fiducia-liter transeundo inuenit pontem cōtinuē latiore. Quibus peractis, dæmones militem reliquerunt: ipse verō vidit ante semurum magnum & altum, pulchritudinis admirandę, incōparabilisque structurę, in quo extitit porta ex gemmis & preciosis metallis resplendens, ex qua venit ei obuiam processio maxima cum crucibus, & vexillis, cum cereis & aurearum ramis palmarum, quę militem cum ingenti veneratione & concentu dulcissimo introduxit per portam, dixeruntque archiepiscopi duo ad militem, Regio ista est paradisus terrestris, de qua ob suam culpā eiectus est Adam. Omnes nos per loca pœnarum ad requiem istam transiuimus, ad quam etiam venient omnes quos in purgatorij pœnis vidisti, cum fuerint expurgati. Nullus nostrū nouit quandiu hęc erit: & licet ab omni hęc liberi sumus culpa, ad supernam tamen sanctorum lætitiā nondum digni sumus ascēdere: quotidie societas nostra crescit ac decrescit, dum singulis diebus & à pœnis ad nos, & à nobis ad cœlestem ascenditur paradysum. Deinde duxerunt militem in montem su-

blimem, ostenderuntque ei portam paradisi caelestis: quibus auditis & visis, reuersus est miles. **DIO.** Conuenienter hoc recitasti, sed quid tibi circa ista apparet? **FRA.** Specialia dubia mihi ex his nascuntur, quae tibi mouebo.

Dubiorum circa haec orientium propositio.

ARTICVLVS XXV.

FRATER.

*Dubium
primum.*

Hic apertissimè dictum est, quòd à purgatorio non ascenditur ad paradysum caelestè, nisi per paradysum terrestrem, cuius oppositum (sicut & tu certius nosti) dicunt doctores communiter, qui & multipliciter probant quòd satisfactio in purgatorio persoluta, animae mox volèt in caelum empyreum: quòd & rationale esse videtur, cum nulla sit causa dilationis à gloria, quàm culpa reatus. Deniq; sicut praehabitu est, sola dilatio gratiae, quae & poena dani vocatur, exco sit in animabus separatis non condemnatis, omnem poenam vitae praesentis. Si ergo animae in paradiso terrestri nondum deo beatificè perfrauntur, ergo sunt ibi in poena grauissima. Insuper,

qualiter potuit miles ille intra diem naturalem pertingere vsque ad paradysum, atque reuerti ad portam per quam fuit primam fossam ingressus. Iterum dubitatur, qualiter tot animae in purgatorio existentes apparuerunt militi huic visibilibiter in humanis corporibus: quomodo etiam animae in paradiso terrestri (vt dicitur) constitutae apparuerunt & occurrunt militi in humana effigie. Et quicquid de visionibus praememoratis dicatur, visio ista dici non potest imaginaria extitisse, sed exterior & in plena vigilia, sicque taliter visa realiter ita se habuerunt vt videbatur: & iuxta haec dici non poterit, quòd soli Elias & Enoch sunt in paradiso terrestri, cum ibi sint & innumera- biles alij. **DIO NYS.** Fortia sunt quae mo- ues & difficilia ad soluendum, mallémq; super his instrui, quàm docere: vnde nec de ista materia volo quid dicere cum asseritione incauta. Porro si & aliquot alias vis tangere visiones, & ex eis proponere quaestiones, hoc facito antequam ad horum solutionem progrediar. **FRA.** Possem & alia quaedam referre, ac suscitari, praesertim ex Reuelationibus Brigitae sanctae, cuius reuelationes praedictis

fatis consonare videntur. Verum, vt arbitrator, ex horū solutione, illorum quoque satis eluceſcet ſolutio: imò & infra oportune poterunt tangi: idcirco ſi placet, ad præinducta diſcutienda, declaranda ac ſoluenda te modo accinge.

De triplici viſione.

ARTICVLVS. XXVI.

DIONYSIVS.

Viſio triplex.
Luca. 1.
TRiplex ſecundum Auguſtinum eſt viſio: Prima eſt exterior, qua ad oculum exteriorem aliquid ſenſibiliter cernitur aut apparet: quemadmodum beatiſſima virgo vidit angelum Gabrielem, qui ei multa prædixit futura: ſic quoque Zachariæ patri ſacraſiſſimi Ioannis Baptiſtæ idem apparuit, atque locutus eſt angelus. In veteri etiam teſtamēto patri Sâpſonis ac Gedeoni, imò omnibus filiis Iſrael angeli ita apparuerunt, ſicut in libro
Iud. 13. 6. Iudicum ſcribitur: ſic etiam aſidue viſus ac locutus eſt angelus Moſi: & hæc viſio
2.
Exod. 14. non fit niſi in vigilia. Secunda eſt viſio imaginaria, qua per ſimilitudines in interiori ſenſu, putâ vi imaginatiua formatas,
23.
aliquid conſpicitur: & tales fuerunt com-

muniter viſiones prophetarum, quemadmodum Ieremias vidit virgam vigilan-
Ierem. 1.
tem, & ollam ſuccenſam, atque Ezechi-
Ezec. 40
edificium templi ac ciuitatis in monte.
Math. 1.
Porro huiusmodi viſio aliquando fit in ſummo: Vnde & in euangelio legitur angelus apparuiſſe, & locutus eſſe ſancto Ioſeph in ſomnis. In Numeris quoque dominus proteſtatur, Si fuerit inter vos propheta in viſione apparebo ei vel per ſomnium loquar ad eum. Et in libro Iob, Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo, aperit deus aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina. Aliquando verò imaginaria viſio fit in vigilia, exterioribus tamen ſenſibus alienatis & abſtractis ab omni actu & exercitio à ſuis obiectis: ſicque Iſaias vidit dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum. Tales fuerunt viſiones ſancti Ioannis euangeliftæ, quæ in Apocalypſi conſcriptæ ſunt. Vnde fatetur, Fui in ſpiritu in dominico die, & audiui poſt me vocem magnam: & rurfus, Vox, inquit, prima quâ audiui tanquam tubæ loquentis mecum, dicens, Aſcende huc; & oſtendam tibi quæ oportet fieri cito, & ſtatim fui in ſpi-
Num. 12.
Iob. 33.
Iſai. 6.
Apoc. 1.

ritu. Tertia est visio intellectualis & analogica, seu sursum ductiva, qua per species intelligibiles & mentalem illuminationem purique luminis infusionem aliquid homini demonstratur: & tales fuerunt visiones & reuelationes David prophetae: secundum quod ipsemet innuit in libr. Regum, Spiritus domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam, sicut lux aurorae oriente Sole mane absque nubibus rutilat, & sicut pluuii germinat herba de terra. Præterea scire oportet, quod visio dicitur imaginaria dupliciter: Primò quoniam sola est imaginaria & non intellectualis, quando videlicet aliquid demonstratur per imaginarias species, nec tamen agnoscit quid per huiusmodi species seu similitudines designatur, sic visio Nabuchodonosor qua vidit statuam magnam, & illa qua vidit arborem pulchram in somno: visio quoque qua Pharaon vidit in somno septem boues, & septem spicas fuerunt imaginariae, & tales visiones non merentur dici propheticae, quia (vt apud Danielem legitur) Gene. 41. intelligentia est opus in visione. Hinc Danie. 4. præfati reges non fuerunt prophetae, sed Ioseph & Daniel qui visiones illas ex-

2. Reg. 23.

Visio imaginaria duplex.

Dan. 2. 4
Gene. 41.

Danie. 10
Gene. 41.
Danie. 4.

posuerunt. Secundò dicitur visio imaginaria, quoniam partim est imaginaria & partim intellectualis, quando videlicet is qui habet imaginariam visionem, intelligit quid designetur per eam. Similiter visio dicitur intellectualis dupliciter: Primò, quoniam est purè & solum intellectualis, quado per solas intelligibiles formas representatur, & per spiritualem illustrationem intelligitur. Secundò, quoniam pro parte est imaginaria, atque pro parte intellectiva: propter quod interdum imaginaria & aliquando intellectiva vocatur talisque visio intellectualis non differt à visione imaginaria secundo modo sic dicta. Denique per hanc distinctionem possent faciliter solui ac concordari verba doctorum, qui de hac materia diuersimodè loqui videntur. Præterea, sicut ex doctrina diuini & magni Dionysij in libris de Angelica & Ecclesiastica hierarchiis manifestè habetur, propheticae visiones ministerio angelorum sanctorum administrantur & sunt prophetis, quod etiam Thomas in secunda secunda, Alexander de Hales super secundum Sententiarum, Albertus quoque ibidem ac alij concorditer tenent,

Visio intellectualis duplex.

r

r

Et ex scriptura probatur canonica, Isaiā testāte, Volauit ad me vnus de Seraphim
Isaia. 6. Vnde & Zacharias, frequenter: Dixi, in-
Zachr. 1.2. quit, ad angelum qui loquebatur ad me:
 & rursus idem asserit Zacha. Ecce angelus
 qui loquebatur in me, egrediebatur, & al-
 li^o angelus egrediebatur in occursum ei^o.
 & dixit, Curre & loquere ad puerū istū.
Apoca. 1 Hoc ipsum insinuatur in Apocalypsi, vbi
 ait Ioannes apostolus & propheta, vidi
 similem filio hominis vestitum podere.
 Non ait, Vidi filium hominis: sed Simile
 filio hominis, id est, angelum in persona
 Christi apparentem, atque loquentem, vt
 Haymo, Beda, Albertus exponunt. Pro-
Apo. 22. pter quod in Apocalypsi Filius hominis
 testatur, Ego Iesus misi angelum meū
 testificari hæc vobis in Ecclesiis. **F R A T.**
 Placet per omnia ista visonū distinctio,
 sed instrui cupio, qualiter discernatur q̄
 visio sit vera nec fallax.

*Ex quibus queat cognosci aut persuaderi,
 quod visiones & reuelationes, illu-
 minationes & consolatio-
 nes sint verè à deo.*

ARTICVLVS XXVII.

DIONYSIVS.



Eritō illud inquiris, quia
 in visionibus potest de
 facili euenire periculum
 maximū, cum dicat Apo-
 stol^o, Ipse Satanas se trās-
 figurat in angelum lucis.

Hinc quidā diabolicis visionibus decepti
 mirabiliter corruerunt, sicut & Calsianus
 describit. Verū multa sunt ex quibus *Visionum*
 penditur, quod visiones sint verè ex *certitudo,*
 deo: Primum est, si scripturis sanctis con- *& veri-*
 cedent: secundum, si à sanctorum patrum *tas multā*
 doctrina non dissonent: tertium, si com- *plex.*
 muni documento doctorum catholico-
 rum consentaneæ sint: quartum, si ad spi-
 ritalem profectum & sanctam deuotio-
 nem inueniantur accommodæ: quintum,
 si quod in eis prædicitur, verè impletur:
 sextum si personæ, in quibus fiunt, sunt
 verè catholicæ, virtuosæ ac stabilitæ in
 bonis, quâquam etiā malis hominibus in-
 terdum fiunt reuelationes, vt constat de
 Balaam: quoniam propheta & visio sunt *Num. 22.*
 dona gratiæ gratis datæ, quæ bonis & præ- *23.*
 lis, electis & reprobis sunt cōmunia. Præ-
 terea, ex hoc communiter potest aduerti
 an illuminatio, visitatio seu cōsolatio aut
 reuelatio sit à deo, dum homo ex huius-

modi influentia inclinatur, ac trahitur ad sui ipsius cordialem contemptum, ad humiliationem profundam, ad omnium vanitatum ac vitiorum detestationem, ad feruidum boni communis amorem, ad generalem charitatis ac gratiæ sibi concessæ communicationem ad omnes, ad ardentem spiritualis profectus affectum, ad boni propositi sincerissimam integritatem, ad purum deitatis amorem ad fidei illuminationem, & ad eorum quæ sunt fidei intelligentiam clariorem, ad patientiam firmam & obedientiam sanctam. Nempe quem admodum ex solis præsentia oriuntur in aère splendor & calor, ita summo sapientia, atque iustitiæ sole apparente, radiante ac operante in anima, mox nascuntur in ea veræ sapientiæ fulgor charitatisque ardor, & quanuis practicante diabolo possit in homine gigni sensibilis quædam deuotio & consolatio quædam seu dulcedo suo modo interna, præfati tamen affectus esse non valent à dæmone, nec diabolus potest agere immediatè in apicem affectiuæ aut verticem intellectuæ, nec ita perstringere mentem, vt velit nolit rapiatur sincrerè ad deum atq; in lucis demergatur abissum, ita quod ex huiusce-

modi præuentione, influxu aut visitatione oriuntur in mente saluberrimi effectus præfati. ER. A. Videntur mihi hæc omnia sonare valde catholicè, nec his (vt reor) poterit cõtradici. Verùm vt suspicor hæc introduxisti vt per ea respondeas ad quæstra superius: idcirco si placet, ostende ex his quid æstimes sentiendum de visionibus & reuelationibus præmemoratis, quæstiones etiã circa eas suprà inductas solue.

Quod visiones Tondali & monachi Anglicani, & que de purgatorio Patritij facta sunt, videantur vera & fide digna.

ARTICVLVS. XXVIII.

DIONYS.

SI attendamus visiones & reuelationes prophetarum veteris testamēti & sancti Ioan. aposto. non video quod præfata visiones ac reuelationem sint reprobandæ: Primò, quoniam similes leguntur in scripturis vtriusque testamēti canonicis, vbi inueniuntur horribiles ac mysticæ apparitiones prophetis ostensæ, & sancti prophete referunt se translatos fuisse in spiritu ad loca remota, in

quibus ostensa sunt eis inuisa antè & inaudita, & quæ secundũ quod sonat litera intelligi nequeũt, sicut dum sanctus Ezechiel afferit se vidisse quatuor animalia, cum dispositionibus, formis ac moribus *u.* ibi expressis: & rursus alibi describit se transpositum à Chaldæa in Ierusalem in *Ezech. 8.* visionibus dei, spiritu vtique, non corpore: quod subtilissimè innuit, dicens, Emisã similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me spiritus inter cælum & terram, & adduxit *Ezech. 40* me in Ierusalẽ in visione dei, & reliqua quæ ibi habentur. Et iuxta expositores, tota visio illa fuit imaginaria, ipso Ezechiele in Chaldæa in suo loco realiter ac immobiliter permanente, atque in interiori suo sensu, vti scilicet imaginatiua formatis per angelum similitudinibus representantibus vniuersa quæ ibi describit, seque vidisse & fecisse testatur. Similiter & aliàs: Facta est, inquit, super me manus domini, & adduxit me in visionibus dei in terram Israhel, & dimisit me super montẽ excelsum nimis, super quem erat quasi ædificiũ ciuitatis. Et ibi per aliquot capitula scribit se in illa visione multa vidisse, audisse, egisse, cũ tamẽ totũ hoc ageretur

ageretur, & esset in sola imaginaria visione, non tamen inani, sed magna quædam representante. Iuxta hunc modum ait etiam in Apocalypsi Ioannes: Venit ad me vnus de septem angelis, & sustulit me in spiritu in montem magnum & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctã Ierusalẽ: & habebat murum magnum & altum, habentem portas duo decim: & erat structura muri eius ex lapide iaspidis: ipsa verò ciuitas ex auro mundo, fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Alias multas visiones imaginarias, admirabiles & horrendas scribit in Apocalypsi Ioannes, dicendo: *Apo: 17.* *Vidi* mulierem sedentem super bestiã cocineam, plenam nominibus blasphemiarũ, habentem capita septem & cornua decem. Itẽ que, *Vidi*, inquit, cælum apertum, & ecce æquus albus: & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis & verax, & exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in vestibus albis, & apprehẽsa est bestia, & cum illa pseudopropheta, & viui missi sunt hi duo in stugnum ignis ardentis sulphure. Multa huiusmodi habentur in Apocalypsi, ex quib⁹ probatur quod visiones Tondali & monachi Anglicani,

& quæ purgatorio Patritij sunt ostensa nõ discordat à scriptura canonica nec à fidei veritate. Porro, quod nec à doctrina sanctorum dissonant patrum, monstratur ex his quæ supra ex dictis sancti Gregorij quarto dialogorum sunt allegata. Siquidem sanctus Gregorius refert ibidem atque in homiliis, ad morientes frequenter venisse angelos bonos & malos, & angelos malos in forma apparuisse Aethiopum aut draconum, ac morientium membra ligasse, eorumque animas ad loca amœna aut poenalia deduxisse: animas quoque defunctorum redisse ad corpora sua, atque viventibus retulisse se maxima conspexisse aut etiam tolerasse tormenta, & deinde iustorum gaudia gaudiosaque loca vidisse, & in recitationibus suis quasi per omnia nominibus corporalium rerum similitudinibusque earum sunt videri, videlicet flamma, ignibus, potibus, pratis florentibus, domibus atque nauigiis. Insuper personarum quæ ista viderunt, post horum visionem & experientiam tam abstinenter rigorose, compuncte & sancte vixerunt, quod tanta eorum conuersio aut profectus attestabatur verbis eorum. His quoque quæ de purgatorio sancti Pa-

tritiij leguntur attestatur legenda ipsius & passionale sanctorum. Postremo, præfate visiones valde sunt inductivæ & inflammativæ ad dei timorem, ad internam compunctionem, ad sanctam deotionem, ad poenitentiam salutarem, ad mundi contemptum, ad cordis custodiã, atque ad commendationem in omnibus. R. R. A. Libentissimè hæc tuam auidiui celsuram seu positionem, confidens quod & alij multi his auditis cum maiori credulitate copiosiorique fructu, præfatas & consimiles lecturi sint visiones. Nunc superest ut quæstiones circa visionem Tondali motas dissoluas.

Solutio dubiorum quæ circa visionem Tondali mota sunt supra, articulo vicesimo secundo.

ARTICVLVS XXIX.
DIONYS.

Circa visionem Tondali primò quæsitum, an anima eius fuit realiter separata à corpore in tota illius visione, an potius realiter mansit in corpore, ita quod vidit omnia illa sola imaginaria visione, & in ea per similitudines quasdam sustinuerit tot & tanta de quibus scribit

tormenta. Ad quod (vt tetigit) videtur haberi responsio ex recitatione historiae de Tondalo illo, in qua fertur quod protunc mortuus fuerit. Vnde & ipse reductus ad corpus seu corporis vsum ac sensum, dixit: Cùm anima mea corpus exueret, & illud mortuum esse cognosceret, voluit ad corpus suum redire, nec poterat illud intrare. Veruntamen huius oppositum possit probari ex eo quod in eodem narratur libello, quod Tondalo subito corruente, apparuerunt in eo omnia signa mortis, dempto quod calor modicus in sinistro eius latere sentiebatur ab his, qui corpus eius diligenter palpabant: propter quod & corpus insepultum super terram seruabant vsque ad tertium diem, quo reuiuiscere videbatur. Ideo possit quis probabiliter dicere, quod anima eius mansit toto tempore visionis illius realiter in corpore suo, atque quod sola imaginatiua visione cõspexit ac supplicia pertulit per omnipotentiam dei dispensatione occulta, & modo quodammodo incomprehensibili nobis, quemadmodum de animabus separatis ac demonibus dictum est, quod verè & ineffabiliter atque grauissimè affliguntur ab igne corporeo.

Hinc Augustinus in libro de cognitione veræ vitæ ait ad quæstionem interrogatus: Nonne legitur quod sæpe multæ animæ de corpore eductæ viderunt multa loca pœnalia, loca quoque amœna ac florida, & multas animas in vtrisque, atque ad corpus reuersæ retulerunt se multa audisse ab illis? Ad hoc Augustinus respondet: Sciendum quod hæ animæ non penitus reliquerant corpus, sed sensus tantum corporeos suis destituerunt officiis. Corpus autem non ex toto vitali caruit spiritu: vnde ea quæ audierunt, non res corporeæ, sed similitudines corporearum rerum fuerunt, quas reuersæ constitutis in corpore narrauerunt. Sicque vterius diceretur quod propter vehementem illam alienationem & abstractionem animæ Tondali à corpore suo & omni sensu, motu & actu corporeo, & propter intentissimam occupationem eius circa ea quæ sunt alterius seculi, videbatur ei quod esset separata à corpore. Nec hoc incredibile reputatur de anima Tondali, cùm diuus dicat 2. Cor. 2. Apost. se nescire an in corpore vel extra corpus fuerit raptus, Aliqui quoque interdum tãta replentur suauitate cœlesti, vt eis videatur quod animæ eorùm de corpore

ribus suis exiliant, aut extra corpus cōstant. Fronto quoque episcopus dixit se interfuisse sepulturæ beatæ Marthæ: similiter sanctus Ambrosius perhibuit se sepulturæ sancti interfuisse Martini: & tamen Richardus de Media villa super primum sententiârum distinctione 17. & alij multi dicunt sanctos illos antistes non fuisse in sepulturis illis personaliter, nec animas eorundem. Sic quippe ait ibi Richardus: Dicit potest quod in veritate nec corp⁹ nec anima Ambrosij interfuit sepulturæ S. Martini, sed fortè angelus in specie Ambrosij apparens: quod dum fieret, videbatur Ambrosio soporato q̄ interesset illi sepulturæ. Nec est putandum quod phantasticum hominis realiter exeat de homine dormiente, sed quâdoque contingit quod homo somniat se esse præsentem alieno cōspectui: & quâdo hoc somniat, tunc spiritus in specie illius hominis, apparet illi cuius cōspectui ille dormiens somniat se esse præsentem. Hæc Richardus. De hac autem materia diffusius scribit beatus Augustinus 18. de Ciuitate dei, vbi satis miranda refert de transformationibus apparitionibusque quibusdam. Præterea ad intelli-

*Ambrosij dictum
quomodo
intelligendum.*

gendum qualiter anima in corpore manens possit per imaginariam visionē talia cernere, sicq; moueri, pati, terri valēt quod 12. super Genesim loquitur Augustinus de iacētibus absque sensu vsu, quod gerūt quandam similitudinē corporis sui, per quam possunt ad loca corporalia ferri, & talia qualia vident similitudinibus sensuum experiri. Nihilominus potest quis etiam probabiliter dicere, quod in omni præfata visione fuerit anima Tondali verè separata à corpore, & interiori intellectualique visu cōspexerit ea quæ se vidisse narravit. Intellectus nanque (vt docet Boetius) quodammodo in se includit ac comprehendit omnes exteriores interiorēque sensus, & actus illorum exercet simpliciori altiorique modo quàm illi. Vnde quemadmodum deus æternus & gloriosus per ideales simplicissimas & immaterialissimas formas videt & noscit vniuersa & singula quantumcunque corporalia & terrena distinctissimè atq; plenissimè, ac deinde angeli sancti ac dæmones quauis immateriales, tamen per suas intelligibiles species, distinctè cognoscunt corpora & sensibilia quæque, ita & anima

Separata potest per intelligibiles species secundum quod sibi tunc insunt, sensibilia & corporea intueri distinctè, ac talium reminisci. Veruntamen ad istud facilius responderetur secundum beati Augustini, inuestigationè, qui super Genesim duodecimo ait libro: Nō video an habeat anima similitudinem corporis sui, dum iacente corpore sine sensu, nō tamè penitus mortuo videt talia qualia multi ex illa subductione seu alienatione viuis rediti narrauerunt, & non habeat similitudinem illam, dum perfecta morte penitus de corpore suo exierit. Huiusmodi autem similitudines dicitur anima separata habere secundum quod inspicit eas. De hac re multa scribit Calsian⁹ in li. de anima separata q̄ scilicet anima separata à corpore adhuc videt, audit, imaginatur & recordatur. Vnde vt sup. est allegatū, Aug. in lib. de spi. & ani. fertur dixisse, q̄ anima recedens à corpore, secum trahit sensum, imaginationem, intellectū & intelligentiam, concupiscibilitatem & irascibilitatē. In libro quoque de ecclesiasticis dogmatibus loquitur Augustinus Homines solum credimus habere animā substantiam, quæ exuta corpore viuit

& sensus suos atque ingenia viuaciter tenet, veruntamen præacta Augustini & Calsiani ac aliorum quorundam verba secundum quod sonāt, magis consonant & concordant Platonicorum quàm Peripateticorum doctrinis. Sed in his quæ fidei sunt, præsertim in omni ista materia magis arbitror insistendum authoritati quàm philosophicæ rationi: quia secundum supernaturalem omnipotentis dei operationē nobis in vita hac imperscrutabilem, multa contingunt in his. F R A. Prolixè differuisti, qualiter vtrunq̄ prædictorum probabiliter queat teneri, quod scilicet in corpore vel extra corpus realiter fuerit anima Tondali in visione præscripta: restat vt soluas argumenta ad hoc introducta, quod tunc extra corpus realiter esse nequiuit. D I O N. *Intellectus humani infirmitas* Hoc noueris, tātam esse infirmitatem intellectus humani quādiu in corpore est, quod etiam anima à corpore realiter separata, dum ad corpus fuerunt reductæ, non potuerunt perfectè intelligere, nec aliis plenariè recitare ea, quæ ipsis extra corpus contingerunt, & quæ de immaterialibus rebus viderunt: sed per corporalia quædam, prout aptius poterant, ex-

presserant. Hinc ut refert Cyrillus, v-
nus trium meritis sancti Hieronymi re-
suscitatorum, interrogatus à Cyrillo de
his quæ sibi post dissolutionem à cor-
pore contigerunt, respondit: Quod me
interrogas, non est bene possibile ple-
ne fari, quoniam spiritalia nostris sen-
sibus minime comprehenduntur. Nam
scis deum & angelos esse, & tamen quid
sint perfecte intelligere nequis. Cum
enim sint multa notissima in natura, quæ
nostræ intelligentiæ paruitate compre-
hendere non valemus, super cælestia &
spiritalia omnino aliena à nostra cog-
nitione, quomodo intelligeremus? Ita
quæ si anima Tondali in illa visione fuit
realiter separata à corpore, sic ea quæ
vidit separata, retulit prout potuit cor-
pori restituta, præsertim quia & Ton-
dalis miles non videtur naturali philo-
sophia multum fuisse instructus aut af-
fectus, ita ut de spiritalibus per appro-
priationem disceret. Itaque respondendū
quod nec situs, nec ambulatio, nec esse
in loco, proprie cōpetat incorporeis re-
bus. Unde quod Tondalus retulit, ani-
mam suam supra corpus fuisse, & vnde-
que circumspexisse, dæmonesque vidisse

per loca & ambulasse, accum similia, sunt
spiritaliter intelligenda. Quemadmo-
dum enim conuenit animæ separatae esse
se in loco definitiue, non circumscrip-
tiue, sic competit ei moueri, ambulare &
ferri de loco ad locum. Qualiter au-
tem poterat corporalia intueri ac pati,
modo discussum est. Porro animarum
tormenta eo modo ostensa sunt animæ
Tondali ac animæ monachi Anglica-
ni atque Christianæ Mirabilis & alio-
rum quorundam, quo vtique modo de-
buerunt ac potuerunt ea aptius, intelli-
gibilius ac fructuosius recitare homi-
nibus post earum reditorem ad sua cor-
pora, sicque separatarum & inuisibilium
animarum ac dæmonum supplicia, ac
personæ demonstrata sunt animabus præ-
fatis sub similitudinibus corporalium
rerum & bestiarum, materialiumque pec-
narum: non quod anima Tondali habue-
rit corporeos pedes, aut quod animæ
in purgatorio excoriabantur, scindeban-
tur, decollabantur, liquefebant aut
vrebantur in veribus, ollis, patellis,
aut quod redigebantur, quasi in ni-
hilum, aut in vnam massam conglobaban-
tur: sed quod omnes istiusmodi pœnæ

verè & ineffabili modo sint in animabus in purgatorio cōstitutis, aliter tamen: imò & supernaturaliter & incomprehensibilis ac prorsus pœnalius quàm esse possunt in aliquo homine aut in quibuscunque hominibus in hoc mundo. Et iuxta hunc modum sunt intelligenda, quæ de stagnis ponte, lamina ferrea ardente & cōsimilibus asseruntur. Dæmones quoque in formis diuersarum apparuerunt ferarum, bufonum, draconum, serpentum, ad insinuandum diuersas eorum crudelitates, atque multiplices atrocissimásque pœnas, quas minantur aut inferunt animabus: nam & frequenter in talibus formis apparuerunt sanctissimis viris, Antonio, Hilarioni, ac consimilibus, quos suis tormentis ac terroribus cupiebant deicere. Præterea vnum animæ de purgatorio euolent immediate in regnum cæleste, an mediate ita quòd primò terrestrem introeant paradysum, infra in speciali discutietur articulo. Similiter & id, an minima purgatorij pœna (loquedo de pœna sensus) maior sit omni præsentis vitæ tormento. Cætera etiam sup. 24. articulo circa visionem Tondali obiecta & tacta, infra clarius exponentur. Postremò, docto-

res super quartum Sententiarum communiter dicunt, quòd animæ in purgatorio non puniuntur per dæmones, quoniam eos vicerunt: neque per angelos sanctos, qui suos conciuēs futuros non punirent tam dirè, sed quòd solo igne torquentur per diuinam iustitiam. Huic tamen cōtrarium non in prænarratis visionibus tantum, sed & in aliis reuelationibus multis insinuari videtur. De isto tamen non est aliquid ab ecclesia determinatum: vnde nec periculosum aut illicitum reputatur circa hoc diuersimode opinari, nec ratio ista multū cogit, quòd idèò à dæmonibus non torquentur, quoniam eos vicerunt. Quauis enim vicerunt finaliter, frequenter tamen victæ fuerunt ab illis nec pro hoc satisfecerit in seculo isto, sicque posset quis dicere, quòd meruerunt adhuc puniri ab ipsis dæmonibus, vt subdantur eis in pœnis, quibus se sponte subdiderunt in culpis: & per quos peccauerunt, per hos & puniantur, quemadmodum & 4. Sententiarum ait Magister. Hos habebunt in tormentis tortores, quos habuerunt in vitis incensores. Verùm de hære nihil diffinio quemadmodum nec de isto, an sola pœna ignis animæ in purga-

Distinctione. 50.

Deut. 25.

torio affligantur, loquendo de pœna sententis: circa quod Thomas, & alij multi tenent quod imò, quoniam pœna purgatorij ordinatur ad purgationem quæ maxime competit igni. Ex multis tamen reuelationibus aliter esse videtur, nec apparet negandum, quin ad minus dæmonum aspectus sit etiam his qui in purgatorio sunt valde pœnalis.

An anima in purgatorio satis punita, & igne purgatorio satis purgata, mox euolat in paradysum cœlestem.

ARTICVLVS. XXX.

FRAT.

DE isto nunc cupio diligenter tractari, an animæ ex purgatorio liberatæ perducantur ad paradysum terrestrem, & ibi demorentur ad tempus antequam ad cœlestem patriam deducantur atque ingrediantur. **D I O N.** Ad hæc videretur protinus respondendum, quod in purgatorio sufficienter punitæ & expurgatæ, immediatè introeant regnum cœlorum, nisi prætaçtæ, & etiam quædam aliæ visiones viderentur oppositû affirmare. Sed forsitan me aliqui irridebût, q̄ in tan-

ta materia non respondeo indilatè, absolute & assertiuè, iuxta generalè & cõcordem doctorum traditionè, propter reuelationes quasdam phâtasticas & incertas. Veruntamen nec doctoribus contradico propter visiones prætaçtas, nec propter doctorû traditionè audeo tor sanctorum hominû visiones & reuelationes appellare phantasticas aut mēdosas, quandiu ecclesia super hoc nihil determinat. Nam & qui eas descripserût & approbauerût, fuerunt religiosissimi ac doctissimi viri, & quidã eorû fuerunt dōctores in theologia. **F R A.** Si placet, breuiter tange quid ad huius quæstionis vtranq; partè possit induci & allegari. **D I O.** Ad probandum q̄ animæ de purgatorio immediatè pertingant ad gloriâ paradisi cœlestis, multa satis authentica & robusta possunt argumēta adduci. Primò quoniam super quarum Sententiarû, distinctione 45, vbi magister ex verbis Augustini tractat de abditis receptaculis animarum, scribunt doctores concorditer, q̄ ante passionè Christi, receptacula illa fuerunt lymbus patrû, quârû auctos & sufficienter purgatos: nō Christi & lymbus paruulorum, quantum ad animas in solo originali à corpore separatas: *rim.*

& infernus quantum ad reprobos: ac purgatorium quantum ad animas sine mortali tamen cum obligatione ad poenam exeuntes de corpore. Porro post Christi passionem ac ascensionem, lymbus cessauit parum, & pro eo cælum empyreum factum est receptaculum animarum sanctarum, atque in purgatorio plenarie purgarum. Istud est doctrina Alexandri de Hales, sancti Thomæ, Alberti magni, Bonauenturæ & aliorum: nec quisquam sanctorum patrum aut scholasticorum doctorum videtur paradysum terrestrem inter receptacula ponere animarum, imò super quartum asserit Thomas, Quemadmodum læuia per læuitatem statim feruntur sursum, nisi aliunde impediuntur, sic animæ soluto vinculo carnis mox præmium seu beatitudinem consequuntur nisi aliquid impediatur, scilicet veniale peccatum, quod purgari oportet. Et quoniam locus deputatur animabus secundum congruentiam præmij aut poenæ, statim vt anima à corpore absoluitur, in infernum demergitur, aut ad cælum euolat, nisi impediatur aliquo reatu, quo oporteat euolationem differri, vt anima prius purgetur. Et huic veritati autoritas scripturæ

cano

canonicæ manifestè attestantur, & documenta sanctorum patrum: vnde contrarium pro hæresi est habendum: vt patet 4. Dialogorum: & in libro de ecclesiasticis dogmatibus: Hæc Thomas, qui etiã in summa contra Græcos istud multipliciter probat. FR A. Si huius contrarium est hæreticum, ergo non licet aliter opinari. D I O. Hæreticum est dicere animas ante futuram generalem resurrectionem non præmiari: & hoc Gregorius quarto Dialogorum ex scriptura ostendit canonica: quid verò ad ea quæ Thomas & alij introducunt, valeat responderi, infra habebitur. FR A T. Disputationem tuam prosequere. D I O. Ad huius probationem Thomas de Erfordia breuiter multa introduxit motiua in suo compendio non paruipendenda: Animæ (inquiēs) cum fuerint sufficienter purgatæ in igne, euolat statim ad gloriam: quod patet multiplici ratione: Primò, quoniam post purgationem non manet in anima aliqua dissimilitudo in gloriam: ideo meritò debet gloriæ iungi. Secundò, quoniam ianua cæli aperta est ei, quæ nullum habet introeundi obstaculum. Tertio, quia necesse est illos spiritus, in quibus est cha-

Animarū purgata - rē euolationis rationes. 8.

ritas sursum eleuans, & nihil retardans,
 III ad gloriam eleuare. Quarto, quum deus
 pronior sit ad miserandum & beatifican-
 dum, quàm ad puniendum, meritò debet
 purgatos coniungere gloriæ, quos pur-
 V gandos subiecit pœnæ. Quinto, quia non
 punit deus bis in idipsum, idcirco dum
 qui satisfecit in pœnis ignium, non de-
 bet amplius puniri in dilatione præmio-
 VI rum: Sexto quia post purgationem non
 debet talis amplius esse in purgatorio, cũ
 iam sit purgatus, non purgandus: nec de-
 bet esse in lymbo, quum non sit de nume-
 ro paruulorum: neque in inferno, quia
 non habet mortale: ergo oportet quòd
 fit in cælo, quum non sint alia post mor-
 VII tem receptacula animarum. Septimò, quia
 efficacior est charitas quàm iniquitas: sed
 iniquitas statim ducit ad supplicium, ergo
 VIII charitas statim ducet ad premium. Octa-
 uam quoque subiungit, quæ iam ex ver-
 bis Thomæ est introducta. F. R. A. Augu-
 stinus in Enchiridio scribit, quòd vsque
 ad diem iudicij animæ separate sint in ab-
 ditis receptaculis, ergo nec in inferno,
 nec in cælo, quum hæc duo sint omnibus
 nota. Gregorius quoque quarto dialogo-
 rum, refert quasdam animas electorum

alibi, quàm in purgatorio esse punitas,
 quod & in aliis multis fatetur historiis:
 aliquos etiam narrat in paradiso fuisse, &
 inde rediisse. D I O N Y S. Ad ista & con-
 similia claret responsio ex verbis Bona-
 uenturæ super quartum Sententiarum,
 distinctione quadragesima prima, scri-
 bentis, Triplex est status animarum: Pri- *Status animæ*
 mus, est retributionis: Secundus, quie- *maris tri-*
 tæ expectationis: Tertius, purgationis. *plex.*
 Nam anima exuta, duplici causa potest
 impediri à retributione beata: Primò,
 propter hoc quòd ianua clausa est: Secun-
 dò, quoniam anima non est plenè purga-
 ta. Itaque statui retributionis correspon-
 det proprius locus, receptaculumque
 determinatum in se, & quoad nos, vide-
 licet cælum empyreum, quoad iustos: &
 infernus quantum ad impios. Statui au-
 tem quietæ expectationis correspondet
 locus determinatus quoad se, sed non
 quoad nos: quoniam ex scripturis non
 constat vbi sit lymbus. Statui verò pur-
 gationis correspondet locus indetermi-
 natus, & quoad nos, & quoad se: quia nõ
 omnes in eodem purgantur, licet in vno
 aliquo loco purgentur multi, & quatum
 ad hæc loca, in quibus diuersi ex diuina

dispensatione diuersimode purgantur, loquitur in Enchiridio Augustinus: Denique lymbus debetur peccato originali, infernus mortali, purgatorium venialis: estque probabile quod hæc tria loca gradatim se habeant, & circa eandem terræ partem existant. Insuper receptacula aliis dantur secundum consilium dei, quod immutabile est, & secundum causas superiores, aliquibus verè secundum sententiã dei, quæ aliquando reuocatur, & secundum causas inferiores, & de animabus hoc secundo modo deputatis alicui receptaculo, intelligenda sunt verba Gregorij in suo Dialogo: Hæc Bonauentura. Porro secundum Thomam etiam cælum & infernus inter abdita receptacula computatur, quia inuisa sunt nobis, & sola fide noscuntur. Communiter quoque asseritur, quod de lege communi est vnus generalis purgatorij locus: sed ex speciali dispositione iudicis summi diuersa sunt loca, in quibus animæ quædam purgantur. **R. A.** Modò (si placet) tange motiua, ex quibus apparet quod animæ in paradiso terrestri recipiantur ac demorètur antequam cælestem inuocant paradisum.

Persuasiones ex quibus apparet quod animæ in purgatorio satis purgate, primò ingreditur paradisum terrestrem, ac inde cælestem.

ARTICVLVS. XXXI.

DIONYSIVS.

AD hoc primò inducitur, quod (vt suprà decimo quarto articulo commemoratum est) Gregorius narrat 4. Dialogorum de quodam post visã tormenta reorum, ac gaudia electorum ad corpus reducto: qui dixit, quod ponte periculoso transacto, erant amœna atque virentia prata, in quibus dealbatorum hominum conuenticula videbantur: & tantus erat ibi odor suauitatis, quod vniuersos illic habitantes ambulantesque satiauit: vbi & mansiones diuersorum singule multitudine lucis erant plenæ, quod de paradiso terrestri intellegendum videtur, quibus concordat quod in visione legitur Tondali, quod scilicet angelus & anima Tondali venerunt ad portã, quam ingressi, viderunt campum pulcherrimum, odoriferum, floribus confitum, lucidum & amœnum: in quo fuit multitudo innumerabilis animarum: & cætera quæ suprã vicesimo articulo sunt conscripta. Porro

In visione Anglicana, & in historia de purgatorio Patrij clarissimè dicitur, q̄ animæ purgatorium exeuntes, primò introeunt paradysum terrestrem, & manent ibidem ad tempus, quousque apræ redantur ingredi regnum cælorum. In reuelationibus demum sanctæ virginis Mechthildis narratur, quòd animam eius dominus assumpsit, ac duxit in amœnissimū hortū in quo erat multitudo animarum ad mensam sedentium, quibus Christus pro ferculo opposuit officia, atq; suffragia, quæ à viuuis siebant pro illis: dixitque Mechthildis, Mi domine quid profunt hæc illis cum sint in gaudio magno? Tunc apperientibus se cordibus animarum, Vidit in corde cuiuslibet quasi vermem cor ipsius torquentem, eo quòd non meruit sine impedimento & dilatione post mortem ad dominum euolare, & dictum est ei, Hic vermis non moritur, nec ab eo anima liberatur donec intret in gaudium domini, sicq; videtur quòd animæ à purgatorio liberatæ: sint in loco amœno & pulchro, puta terrestri paradiso, in quo quantum multum latentur, quòd purgatorij sensibilia supplicia euaserunt & de æterna beatitudine citò adipiscenda sint

securæ, dolent tamen de gloriæ dilatione & quòd non satis synceriter in hoc mundo vixerunt. Amplius, his concordare videtur quod in quarto lib. Reuelationum sanctæ Brigittæ cap. septimo, angelus ad sanctam Brigittam in spiritu raptam legitur protulisse: Supra infernum est locus quidam, in quo est maxima purgatorij pœna quàm animæ possunt sustinere: & vltra locum hunc est alius locus, in quo minor est pœna, quæ non est alia nisi defectus virium in fortitudine & pulchritudine, sicut per simile tibi dico, quasi si aliquis esset infirmus, & infirmitate cessante ac pœna, nihil haberet de viribus donec eas paulatim recaperaret. Tertius verò locus superior est, in quo alia nulla est pœna, nisi desiderium perueniendi ad deum: & vt melius in conscientia tua intelligas dico tibi per similitudinē, quasi si æs misceretur cum auro, & in igne ardētissimo aurum tādū esset purgandum, donec æs totum consumeretur, & aurum fieret purum: quanto autem æs fortius esset ac spissius, tantò ardentiori igne egeret, quousque aurum esset quasi aqua currens & totum fulgens: deinde magister eius profert aurum in alium locum, in quo obtineat

*Brigittæ
visiones.*

veram sui formam in visu & tactu; postea mittit aurum in tertium locum ubi custodiatur & possessori suo representetur. Sic spiritualiter est de locis predictis: quia in primo est maxima purgatorij pena, ibi est dæmonum tactus, & ibi per similitudinem apparent venenosi vermes, & similitudo animalium valde ferocium: ibi calor & frigus, tenebræ atque confusio. Deinde magister (id est, diuina iustitia) profert aurum (id est, animas) in aliū locum, in quo non est nisi defectus viriū ubi animæ morabuntur tandiu, quouſque habeant refrigerium per suffragia amicorum suorum, aut de continuis sanctæ ecclesiæ operibus. Nam anima quod maius habeat auxilium, eò citius conualescit ac liberatur. Post hæc anima fertur in tertium locum, ubi nō est poena nisi desiderium perueniendi ad dei præsentiam & eius visionem beatam. In hoc loco morantur multi & nimis diu, præter illos quidam in mundo vixerunt, perfectum habuerunt desiderium perueniendi ad dei beatificam visionem. Alibi quoque quædam his cōformia asserit Brigitta sancta. Possent etiam ad hæc alia quædam persuasiones adduci. Nam cum diuinus Dio-

nysius protestetur, quod à distantij non itur in distans, nisi per medium; & tanta sit in purgatorio poena tam damni quam sensus, apparentiam habere videtur quod à purgatorio non perueniatur ad paradysum cælestem, nisi (vt dictum est) per terrestrem, aut à loco in quo nō est nisi poena damni. Ambrosius etiam super Lucā, Illuc, inquit, redeundum est nobis, vnde ciecctus est Adam: & Gregorius, Quoniā primus homo per vetiti esum ligni perdidit paradysum, illuc reduci non possumus, nisi per abstinentiam salutarem. Denique, in legenda sanctæ Dorotheæ habetur, quemadmodum ipsa de paradiso sponſi sui misit Theophilo in mensē Ianuarij tria mala & tres rosas, sicque videtur terrestris paradisi spem habuisse, ac docuisse. In legenda demum beatissimi Thomæ apost. narratur, quemadmodum frater regis Indiæ resuscitatus à morte, perhibuit se ab angelis ductum in paradysum, & ibi vidisse formosum palatium ex auro, argento & gemmis constructū, & regem suo demerito perdidisse idipsum. Vnde videtur in paradiso terrestri esse quædam remuneratio hominū, cum in cælesti paradiso non sint palatia talia.

Gene. 5.

*Ex histo-
ria. S. Dorotheæ.*

*Ex legē-
da. S. Thomæ. apost.*

FR. A. Quid tibi de horum veritate videtur? D I O. Horum determinationem aliis magis committo, & si concordari hæc queant, peritis relinquo: quia nec tantis doloribus, neque tot reuelationibus contradicere audeo. Determinationi autem ecclesie hæc tutius committuntur. FR. A. Conuertamur ergo ad alia: & quia interdum iam tactum est quod in purgatorio existentes transferuntur paulatim ad leuiora tormenta, non videtur quod minima purgatorij poena sit maior omni vitæ presentis supplicio.

*An minima purgatorij poena sit maior
quacunque poena vitæ presentis.*

ARTICVLVS XXXII.

DIONYSIVS.

Sicut præhabitu est, sanctus Thomas & alij multi doctores affirmant quod minima poena purgatorij, tam poena damni quam poena sensus, sit acrior quam libertatis huius seculi poena: quod etiam multi à morte resuscitati se esse expertos sunt testati, imò multa horribilia & quasi incredibilia inde locuti sunt. Sed obuia-
re videtur quod circa hoc scribit Bona-

uentura super quartum Sententiarum distinctione 20. Sanè, inquit, intelligendum est hoc, vt generaliter poena illa sit maior ista, secundum regulam illam Philosophi, Si optimum in vno genere est melius optimo alterius generis, & hoc simpliciter illo melius est: similiter intelligendum est hic, quod illa poena sit maior, non quia minima in illo genere sit maior maxima in genere isto, sed quia maxima poena in genere illo, maior est maxima poena generis huius seu status, ac vitæ presentis. Nam vt ait beatus Gregorius, quibusdã est reuelatum quãdam animas esse punitas in vmbra: Hæc Bonauentura. FR. A. T. Quid circa hæc verius putas? D I O. De incertis mihi, nihil diffinio: sed quod Thomas fatetur, iuxta illorum positionem videtur procedere, qui opinatur poenã in purgatorio pro aliquo peccato infligam à principio sui vsq; ad finem eque intense durare, quousq; satisfactum fuerit pro peccato. Porro positio Bonauẽ. videtur secũdũ illos procedere, qui dicunt poenam purgatorij tantò plus minui, quantò satisfactio magis propinquat ad sufficientiam, seu quantò purgatio pro maiori parte fuerit consummata.

*Pratorum
visio quo-
modo in-
telligit.*

Cui positioni reuelationes prætractæ magis concordant, sicque exponi posset ostentio illa odoriferorum virentiumque pratorum, quod in eis adhuc restabat aliquid persolvendum de pœna damni, & quod præta huiusmodi significabât amœnitatem paradisi cœlestis. Sancti autem qui insinuare videntur quod ad terrestrẽ paradysum redeundum sit nobis, vtuntur figura pro re figurata: quia sub nomine paradysite terrestris cœlestem intelligût paradysum in quo est finalis & plena remuneratio electorum. Esset quoque hæreticum affirmare, quod animæ non pertinent ad regnum illud cœleste, completa omni pœna pro culpis inflicta, loquendo tam de pœna damni quàm de pœna sensus. Nec aliquo modo negandum est homines in hoc mundo tantæ posse perfectionis consistere, vt sine omni dilatione pertingant eorũ animæ ad regnum cœlestis post recessum à corpore; nec in visionibus præallegatis alicubi hoc negatur, sed magis asseritur. Insuper ad dubia quæ articulo 24. mouisti circa ea quæ de purgatorio leguntur Patritij, potest fortassis se aliquis breuiter expedire, dicendo cû Augustino, quod in his quæ sunt supra

*Purgate
animæ si-
ne medio
euolant.*

naturam, tota causa seu ratio facti aut operis est omnipotentia, ac dispositio dei agentis, cuius virtute poterant animæ de functorum illi missi apparere, sicut & demones in quibusdam assumptis corporibus, aut in quibusdam præstigiis: magis tamen videtur quod in corporibus ad horam assumptis. Conformiter poterat miles iste in ipso loco breui per tam longa itinera ferri, moueri, trahi, redire. Nam per aliquo loca à demonesibus, quorum velox agilitas est, tractus describitur, & diuina virtute eoque angelica ope sic rediit. Verum tamen non arbitror expectare, alia in moderate aut curiosè scrutari, sed deminor vereri iustitiam, & nunc taliter conuersari, quod tanta euadamus supplicia. *et c.* Quantum in tam abdita ardua que materia fieri posse videtur, satis diffusè & clarè iam respõdisti, atque quàm diro & ineffabili modo incorporei spiritus tam in purgatorio quàm inferno affligantur, elucidasti, ita vt merito debeam contentari *D 10.* Adhuc ad hoc persuadendum, duarum sanctarum testimonia forminarum inducam.

DIONYSIVS.

*Anima
damnata
misera fa-
cies.*

Quarto libro celestium reuelatio-
num sancta Brigitta recitatur, qua-
liter in visione imaginaria vidit
hæc Brigitta animam cuiusdam defuncti
stantem iuxta æstuantissimum clibanum
& ignem incendij ascendere vsque ad a-
nimæ caput, intantum quod pori stabant
sicut venæ currentes cum igne ardente:
aures verò videbantur quasi sufflatoria
fusorum, quæ totum cerebrum cum statu
continuo cômouebant. Oculi autem euerfi
videbantur & inuersi, & apparebant ad
occiput intus esse affixi: os quoque erat
apertum, & lingua extracta per narium
aperturas, & dependebat ad labia: dentes
etiam erant quasi clauis ferrei per palatû
affixi: brachia verò erant tam longa, quod
tendebant ad pedes: sed & manus ambæ
vibrantur habere atque cõprimere quã-
dam pinguedinem cum picæ ardente. At
verò cutis quæ super animam apparebat,
erat quasi vestis spermate circumfusa, &

erat tam frigida, quod omnis qui eam vi-
debat, contremuit: de qua etiam tam gra-
uis & intolerabilis prodiit fœtor, quod
nullus fœtor in mundo hoc ei possit assi-
mulari. Ecce incorporea anima illa in tâ
miserabili & penosa corporali effigie est
ostensa, ad designandum quod ipsa in se
iuuissibiliter sustinebat talem angustiam
& pressuram, tale incendium & tormen-
tum. Hinc rursus de alia anima separa-
ta & rea ac purgatorio deputata loquitur
sancta Brigitta. Videbatur mihi quasi
quod vinculum quoddam esset alligatû *purganda*
in capite animæ instar coronæ, & stringe *tristis aspe-*
batur tam fortiter, quod frons & occipus *ctus.*
pariter iungebantur: oculi verò decide-
runt à sedibus suis, dependentes per ra-
dices suas ad genas: crines quoque quasi
igne combusti aruerunt: & cerebrum rû-
pebatur defluens per nares: & per aures
lingua extendebatur, dentesque comprî-
mebantur: ossa etiam confringebantur in
brachiis, & cõtorquebantur vt funes. Por-
rò manus decoratæ ligabantur ad col-
lû: pectus verò & venter tam fortiter dor-
sò coniungebantur, quod costis contractis
cor cû omnib⁹ interioribus euersum cre-
puit. Fœmora verò pendebant ad latera,

ossaque contracta extrahébantur eo modo quo filum tenue solet in globum conglomerari. Ecce per omnia ista imaginariè visà significabatur, quòd qualè pœnà haberet homo, si per possibile sic violentur ac torqueretur in corpore, quò vniuersa mèbra eius ac intestina taliter distentur, talè imò inenarrabiliter grauiorè in purgatorio pœnam sustinet anima. Præterea Mirabilis illa Christina, cuius legendam conscripsit doctus vir suffraganeus episcopus, qui & librum Apum composuit illa, inquam, virtuosa mirabilisque Christina, post primam suam à morte resurrectionem reducta ad corpus interrogantibus quid sibi post egressum de corpore contigerit, dixit, Statim vt defuncta sum, susceperunt animam meam angeli lucis, & deduxerunt eam in locum tenebrosum ac horridum, animabusque hominum plenum. Tormenta quæ ibi vidi, tâta tamque crudelia erant, quòd nulla id lingua valet exprimere: & cogitante me quòd esset infernus, angeli responderunt purgatorium esse. Inde deduxerunt me ad pœnas inferni, & inde in paradysum corà domino maiestatis, qui cum me hilariter accepisset, super omnem modum

*Christina
Mirabilis
legenda
scripser.*

dum gauisa sum, putans me ibi æternaliter cum domino permanfuram. Qui ait ad me: Reuera dilectissima mea hic mecum eris, sed duorum optionem nunc tibi propono, videlicet necum manere vel reuerti ad corpus, & in eo pati pœnas satisfactorias pro ereptione animarum, quas in purgatorij pœnis vidisti. Me autem sine hæsitatione mox eligente reditorem ad corpus, iubente domino statim reuixi. Præterea, quàm verissima fuerit ista mirandæ Christinæ relatio, probant immensissima tormenta quæ post resurrectionem sponte sustinuit, imò sibi ipsi inflixit. Intrauit enim frequenter ardentissimos clibanos pro panum decoctione paratos, in quibus tam vehementissimè cruciabatur vt præ angustia clamitaret, nec tamen in ea egrediente vlla apparuit læsio. Sæpe quoque in ignium incendia se proiecit, & in cacabos plenos bullientes intrauit vsque renes vel vbera, ac reliquis membris aquam bullientem propriis manibus superfudit, & præ dolore clamauit velut parturiens exiens tamen non habuit læsionem. Interdum etiam, imò multoties in aquas congelatas se præcipitauit, & sub glacie sex diebus aut amplius moram

batur. Quandoque inter suspensos ad patibulum se suspendit, & biduo mansit suspensa, deinde illæsa descendit, & mortuorum intrauit sepulchra deslens ibi hominum vitia. Tempore quoque hyemali confuevit sub rotis molendinorum stare erecta, ita quod aqua corruerat super caput eius & membra, ceciditque interdum super rotarum circuitum: & tamen rediens fuit illæsa. F. R. A. Nunquid & tu qui naturalis rationis viges acumine, atque in philosophicis es eruditus scientiis, credis hæc vera esse DION. Malè & nimis malè naturali viget acumine aquæ scientia acquisita, qui ex hoc ea quæ dei sunt seu fidei digna narratione inueniuntur, suo præsumit ingenio mensurare, diiudicare & coarctare. Denique, quæ præfatus autor legendæ Christianæ Mirabilis de ea cõscribit, & iam partim commemorata sunt, probat idem descriptor testimonio reuerendi patris Iacobi Aconensis episcopi, postea Cardinalis, qui se eam & eius mirabilia vidisse testatur, imò & alia multa præfactis mirabiliora narrat de ea. Ego quoque in loco quo fuit sepulta, sui frequenter: & dum in pueritia in opido sancti Trudonis frequentavi, scolares ex

relatu suorum parentum sæpe loquebantur de ea. F. R. A. Qui iam de particulari iudicio singulorum & pœnis purgatorij ac inferni ab punctis hæc concernantibus tam diligenter & plenè locutus es, precor vt in fine huius dialogi aliqua scribas qualiter debeamus nos quotidie ad mortem & ad mitte iudicium dei disponere, ne incidamus rigorè diuinæ iustitiæ. De tentationibus quoque quæ solent agonizantibus magis esse molestæ, & de remediis contra eas, & qualiter muniendus sit agon & exitus morientis. DION. Pia, fructuosa ac sapientialis petitio: ad cuius impletionem vtinam esse idoneus. Attamen te orante pro me, tentabo pro viribus adimplere quod postulas.

*De preparatione quotidiana ad mortem,
& ad mitte iudicium*

ARTICVLVS. XXXIIII.

DIONYS.

Quemadmodum tota vita sacerdotis timorati cupientis celebrare deuote, debet esse continua præparatio incessabilisque dispositio ad ce-
Missam celebratam sacerdotum qualis esse debeat vira.

M m ij

lebrandum condignè, ita vt diligentissimè vitet quicquid impedimentum est celebrationis deuotæ ac feruidæ: & quicquid ad eam disponit ac confert, viriliter apprehendat & exequatur, ita tamen vt hora celebrationis instante, per specialia & peculiaria quædam exercitia deuotionalia orationum, meditationum, psalmodiorum, contritionis, confessionis & satisfactionis ad instantem celebrationem se præparet: sic tota conuersatio cuiuslibet Christiani deum timentis ac mori salubriter cupientis, debet esse vna iugis præparatio ad mortem & ad particulare iudicium dei, ita nihilominus, vt graui seu letali ægitudine incumbens ipse infirmus per exercitia apta ac specialia, per suæ conscientie diligentissimam discussionem, per plenam contritionem & integram confessionem, per profundissimam sui cordis corâ deo prostrationem, per orationes ardentis, per meditationes de passione dominica, de imminente sibi diuino iudicio, de suppliciis impiorum & gaudiis electorum, per grande & integrale totius emendationis propositum, per ad mortem Eucharistiæ affectuosam susceptionem. *dispositio.* atque per sacram vnctionem præparet se

Optima

ad mortem

dispositio.

ad mortem & ad occurrèdum iudici metuendo. Itaque optima & verè rutissima ad mortem dispositio est, tempore sanitatis & iuuentutis taliter deo seruire & ita se coram ipso in cunctis habere, vt in extrema, summa & periculosissima illa necessitate mereatur homo nō derelinqui, sed adiuuari, conseruari ac saluari à domino quemadmodum & Psalmista orauit: Cùm deficiet virtus mea, ne derelinquas me. Porro si quis ita non egit, non tamen in extremis desperet, imò tunc saltem per confessionem & alia iam præparata, ad salubrem exitum se disponat. Sed inæstimabiliter periculosum tam diu differre, quemadmodum 4. libro magister Sententiarum ex verbis comprobatur Augustini, dicentis: Si quis positus in vltima necessitate voluerit accipere pœnitentiam & accepit, sicque decedit, fateor vobis, nō illi negamus quod petit, puta viaticum aut pœnitentiam, sed nō præsumimus quod bene hinc exeat. Nunquid dico damnabitur? sed nec dico quod libera liberari. Si ergo vis à dubio atque periculo Si sic agis, dico tibi quod secutus es, quoniam pœnitentiam tunc egisti, quando peccare

potuisti. Si vis pœnitentiam agere quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Nullus ergo expectet quousque peccare non potest. Arbitrij enim dominus quærît libertatem, vt delere possit commissa, nõ necessitatem: charitatem, non tantum timorem, quia non in solo timore viuít homo. Quem igitur serò pœnitet, oportet non solum timere iudicem, sed etiam diligere, quoniam sine charitate nemo potest saluus esse. Nõ itaque tantum timeat pœnam, qui pœnitet, sed anxietur pro charitate & gratia. Sed quoniam vix vel rara est in fine tam iusta conuersio, timendum est de pœnitente serò. Attamen quoniam deus semper potens & pius est, semper etiam in morte potest iuuare, sed quoniam multa sunt quæ tunc impediunt & languentem retrahunt, periculosissimum est interituque vicinum, vsque ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Hinc iterum loquitur Augustinus: Planè aut non aut vix inuenio te mortis tempore aliquem posse pœnitentiam facere. Tunc namq; omnes pœnitentiæ & virtutes sunt occupatæ vehementia mortis, & destituta sunt omnia libertate. Hinc quoq; Hic

ronymus: Qui dum sanus & iuuenis est, deum offendere nõ veretur, in morte indulgentiam non meretur. O charissimi filij, qualis est pœnitentia illa quam tunc & idcirco quis accepit, quando & quia se diutius non posse viuere cernit? Hinc etiam ait Bonauentura, q̄ anima in extremis ita intenta est doloris mortis & ægritudinis, quòd vix potest redire ad se. In horologio quoque æternæ sapientiæ, in personæ improuise ac indispositæ mortis sic dicitur. Quomodo possim me modo conuertere? & qualiter nunc valeo veraciter pœnitere? Nõne vides angustias mortis me præmetes? Ecce timore & horrore tam vehementer perterritus sum, sic alligatus sum vinculis mortis & anxietatibus nimis premo, vt quid agendum sit non videam. FR. A. De horum veritate nõ ambigo. at vt cerno, non tantum secularibus prauè viuētibus, sed religiosis quoq; se negligenter habētibus grãde instat periculum, quoniã sicut homo se habet circa deum dum sanus & fortis est, sic deus se habet circa illũ dum lætali ægritudine contabescit. Sed cum naturale sit homini libenter gaudere, recreationè amare, facitèrque resolui in risum & tristitia fugere,

per quæ omnia solet saluberrima & inté-
ta mortis consideratio tolli à corde, &
mentis compunctio dissipari, imò & præ-
fata ad mortem præparatio impediri, præ-
cor te, ostéde mihi talem de morte ac mo-
riente imaginationem, vt per eam possim
abiicere omnem cordis dissolutioné, ina-
nem lætitiã, vanitates, iocos ac risus.

*Qualem debeat homo imaginationem de mor-
te ac moriente suo cordi imprimere, atque
assidue diligenter reuoluere*

ARTICVLVS. XXXV.

DIONYS.

Sicut is qui vult de passione & morte
homini nostri Iesu Christi fructuosè
& optimè cogitare, ita debet imagina-
ri ac si iam ipso cernente Christus com-
prehendatur, conspuatur & omnia illa
sustineat quæ eum euangelica historia
pertulisse testatur, hoc est, quasi propriis
corporalibus oculis videat innocentissi-
mum ac mansuetissimum filium dei nuda-
ri, alligari columnæ & atrocissimè flagel-
lari, spinis coronari, cruci affligi, diris cla-
uis per sacratissimos pedes & manus te-

nerimas transformari atque violentissimè
in cruce distendi, & in tam vehementissi-
mo dolore ibi pendere: ita qui cupit com-
punctam & saluberrimam mortis confi-
derationé assumere, imprimat cordi suo
qualiter qui infirmatur vsque ad mortem
extremum perducatur articulum, & qua-
si præsentialiter videat aliquem morien-
tem. Imaginare ergo & corde recollecto
diligentissimè cogita, qualiter homo dū
morti propinquat, iacet in lecto misera-
bilis, viribus destitutus, relicturus om-
nia quæ in hoc mundo habuit & male a-
mauit, & aliud seculum ingressurus,
moxque metuendissimo iudici præsen-
tandus, & seipsum amplius iuuare nō va-
lens, qui paulo antè tam fortis & agilis,
tam iucundus, liber ac imperterritus vi-
debatur. Perpende qualiter tunc frons
obduretur, corpus rigeat, & cadant ca-
pilli, labiaque palefiant & oculi errēt ac
euertantur, manus nigrescant, vultus pal-
lescat, pulsus caprizet, habitusque de-
ficiat, & amarissimæ mortis puncturæ in-
teriora circudent, & ipsum cor premant
ac penetrent, mox quoque amsit sudor
mortis naturam esse victam demonstrans
ac membra pertransiens. Tunc certè com-

*Disposi-
tio morien-
tis.*

Eccle. 12.

mouentur custodes domus & nutant viri fortissimi, & otiose existunt molentes & tenebescunt videntes per foramina. Tunc rumpetur funis argenteus, & recurrit au rea vitra, atque consternitur hydria super fontem, ac rota confringitur super cisternam: quoniam ibit homo in domum aeternitatis suae, reuerteturque puluis in terram, & redibit spiritus ad deum qui dedit illum. Cumque naturalia ista sint ita poenosa, tamen aliunde instant grauiora & magis horrenda, videlicet terribi & laruales daemonum vultus, acerbissimae etiam impugnationes eorum, & metuentissimum dei iudicium. Intuere quibus & qualibus angustiis doloribus atque terroribus misera anima concutitur, dum exterioribus sensibus a suo actu cessantibus ad seipsam reuertitur, & vniuersa sua peccata subito ac clarissimè intuetur, imminentes sibi malignissimos ac procacissimos spiritus cernit, & super omnia pauendum praestolat iudicium. Insuper ipsa mors ineffabiliter est arma intantum quod quidam precibus sancti Hierony. resuscitatus a mortuis dixit Cyrillo: Anima mea corpus reliquit tam grauius & amare, quod certè quatuor fuerunt illi an-

*Mortis
amaritudo.*

gustiae & pressurae, non capere mens humana, nisi vt ego experientia didicisset. Si enim omnis hominum intelligentia vniuersas, quas vellet angustias & dolores excogitaret, omnia reputarentur pro nihilo, respectu dissolutionis animae à corpore. Si hanc morientis effigiem cum vniuersis circumstantiis nunc praetactis nostrae memoriae imprimeremus firmissime, & recogitarem usque assidue ac profunde, puto quod nec ridere, nec iocari, nec leuitatibus aut vanitatibus locum tribuere delectaret. *F. R. A.* Verè salubris doctrina suauissimumque consilium, atque (vt puto) istud est scire mori, & vera ars moriendi. *DIONYS.* Scire mori, est adimplere id quod in euangelio ait Saluator: Vigilate omni tempore orantes, quia nescitis diem neque horam. Hoc est, dignè deo conuersari, iuxta exigentiam propriae vacationis aut professionis, & cum metu, timore ac tremore propriam operari salutem, sicque paratum esse ad mortem quod est omni die ita se coram deo habere, ac si in eo tollendi essemus de vita praesenti. *F. R. A.* Vt video, hucusque nimis negligens fui ac dissolutus. *DIONYS.* Bonum est seipsum humiliter accusare.

*Marc. 13.
Ephes. 4.
Philip. 2.*

D. DIONYS. CARTH.

superest vt nos pariter & efficaciter emēdemus. FRAT. Restat vt de tentationibus quæ morituris & agonizantibus solent contingere, & de remedijs contra eas, loquaris.

De tentationibus quæ agentibus in extremis accidere solent, & remedijs contra eos.

ARTICVLVS XXXVI.

DIONYS.

ca.12. **I**N Apocalypsi legitur quòd ascēderit diabolus de abyſſo, habens iram magnam, sciens quòd modicū tempus habet quod ad literam à multis exponitur de principe tenebrarum & eius impugnationibus, quibus, instante tempore generalis iudicij & termino mundi, inuasurus & tentaturus est genus humanum, tantò inuidiosus, acrius, ac multiplicius, quanto breuius tempus tentandi sibi sciet esse residuum. Quemadmodum ergo tunc tam rabidissimè aduersus genus consurgit humanum, ita (vt creditur) demones tantò grauius tentant eos qui letali infirmitate laborant, quanto certius vident sibi modicum temporis superesse, quo suis tentationibus, poterunt illos ad

COL. DE IVD. ANIM. 265

auerſionem à deo, & ad damnationis barathrum trahere, Veruntamen tunc quoque locum habet quod ait Apostolus: Fidelis deus, qui nō patietur vos tentari super id quod potestis. Denique angeli facti in hora tam extremæ & summæ necessitatis non minus solliciti sunt ad subueniendum, quàm angeli tenebrarum ad seducendum Præterea, sicut sanctus docet Ambrosius: Callidissimi ac impiissimi dæmones tempore mortis, specialiter enituntur hominem à fidei veritate auertere, & alicui periculoſo errori doctrinæ ecclesiæ contratio implicare: quoniam fides est totius spiritualis ædificij fundamentum, & radix merendi ac oculis metis. Prima ergo morientium impugnatione solet esse, de fide, qui tunc sacramentum accipiunt Eucharistiæ, in quo sola fides præcipuè habet locum. Huic maledictæ tetationi nō potest homo, nec in vita, neque in morte melius salubriusque resistere, quàm eam tanquam diabolicū quoddam susurrum penitus contemnendo & irridendo, imò nec aduertendo, atq; simpliciter intra se cogitando: Ego firmissimè credo sicut sancti Apostoli, innumera bilésq; martyres infiniti & gloriosissimi

1. Cor. 10.

Ambro.

Impugnatur homo proximus mortis primo de fide.

mi cōfessores, ac virgines sanctæ, & vniuersales ecclesiæ dei sancti crediderūt & docuerunt: quorum fidem & doctrinam deus omnipotēs, minime fallens, per innumerabilia miracula sibi soli possibilia cōfirmavit, & de quorū sanctissima vita nullus potest ambigere, qui omnes per fidem hāc deo placuerunt, quos & deus fidelis ac verus mirificauit tā in vita eorum quā in morte atq; post mortē. Secūda tentatio qua impiissimi spiritus solēt in extremis aliquos impugnare, est de impietate blasphemix, & vt turpe ac indecens cogitent aliquid de deo aut sanctis eius, qua tentatione vehementissimē inuaserunt sanctum Eusebium, Hieronymi gloriosi discipulum, à qua tētatione debet se homo omnino auertere, & intra se dicere: Ego sum certus, quod deus est summe & infinite bonus, perfectus & superlaudabilis, & omnes sancti eius omni virtute repleti sunt. Tu autē diabole omni malitia, falsitate, inuidia, vituperabilitate es plenus. Ideo ex hoc ipso quod tu suggeris mihi ista, scio quod falsa & praua ac pessima sint. Absit à me in æternū, vt de deo & sanctis eius indignū quid sentiam

*Tentatio se-
cunda de
blasphemis.*

Tentatio

Tertia tētatio est, de desperatione, nepe

vt sanctus vir Clymachus scribit: Dū homo est sanus, persuadet ei diabolus, quod *desperatio* deo verè & infinite misericors est, & penitentiam hominis etiam in fine vitæ acceptet: idcirco interim non esse tam grande, vt fertur, periculum. Sed hora mortis iam imminete, suggerit homini deū inflexibilem ac prorsus iustissimū esse, nullūque peccatum manere inultum, & penitentiam ex timore procedentē esse inutile. Tunc quoque reducit infirmo ad memoriā vniuersa peccata quæ fecit, & quāta bona omisit, & ea vehementer exaggerat: & præsertim quæ homo cōfessus non est: sicque multos ad desperationis pertrahit lacum, quos ante ad præsumptionem, securitatem, negligentiamque induxit. Hæc tētatio multos in hora illa tam grauior vexat, sicut & quidam à morte resuscitati testati sunt, quod absque speciali & gratuito dei auxilio nequeat superari. Contra quam optimum est remedium, vt homo intra se dicat: Certus sum quod desperatio maximè dispiceat deo, & quod infinitam dei bonitatem, pietatem ac veritatem grauius non possim inhonorare atque offēdere, quā desperando de ea. Ab sit vt putem maiorem esse meam prauitatem,

Remediū.

quàm dei bonitatem, aut meam impietatem, quàm altissimi pietatem. Ipse quocumque qui mentiri non potest, non fallere, omni, verè pœnitenti, & in se sperati, ipsumque inuocati, misericordiam, indulgentiamque spondit. In comprehensibilis, omnipotens & immensa est bonitas eius ac pietas quæ omnem meam iniquitatem infinitè excedit. Non igitur de sperabo de deo creatore ac Salvatore meo: sed in ipso, etiam si occiderit me, sperabo. In deo, salutare meum, & gloria mea Deus auxiliij mei, & spes mea in deo est. Quarta est de nimia securitate seu de gloria vana, aut suiipsius complacentia, periculosa ac stulta, quia vt instruit Cassianus, Dum impius ille tentator hominem ad desperationem, pusillanimitatem aut dissidentiam superfluum ve timorem non potest allicere, conatur eum ad periculosam securitatem, complacentiam fatuam, aut gloriã inanè perducere persuadendo eidem: Euge, euge, quàm bene preuoluit, quàm bene te habuisti, quàm prudenter te preparasti ad mortem, quantum habes, deo regratiari, quàm secure hinc exies, quanta tibi iam restat scelicitas. Contra tentationem istã pestiferam, remedium est

Job. 13.

Psal. 61.

Tenta. 4.

spiritualis

superbia.

est sapientiale & prorsus salubre: vt homo intra se dicat, Nescit homo an amorem dignus an odio. Et, quid habes quod non accepisti? Et item, Qui gloriatur, in domino gloriatur: & quia alia sunt iudicia dei, & alia hominum: & quod Pharisæus qui iustificauit & magnum reputauit seipsum, fuit desuper reprobatus. Veruntamen aliqui virtuosij ex inspiratione & consolatione, speciali que gratia spiritus sancti solent in extremis gaudere in domino: & mortem tãquam amicam imperterritò animo præstolari, atque hilariter acceptare. Porro securius est inter timorem & spem mori hinc ex diuina misericordia confidendo, hinc ex propria culpa & insufficientia meruendo. Quinta tentatio est de impatientia, quæ solet accidere eis qui longa & graui ægitudine consumuntur. Contra quã verum extat remedium, vt intra se pensent ac recognoscant huiusmodi ægitudinem, esse signum diuinæ dilectionis & uisitationis dei paternam, atque culparum purgationem, redemptionem quopue, & euasionem maiorum suppliciorum, quæ hanc vitam sequuntur & occasionem: imò & preparationem ad gratiam ampliorem,

Eccle. 9.

1. Cor. 4.

et 1.

2. Cor. 10.

Luc. 18.

Tenta. 5. de impatientia.

Remediũ.

& ad protectionem diuinam. Consideratio quoque dominicæ passionis intenta, valet ad reprimendum impatiētiam istā. Sexta tentatio est; stulta spes euadēdi infirmitatem, ac viuēdi diutius: ex qua sequitur dilatio confessionis, & impreparatio mortis. Cōtra quam remedium est, partem eligere tutiorem, nec vanis speciebus præstare auditū, neque periculo seipsum committere, nec consolatore carnales aduertere. Septima est immoderata occupatio circa rem familiarem, & sobolem ac propinquos, & circa terrena quæ relinquere mox oportet de quibus debet se homo expedire, & rebus ritè dispositis, atque præsentibus salubriter admonitis & instructis se totum ad deū cōuertere, & quæ suam cōcernunt salutem pensare. **F R A T.** Placent hæc dicta, & bonum est recognoscere ea, quia, vt fertur, iacula præuisa minus percutiūt: quæ admodum etiam ait scriptura, Frustrā iacitur rete ante oculos pennatorum. Idcirco peropto vt plenius exequaris de ista materia, qualiter imminente iam morte assistendum sit migraturo, & qualiter ipse habere se debeat.

*Tentat. 6.
melioris
salutis
presumptio.*

*Tent. 7.
circa temporalia cura
a superna.*

Qualiter assistendum mox morituris, & quomodo ipsi debeant se habere..

ARTICVLVS XXXVII.

DIONYS.

HOræ tantæ necessitatis, ac periculositatis instate, debet vnusquisq; fidelis charitatē suā ad proximū migratūrū, tātō feruentius abundantiusque monstrare, quanto tunc maior est indigentia, & præsertim omnis prælatus, seu eius vicarius ad sibi commissos, ne ex negligentia sua ouis sibi credita ab infernalibus illis lupis, crudelissimisque prædonibus, & procacissimis, ac fallacissimis hostibus deuoretur, decipiat, ac omnium creatori, saluatorique animarum æternaliter auferatur. Pastor ergo, & custos ac medicus animarum tunc præcipue caret adesse migraturo, pro quo & ipse coram deo rationem reddere obligatur. Quod si personaliter adesse conuenienter nequiverit, cum diligentia summa disponat, vt deuotæ & religiosæ, & prudentes personæ assistant illi, quousque exhalauerit spiritum. Prouidendum est quoque, vt sancta crux tunc ante morientis

*Prælatorum cura
circa morituros.*

Hebr. II.

oculos collocetur, & aqua benedicta super ipsum & vndique circa lectulum eius sapi⁹ aspergatur. Insuper aliqua persona ad hoc magis idonea sedeat assidue iuxta ægrum mox decessurum, & eum diligenter & opportunè, feruenter & deuote exhortetur de necessariis ac pertinentibus ad salutem, quandiu capax esse videtur: specialiter verò admoneatur, vt nulli diabolicæ suggestioni, nulli mortiferæ tentationi præstet consensum: imò omnibus illis viriliter reluctetur, in infinita dei misericordia confidendo, ac viscera pietatis diuinæ humiliter inuocando: & si assidens deprehendere poterit, quarentatione moriens, impugnetur, debet eum specialiter contra illam tentationem armare commemorando ei congrua cõtra illa remedia. Vniuersi demum qui adsunt, debent pro eius defensione, cõductione & salute indefinenter cum omni cõpunctione & feruore orare, excluso omni carnali & inordinato amore, omniq; impertinenti occupatione. Admonendus est æger, vt Christi passionem attendat, & Christum pro se passum mentaliter amplectatur, atque pro vniuersis beneficiis suis ei pro posse regratietur, Prouiden-

dum est item, vt aliquis passionem Christi tunc legat, & symbolum fidei alta voce legatur, ac sapius repetatur, præsertim obitu ægri iam de proximo imminente, sed & septem psalms cum Litanis cum ingenti deuotione legendi sunt. At verò de interrogationibus quæ proponendæ sunt ægris spiritualibus secularibusve personis, Anselmus & Cancellarius Parisiensis, aliique satis conscribunt, & vt videtur, sufficit vt breuiter à migraturo *Interroga* quæratur, Tu credis quicquid sacra *tionis e-* scriptura & sancta mater ecclesia docent esse *gri s pro-* credendum? Quo respondete quòd imò: *ponendæ.* quæratur, Tu doles quòd dominum deum tuum vnquam offendisti: & velles quòd magis inde doleres ex vera charitate & zelo iustitiæ, non ex solo seruili timore? Quo respondente, quòd imò: quæratur, Tu petis tibi de omnibus tuis peccatis ab infinita dei misericordia misericordissimè indulgeri? Quo respondente, quòd imò: quæratur, Tu habes propositum integrum nunquam peccandi de cætero, & seruiendi deo perpetuè, si contingerit te sanari? Quo respondente, quòd imò: addatur, Tu in hac hora commendas animam tuam tuo benignissimo ac fi-

delissimo creatori, & nunquā vis separari ab eo, meritō passionis domini nostri Iesu Christi optas saluari: atque à gloriosissima virgine Maria, & à sancto angelo tuo, & ab omnibus sanctis dei potulas in hoc tempore, & in omni hac tua necessitate iuari: & in omnium horum, de quibus te interrogavi affectione, ac fide cupis separari à corpore, ac summo iudici presentari? Quo respondente, quod imò, persona interrogans dicat. Et ego & omnes, qui adsumus, commendamus te infinite misericordiae dei tui, vt ipse te defendere & saluare dignetur, & meritis domini nostri Iesu Christi, vt tibi succurrant, & tuum suppleant imperfectum, ac precibus beatissimae genitricis dei virginis Mariae, omniumque sanctorum, & sancti angeli tui, vt te circumdent, & incessanter, finaliterque conseruent. Præterea ipse eger satis tempestiuè est admonendus, præsertim à suo superiori, quatenus dum adhuc bene compos est mentis, plenè & integrè confiteatur, & omni vana spe conualescentiae spreta, omnia sua disponat, cunctis indulgeat, sibi ab omnibus indulgere precetur: ablata, & cuncta bona iniui-

*Quorū ad
monendus
sit eger.*

ste adepta, seu habita reddat, & debita sua persoluat, & pro sua subuentione largiatur ecclesiae, & egenis pro posse. Instruendus est quoque, quod confessio ex solo timore seruili facta non proficiat ad salutem: ideo de vniuersis peccatis suis studeat penitere, ac confiteri ex charitate & zelo iustitiae, in quantum fuerunt displicentia deo & offensua, ac inhonoriua sanctitatis ac maiestatis diuinæ, quibus peactis, cum omni posse suo merem suam conuertat ad dominum, eius misericordiam inuocando, eius pietati & gratiae se recomendo diuinæ liberalitati ac beneficentiæ grates præcordiales agendo, diuinæ voluntati suam humiliter voluntatem conformando, atque subdèdo: diuinæ quoque æquitatis rigorem sapienter timendo. In sola dei pietate & gratia confidendo: & omnes bonum ac meritū deo plenè & integrè ascribèdo. Insuper recolendo acerbissimā passionem domini nostri Iesu Christi, & cætera beneficia eius, & omnem charitatem ipsius ad homines: inuocando quoque ex corde virginem gloriosam & sanctos, eos præsertim, ad quos maiore habet deuotionem, & sanctum angelum suum, & patientiam

*Qui potissimum
sancti tempore
agonis
sunt inuocandi.*

conseruando in omnibus: omni item prae uae suggestioni prorsum dissentiendo, ac summe curando, ut in pura ac feruente affectione ad deum, seu in syncera cōuersione ad ipsum recedat à corpore, certus quòd in tali conuersione, seu auersione aeternaliter permanebit, in qua à corpore suo recesserit. F. R. A. Quia haec omnia catholicè & saluberrimè descripsisti, restat ut aliquas orationes feruentes, à migraturo si poterit, aliàs à praesentibus proferendas conscribere, nunc digneris: quo facto, te ad alia festinantem de hac materia amplius fatigare non uolo.

Orationes à migraturo dicenda, uel ab his qui affuerint ei.

ARTICVLVS. XXXVIII.

DIONYSIVS.

Diuersis hominibus, diuersae orationes conueniunt. Porro inter omnes orationes sententiosissima, excellentissima ac communissima est oratio illa dominica, quam dominus & Sal-

uator proprio ore edocuit: dicens, Sic orabit. Pater noster qui es in caelis. Hanc ergo rationem sanctissimam tam infirmis quam qui ei assistunt, possunt frequentius deo offerre ac iterare. Vnde de sancto Hugone Gratianopolitano episcopo legitur, quòd in extremis laborans, una nocte trecentis vicibus orationem istam dominicam deuotissimè iterauit. Aliquibus autem infirmis magis sapiunt psalmi & eos libentius legunt, & faciunt coram se legi quousque spiritum tradunt. Vnde & sanctus Augustin. agens in extremis, septem psalmos poenitentiales fecit in pariete scribi, & oculis suis apponi, quos legens ac intuens fleuit uberrimè. Aliqui uerò in quibusdam psalmorum versiculis amplius delectantur, ut in illo, Domine, dilexi decorem domus tuae. Quam dilecta tabernacula tua domine uirtutù, rex meus & deus meus. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te deus: & in quibusdam sequentibus psalmi illius versiculis: & isti atque conformes uersus magis deseruiunt hominibus in charitate feruentibus ac perfectis. Sunt autem & alij uersus imperfectis & poenitenti-

*Matth. 6
Luca. 6.*

*Psalm. 25
83.*

41.

- Psalm. 6.* bus magis deferuentes, videlicet, Do-
 37. mine ne in furore tuo arguas me, ne
 38. que in ira tua corripas me. Domine ne
 16. memineris iniquitatum nostrarum anti-
 9. quarum, cito anticipent nos misericordie
 50. tue, quia pauperes facti sumus nimis:
 55. cum versu & semiuersu sequentibus.
 59. Mirifica misericordias tuas, qui saluos fa-
 12. cis sperantes in te. Miserere mei deus, se-
 37. cundum magnam misericordiam tuam:
 16. cum multis versibus psalmi illius, & mul-
 50. ti consimiles versus. Sunt in super alij de-
Eodem.
 115. perfectis morientibus conuenientes, vt
 30. isti & consimiles versus: Illumina ocu-
 41. los meos, ne vnquam obdormiam in mor-
Abidem.
 30. tem, ne quando dicat inimicus meus, præ-
 ualui aduersus eum. Ne derelinquas me
 domine deus meus, ne descesseris à me.
 Intende in adiutorium meum domine
 deus salutis mee. A resistentibus dex-
 teræ tuæ custodi me, vt pupillam oculi.
 Sub umbra alarum tuarum protege me à
 facie impiorum qui me affixerunt.
 Cor mundum crea in me deus, & spiri-
 tum rectum innoua in visceribus meis.
 Ne proicias me à facie tua, & spiritum
 sanctum tuum ne auferas à me. Dirupi-

sti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam
 laudis, & nomen domini inuocabo.
 Illustra faciem tuam super seruum tuum,
 saluum me fac in misericordia tua, domi-
 ne non confundar, quoniam inuocaui te.
 Clamaui ad te domine, dixi, tu es spes
 mea, portio mea in terra uiuentium.
 Educ de custodia animam meam ad con-
 fitendum nomini tuo, me expectant iusti
 donec retribuas mihi. Præterea versus iste
 dignissimus à Christo in cruce prolatus,
 In manus tuas domine commendo spiri-
 tum meum, est agonizanti ac morienti e-
 tiam, quauis aduertere nequeat, se pi-
 sime ingerendus ac insonandus, quoniã
 grandem & specialem vim habet. Præfa-
 ti itaque & consimiles versus à morituro
 sunt proferendi, vel si eos proferre non
 valet ab aliquo ei præsentem sunt ipso au-
 diente pronunciandi: & qui morientis di-
 spositioni magis conueniunt, sunt ei spe-
 cialiter proponendi. Laicis quoque in
 theutonico possunt proponi, potest etiã
 dici hic hymnus, Maria mater gratiæ, ma-
 ter misericordie, tu nos ab hoste protege,
 & hora mortis suscipe: & cætera.

D. DIONYSII CARTH.
*De specialibus orationibus tem-
pore mortis.*

ARTICVLVS XXXIX.

DIONYSIVS.

2. Cor. 1.
Ioan. 5.



1. Ioan. 4

Baruch. 3
Sapient. 2.

Præter orationes prædictas
possunt & alię oratiões de-
notæ ac feruidæ p moriēte
offerri, imò & ab ipso si va-
let proferri, modica muta-
tione facta in verbis. Itaque ad deum pa-
trem potest ista dici oratio, O pater om-
nipotens & æterne, pater misericordiariū,
& deus totius consolationis, tuam depre-
camur bonitatem super piissimam & im-
mensam, per ineffabilem illā charitatem
qua dilexisti genus humanū, quando vni-
genitum atque charissimum filium tuum
misti in hunc mundum pro nostra redē-
ptione: & ipsum ex sacratissima virgine
Maria voluisti incarnari, & inter homi-
nes conuersari, ac tandem acerbissimam
ac ignominiosissimam mortem subire: o-
stende o domine in hac hora pietatis tuę
abyssum, & charitatis tuę dulcedinem in
hac tua rationali creatura nunc mortali-

ter infirmante & ad te patrem spirituum
redeunte, ostende ei o clementissime ac
super gloriosissime deus pater lucem mi-
serationum tuarum. O deus sanctę, fortis
& immortalis, cōforta mentem eius in te,
intellectum eius illumina, voluntatē eius
accēde, & cōserua in te omnium vltima-
to ac beatifico fine summo & incomuta-
bili, infinito & incomparabili bono: pro-
tege eum o præstantissime pater ab omni
potestate aduersaria, ob omni occurso cō-
trañtio, à tentationibus vniuersis, non se-
cundū peccata sua facias ei, sed secundum
tuā benignissimę bonitatis immensitatē
secundū tuam charitatem affluentissimā
& paternam, secundum multitudinē mi-
serationum tuarum ei nunc o dulcissime *Psal. 78.*
deus pater miserere & indulgere, parce-
re, ac adesse digneris, & suscipe spiritum
eius in brachiis tuę dilectionis per vnige-
nitū tuum dominum nostrū Iesum Chri-
stum, per vniuersa mysteria & beneficia
eius, per omnia quę in ipso pro nostra sa-
lute assumpsit, fecit, ac passus est, qui tecū
viuit & regnat in vnitate spiritus sancti
deus, per omnia secula seculorū. Amen.

Hefte. 13. **D**omine rex omnipotens, in cuius dispositione, atque imperio vniuersa sunt posita, cuius voluntati nullus potest resistere, qui iuxta tuam omnipotentem, sanctā, supersapientissimam, atque liberam voluntatem facis, tam in virtutibus celi, quam in habitatoribus terræ, cui nullus dicere potest, quare sic facis? qui quibus vis miseris, & quos vis induas: aperi oculos tuæ misericordissimæ pietatis super hanc tuam miserabilem creaturam, viribus destitutam, in extrema necessitate, ac summo periculo constitutam, hostibus suæ salutis, ac aduersariis tui honoris horribiliter ac malitiosè vndique circumvallatam. O pater altissime, ne memineris iniquitatum quas ex humana fragilitate, aut ignorantia, aut alia quavis causa, seu occasione incidit, aut commisit.

Gene. 8. Attende ô benignissime, ac suavissime pater, quam prona sit humana natura ad lapsum, quâta sit eius infectio, quàm pro-

Eccle. 14. cliuis sit ex seipsa humana cõditio ad peccandum. Quid ô super excellentissime pa-

Exod. 22. ter, est genus corruptibile, luteum vas,

Esai. 58 carnale, ac mortale figmentum, vt ita

amariceres de eo, & viscera misericordiæ tuæ super illud contineas & permittas illud perire? Memêto ô domine, quod propter miseros peccatores misericors appelleris. Idcirco ô fons totius pietatis & gratiæ, ob tuam infinitam potentiam conforta in te hanc tuam deficientem ac debilem creaturam, propter immensam sapientiã tuam, animam eius illustra, propter tuam absolutam & interminabilem pietatem vniuersis culpis eius ignosce, propter omnem beatitudinem tuam prorsus illuminatam libera eam ab infernali miseria, & ab omni calamitate eam circumdante ac opprimente. Da ei sanctissime pater, cû tanta contritione à corpore emigrare, vt benignissime suscipiatur à te per vnigenitum tuum dominũ nostrũ Iesum Christum, per preces & merita clementissimæ virginis, tibi ô pater æterne comparentalis, per intercessiones, ac merita totius triumphantis ecclesię, & omnium viatorum tibi placentium, qui cum vnigenito tuo & adorando paracleto spiritu vnus es verus, solus ac summus deus.

Ephē. 3.

O Deus & pater domini nostri Iesu Christi à quo omnis paternitas in caelo & in terra nominatur, cui proprium est misereri ac parcere, à quo alienum est irasci, punire ac vindicare. Obscramus te ò superpiissime super dulcissime pater per communicationem illam ad intra, qua totam deitatis tuæ plenitudinē cōmunicas vnigenito filio tuo per generationē aeternā atq; spiritui sancto, per diffusionē aeternā & immanentē effunde super hanc tuam creaturam pauperē & infirmā omni solatio destitutā, liberalissima dona gratiæ tuæ, præueni & conuerte eā piissimè applica eā tibi ò gratiosissime domine, fac eā ò gloriosissime ac serenissime deus pater esse vas misericordiæ tuæ immēse. Nihil proficiant in ea aduersarij humanæ salutis, protege eā sub umbra tuæ omnipotētis virtutis, In tanta tērationū & afflictionū caligine animā eius irradiā gratiarum tuarum suauissima luce, & consolationū tuarum interna tranquillitate, periculum eius in manibus eius est & nunc in vnus horæ momento, aut aeternæ damnationis sententiā merebitur
 obti-

2. Tim. 2.
 Psal. 88.
 16.

obtinere, aut in tua charitate & gratia decedendo, iudiciū saluationis perpetuæ consequetur. Ecce ò pater adorande & benedicte, qui à nobis pauperulis atque fragilibus creaturis ad omne malū pronissimis, pater appellari dignaris, ecce quā infinitum periculum misericordissime, ergo succurre ò clementissime ac fidelissime, pater nec in hac periculosissima hora auferas misericordiam tuā saluificam à creatura hac agonizante, sed eā benignissimè intuere, corrobora, salua, posside per vnigenitum tuum in charitate & pietate spiritus sancti interuenientibus omnibus sanctis tuis, pro ea, ad laudem & gloriam nominis tui.

Oratio ad filium dei, prima.

Obscramus te domine Iesu Christe per charitatis tuæ ardorem, quo te ipsum pro nostra redemptione tradidisti in mortem, mortem autem crucis acerbissimam atque turpissimam, & per tui pretiosissimi pro nobis liberalissimè fusi sanguinis pretium, per tuæ quoque amarissimæ passionis indeficientissimum ac copiosissimum meritum, atque per tuā

Ephē. 53.
 Philip. 2.

○ ○

Ioan. 19. dilectissimam matrem, & suæ maternæ
 compassionis acerbiter acerbiter assistentiam
 que fidelissimam, qua astitit vbi vsque ad
 tuam in cruce expirationem, mirifica pie-
 tatis tuæ abyssum in hoc tuo famulo aut
 famula à luce vitæ præsentis, ad te om-
 nium iudicem metuendissimum pergen-
 te. Præpara animam eius ô domine ad oc-
 currendum tibi salubriter: nequaquam
 sine vera contritione ac filiali ad te con-
 uersione permittas eum separari à corpo-
 re: visita & illustra mentem eius visitatio-
 ne tua secreta, piissima & paterna, qua in
 ictu oculi, in instanti conuerteris atque iusti-
 ficas impium, & de immundo efficis mû-
 dum. Mitte ei ô domine & saluator au-
 xilium gratiæ tuæ à trono gloriæ tuæ, &
I'ros. 17. ea pietate qua latroni sero penitenti in
Job. 14. dulgentissimè promisisti: Hodie mecum
 eris in paradiso. Etiam in isto ostende vi-
 scera tuæ charitatis ac pietatis, & præcipe
 eum ad tuam misericordiam peruenire
 saluator mundi, rex gloriæ princeps vir-
 tutum, iudex altissime, qui cum patre tuo
 æterno, & suauissimo spiritu sancto viuus
 & regnas deus per omnia secula æterna-
 liter benedictus, Amen.

Oratio secunda ad filium.

Propter charitatem illam superardens *Psal. 23.*
 rissimam & immensam, qua tu ô vni-
 genite fili dei, patrem tuum æternū
 æternaliter diligis, utque ab eo infinito
 amore diligeris, animam huius morien-
 tis tua charitate informa. Propter omnē
 suauitatem, amabilitatē ac munificentiam
 spiritus sancti charismata gratiæ tuę in eo
 confirma, ô sancte, iuste & innocens agne
 Dei, qui propter nos ab hominibus di-
 iudicari dignatus es, & quæ non rapui-
 sti euoluere voluisti, isto huic in exitu
 suo potius propitius aduocatus, quàm iu-
 dex leuerus. In sanctis ac profundis vul-
 neribus absconde eum dulcissime domi-
 ne Iesu Christe, à cunctis hostium ten-
 tationibus atque insidiis. Tu domine qui
 es via, veritas & vita, sine cuius ductu
 & gratia nemo venit ad patrem, per viam
 salutis duc eum in splendore summæ ve-
 ritatis ad vitam gloriæ æternalis, ea pic-
 tate immensa, qua respexisti Petrum,
 dum te ter negauit & fecisti eum ex ve-
 ra contritione flere amare, respice cor i-
 stius, & omnem obicem culpe tolle ab
 eo quatenus in sancta contritione dece-
 dens à carne mortali, mereatur à te stola

*Iere. 17.**Ioan. 1.**Esai. 5.**Psal. 68.**Ioan. 14.**Mat. 16.**Mar. 14.**Luca. 22.*

immortalitatis vestiri, & te regem gloriæ in tuo decore beatificè cõtemplari. Qui eum deo patre & spiritu sancto viuus & regnas per secula vniuersa in cœlesti illa splendidissima ac amœnissima patria, Amen.

Oratio tertia, ad filium.

Matt. 26. **D**omine Iesu Christe vnigenite patris summi, ob tuam te obsecramus
Mar. 14. dignissimam incarnationem, san-
Ioan. 13. ctissimam in hoc mundo conuersatione,
Luc. 21. atque plenissimam charitatem quam om-
Mar. 26. nibus nobis in ccena nouissima demon-
Ioan. 18. strasti, corpus tuum purissimum ac pre-
Marc. 14. ciosissimum sanguinem tribuendo disci-
Luc. 23. pulis in escam & potum, & per vehemen-
Matt. 27. tem illam anxietatem, qua contremuisti
Marc. 14. quando post trinam tuam orationem fa-
Ioan. 13. ctus est sudor ex tenerrimo corpore tuo
 erumpens sicut guttæ sanguinis decur-
 rentis in terram, atque per omnem man-
 fuetudinem, humilitatem & patientiam,
 quas tempore passionis habuisti, dum à
 sceleratissimis transgressoribus captus,
 ligatus, consputus, irrisus, blasphematus,
 & alapis celsus fuisti: per omnem quo-
 que dolorem què sustinuisti quando tam

inhumaniter es flagellatus, spinis corc-
 natus, propriis humeris crucem baiulans
 ductus, diris clauis confossus, & in cru-
 cis patibulo violentissimè es distentus,
 & ipsam mortem perpeffus: per omnem
 etiam compassionem, qua tibi tunc con-
 doluerunt discipuli & amici tui astantes,
 specialiter sanctus Ioannes, & deuota
 femina te secuta, specialissimè tua dile-
 ctissima genitrix virgo Maria: esto in ho-
 ra hac piissimus miserator huius animæ
 à suæ carnis ergastulo recedentis, ad cuius
 deuorationem cocurrerunt & astant
 tot lupi & dracones, beluæ infernales, à
 quorum rabie, importunitate atque fero-
 cia eam eruere modò digneris, circunda
 & imple eam lumine tuæ clementiæ, vir-
 tute constantiæ, charitatis ardore, & om-
 ni pietate ac gratia ei necessaria ad salu-
 tem. O domine & saluator, rex, iudex ac
 legifer noster, propter charitatem illam
 perfectam & ineffabilem pietatem, qua
 in cruce pendens pro tuis crucifixoribus
 exorasti, indulge piissime huic mox mi-
 graturo, & nos pauperes seruulos tuos, ex
 audi nunc misericordissime domine de-
 precantes pro illo, vt angelica ope pro-
 tectus, tuo metuendo tribunali præsen-

Ioan. 16.

Matt. 17.

Marc. 15.

Luca. 23.

Ioan. 19.

Esaiæ. 33.

Esaiæ. 53.

Luc. 23.

tetur saluandus. ac clementer tractandus.
 Qui cum patre & spiritu sancto vnus est
 deus æternaliter viuens, & omnium do-
 minans.

Oratio prima ad spiritum sanctum.

ADorande paraclete spiritus sancte,
 qui ex patre & filio æternaliter ma-
 nas, cui bonitas, communitio, pietas,
 pax, dulcedo, charitas, atque connexio ap-
 propriantur, obsecramus tuam liberalita-
 tem piissimam & immensam per tuam æter-
 nam ex patre & filio processionem, infun-
 de nunc radiū tuæ propitiationis in ani-
 mam istam, vndique angustiatam, om-
 nem malignorum spirituum falsitatem &
 obscuracionem. expelle ab ea: diffunde
 in eam diuitias gratiæ tuæ, eamque con-
 forta & erige contra vniuersam aciem vi-
 tiorum, ac demonum: fac eam plenè con-
 tritam ad suum creatorem feruidè aspi-
 rare, & ad fontem totius puritatis ac san-
 ctitatis purificatam venire. Ea largitate
 ac dignatione, qua in die pentecostes in-
 igneis linguis super Christi. discipulos.
 descendisti, & mentes eorum copiosissi-
 mæ adimplesti, splendidiissimè illustrasti,

Actu. 2.

& calidissimè inflammasti, etiam nunc
 mentem animæ huius hinc abeuntis be-
 nignissimè imple, illumina & accende, &
 ad te totius salutis, ac gratiæ fontalè ori-
 ginem digneris saluam perducere. Qui cū
 patre & filio æternaliter viuus & regnas
 deus verus omnipotens.

Oratio secunda ad spiritum sanctum.

Obscramus bonitatem tuam muni-
 ficentissimam atque dulcissimam o
 spiritu sancte, qui es laborantiū sub-
 leuator periclitantium liberator, erran-
 tiumq; reductor, vt propter mutuū illum
 ardentissimū & immensum amorē quo
 tu verus deus, patrem æternū & vnigeni-
 tū eius filiū æternaliter & inuariabiliter
 amas, & ab eis amaris. Ostende nunc cha-
 ritatem tuam in anima agonizātis istius.
 In hoc laboriosissimo eius conflictu gra-
 tiosissimè subleua eam, in tanto consti-
 tutam periculo misericordissimè adiu-
 ua, si in aliquo deuiat, ne differas eam re-
 ducere, septiformem gratiam tuam ef-
 funde in eam. Esto ei ductor & sipis, bea-
 tificator & custos, propter superlibe-
 ralisissimam illam donationem, qua tibi à

Actu. 2.

patre & filio data est deitatis plenitudo, per æternam spirationem, in enarrabilem magnitudinẽ tuã liberalissimã benignitatis declara in anima ista hoc seculum re linquente, quatenus educta de carcere huius exilij, inueniat hodie receptaculũ gratiosum cõsolatoriũque hospitium. O superdignissime cõsolator spiritus sancte, qui cum patre & filio, vniuersorum es cõditor, iudex ac dominus, Amẽ.

Oratio tertia ad spiritum sanctum.

O Clementissime atque dulcissime spiritus sancte, quo pater & filius se inuicem æternaliter diligũt, qui es amor amborum, pax serenissima, tranquillitas infinita, communio plena, sempiterna atque communis lætitia: cuius dono & cooperatione celebrata sunt vniuersa nostræ redemptionis mysteria, de quo illibatissima, ac diuinissima virgo Maria verbum patris æterni verum deum conceptit: tu qui ab exordio mundi gratiarum tuarũ charismata hominibus multipliciter infudisti & multorum indurata corda gratiosẽ præuenisti, emolisti, & conuertisti, conuerte nunc animã hinc

pergentem ad te conuersione completa, quicquid duritiæ, quicquid obstaculi gratiæ tuæ, quicquid impedimenti salutis in ea extiterit, dignanter & superpiissime tolle ab ea, & gratiam consummatam ei largire: per quam consequi mereatur æternam fœlicitatem, & inter vasa tuæ misericordię computetur: ad laudem & gloriam pietatis tuæ penitus infinita.

Oratio ab superbeatissimam trinitatem.

O Trinitas adoranda, vnitas summa, & deitas simplicissimas, ob tuã inseparabilem vnionem coniunge tibi per charitatẽ perpetuam gratiamq; finalem, spiritum huius nunc inorientis, vt per gloriæ vnionẽ plenariam, vnus tecũ sit spiritus, per feruentissimã dilectionis intimissimam transformationem. O trinitas consubstantialis, cõequalis & cõterna, ob tuam substantialem, identitatem essentialẽmque vnitatem animã istã Christo incorpora, & mystico eius corpori infere eam, vt tanquam oliua fructifera plantetur in paradiso cœlesti, & choris inferatur angelicis. O supergloriosissima trinitas propter communicationem &

2. Cor. I.

emanationē tuam adintra, effunde super istum agonizantem dona gratiæ tuæ, & abundantiam pietatis ac largitatis tuæ, in hac hora in ipso demōstra, ne abducatur aut separetur à te. O pater æterne, ô vni genite dei super-pulcherrime, ô suauissime paraclete spiritus sancte deus vnus & trinus, ob tuam mutuam intuitionē, plene comprehensiuam, & infinite iucundā, fac animam istam te nunc, perfidā synce riter intueri, ob tuam mutuam dilectionem superardentissimam ac intēsiue immensam, accende eam tuo sancto amore, ob tuam mutuam fruitionem, beatissimā & æternam: perduc eam ad tui beatissimam fruitionem, propter omnem charitatem, misericordiam & gratiam tuam super genus humanum, educ eam de corpore, omni virtute ornatam, per vniuersa mysteria, merita ac beneficia Iesu Christi, per preces & merita virginis gloriose omniumque sanctorum & electorū tuorum.

Oratio ad virginem gloriosam, & ad omnes sanctos.

Beatissima virgo Maria, totius humani generis fidelissima aduocata. O regina misericordiæ, cui regnum misericordiæ à deo omnipotente commissum est. O affectuosissima hominum miseratrix, & ardentissima eorum amatrix, ob incarnationē natiuitatē & educationē vni geniti filij dei ex te, ob omnem tui & eius mutuam in hac vita conuersationem mutuamq; dilectionē, propter omnē charitatem, perfectionem, virtutem & excellentiā, gratiam & gloriam, tibi à superbeatissima trinitate exhibita. O vniuersa triumphans ecclesia, ô omnes angelici chori, & cuncti ciues cælestes, sancti patriarchæ, illuminati prophæte, gloriosi apostoli, martyres victoriosi, cōfessores fideles, virgines sacræ: O sancte Michaël princeps ecclesiæ, & tu angele sancte custos huius infirmi, clemēter succurrite animæ hinc migranti, eam consolari ac adiuuare dignemini, quo vsque ad vestræ beatissimæ societatis admittatur ingressum.

Commendatio animæ emigrantis.

O dilecta nobis in Christo anima, adorandæ trinitatis imagine, ac similitudine insignita sanguine filij

dei redempta, ad æternam beatitudinem condita, & nunc ecclesiasticis sacramentis munita, egredere confidenter de corpore mortis huius, & ad tuum perge creatorem ac iudicem, qui te misericorditer dignetur suscipere, ac mititer iudicare. Occurrent atque subueniant tibi omnes sancti & ciues cælestis Ierusalem, nec tibi auxiliari desistant, quousque ad locum habitationis gloriæ eorum ad paradysum cælestem ad regnum fœlicitatis æternæ introducaris ad laudem & gloriam omnipotentis. F. R. A. Petitioni meæ per omnia supereroganter video satisfactum, in deo præcordiales tibi grates ex totis præcordiis offero. D I O N. Adhuc in sine opusculi breuiter commemorabo, quàm piùm sit defunctis in purgatorio detentis, fideliter subuenire.

*Quàm charitatum sit & benignum
subuenire defunctis.*

A P T I C V L V S V L T I M .

D I O N Y S I V S .

Frequentè præhabitum est, quòd tam pœna dampni, quàm pœna sensus in

purgatorio existens omne vitæ præsentis excedat supplicium. Nõne ergo ferrea pectora habent, qui existentibus in tantis tormentis non compatiuntur, neque pro posse auxiliari conantur? Denique dum proximos nostros tanquam nos ipsos iubemur diligere, dumque precipimur facere eis sicut nobis ab ipsis fieri affectamus, per proximos intelliguntur omnes rationales intellectualisque creaturæ, quæ beatitudinis sunt capaces, ergo & animæ in purgatorio existentes, illis itaque facere ac subuenire tenemur, quæ admodum nobis fieri in simili casu vellemus. Præterea si quis videret quenquam mortalium, quanuis ignotum & alienum, imò & inimicum in medio æstuantissimi fornacis iacere, & posset ei ad euadendum succurrere, nec tamen succurreret, nõne ab omnibus durus, immisericors ac crudelissimus reputaretur? Quanta est ergo eorum negligentia, immisericordia atque peruersitas, qui detentis in purgatorio animabus non condolent, neque auxiliatur, præsertim parentibus, propinquis, notis, benefactoribus & amicis, imò vix semel in die recordantur illorum. Amplius (vt communiter dicitur) existentibus in pur-

Matt. 22.

Marc. 12.

Tobr. 4.

Luc. 4.

Matt. 7.

Luc. 6.

gatorio, intantum profunt viuorum suffragia facta pro illis, quantum ipsi in vita hac meruerunt vt talia possent eis prodesse. Idcirco qui tardi & negligentes, ac duri sunt ad succurrédum defunctis, sciát quoniam qua mensura metiútur, eis quoque remetietur: & taliter eis subuenietur, quemadmodum meruerunt & subuenierunt. Insuper tales non videntur attendere, q̄ pro defunctis orando, eleemosinas tribuendo, disciplinas accipiendo, peregrinando & sancta loca visitando, celebrando, missám ve audiendo, psálmos & officia defunctorum legendo, non solum defunctis subueniunt, sed etiam sibiipsis promerentur gratiam in presenti, & gloriam in futuro, dū prædicta agunt ex charitate. Nam quicquid ex charitate efficitur, meritorium est gratiæ ac salutis. Existentibus autem in purgatorio nō potest quis amplius gratiam promereri, nec gloriam, sed gloriæ accelerationem, per hoc quod satisfaciendo pro illis, impetrat pœnas ipsorum abbreviari. Etenim idem opus bonum est, meritorium & satisfactorium: Meritorium, inquantū ex charitate procedit: & satisfactorium, prout defunctis applicatur & comunicatur, id est,

propter annexum laborem ac alias causas. Hinc in quadam visione ostensa beatae Brigittæ viduæ legitur angelus sanctus dixisse: Benedictus sit ille in mundo, qui iuuat animas orationibus, & bonis operibus, atque labore corporis sui. Deinde de purgatorio audiebantur multe voces, dicentes. O domine Iesu Christe, iuste iudex, mitte charitatem tuam spiritualibus, ecclesiasticisque personis, quia tunc magis, quam nunc adiuuari poterimus de eorum cantu, lectione, oblatione ac precibus. At verò supra spatium, de quo clamor vocum illarum audiebatur, apparebat quasi domus, in qua multe voces audiebantur, dicentes. Merces sit illis qui mittit nobis auxilium in nostris defectibus. In ipsa quoq; domo videbatur, quasi aurora confurgere, & subtus auroram apparuit nubes, quæ nihil habebat de luce auroræ, de qua processit vox maxima, dicens: O domine deus, da de tua incomprehensibili potestate vnicuique centesimam remunerationem in mundo his, qui suis suffragiis nos iuuant ac eleuāt in lucem tuæ deitatis, & in visionem diuini vultus. F. R. A. Hucusque non perpendi tam clarè, quàm pium ac iustum, imò &

D. DIONYS. CARTH.

debitū sit subuenire defunctis vnde propono deinceps circa hoc sollicitior atque instantior esse. **D I O.** Bene agis, & certum est quōd hi qui de viuorum aut defunctorum eleemosinis viuunt, videlicet praelati, sacerdotes, canonici, religiosi ac ceteri, specialissimē obligentur perorationes, celebrationes seu actus consimiles succurrere illis, quorum sustentantur stipendiis.

F R A. Graue est ergo de talibus sustentari: nisi legitima fiat subuentio. **D I O.** Planè sic est, imò iuxta sanctorum patrum doctrinam, furtum, rapina, ac sacrilegium perhibetur. Restat ergo vt vnusquisq; secundum exigentiam sui status, gradus aut ordinis, vocationis aut professionis, studeat condecenter, ac debitè conuersari. Ad laudem, gloriam & honorem altissimi qui est super omnia deus sublimis & benedictus,

Amen.

APPEN-

